CONCORDANTIA
SANCTORUM PATRUM
ECCLESIÆ
GRÆCÆ atque LATINÆ

FIDEI, MORUM, ET DISCIPLINÆ DIFICULTATES,
quæ in ipsorum Scriptis occurrunt elucidans.

AUCTORE

R. P. D. BERNARDO MARECHAL
Ordinis S. Benedicti.

TOMUS PRIMUS.

PRIMA EDITIO LATINA

Continens Doctrinam

Constitutionum Apostolicarum,	S. Justini,
S. Barnabæ Apostoli,	Athenagoræ,
Pastoris Hermæ,	Theophili,
S. Clementis,	Tatiani Assyrii,
S. Ignatii,	S. Irenæi,
S. Polycarpi,	S. Clementis,
	Tertulliani.

VENETIIS,
Ex Typographia Balleoniana.
MDCCLXVII.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

PRÆFATIO.

VIGILANTIAM Divinæ Providentiæ ſuper Eccleſiam ex conſervatione Traditionis in omni primordiali ſua puritate perpetuam habemus. *Adoro* cum Tertulliano (*a*) *Scripturæ plenitudinem*. Eam habeo cum quodam antiquo Patre (*b*) ut *fundamentum & columnam Fidei noſtræ*. Conſidero eam, cum quodam Sancto Alexandrino Presbyrero, veluti primum principium Doctrinæ Chriſtianæ, quo nos uti oportet ad Religionis veritates demonſtrandas (*c*). Fateor uno verbo, excellentiam, neceſſitatem, &, ſi placet, ſufficientiam etiam divini hujus monumenti, quoad præcipua Fidei & Moralis Chriſtianæ puncta, quæ ibi perſpicue ſtabiliuntur: aſſerere autem non formido, Eccleſiæ non ſatis proviſum fuiſſe, ſi Deus Sacras Scripturas illi impartiendo, Traditionem, quæ æque ei neceſſaria eſt, denegaſſet. Ad quid enim Scriptura in ſua ſimplicitate ac nuditate conſiderata inſervire poterat? Quæ utilitas ex illa in Eccleſiam Catholicam, non adhibita Traditione? Quinam ſint Libri divinitus afflati, qui numerus, qui ſenſus neceſſario ei innoteſcere debebat: id autem ſine Traditione obtineri nequaquam poterat. Abſque illa enim liberum cuique fuiſſet augere aut imminuere proprio marte numerum Divinarum Scripturarum; falſas & adſcititias Scripturas Canoni addere; illas interpretari pro libito; & arbitrariis explicationibus ac fallacibus ſubterfugiis, quæ nec refutare, immo ne detegere quidem poſſibile fuiſſet, venerabilem earum auctoritatem eludere. Neceſſitas Traditionis.

Ignorat nemo, Hæreticos cujuſque ætatis Divinis his Libris abuti conſuevisse non ſine gravi Eccleſiæ ſcandalo, & proprio eorum damno. Semper blanditi ſunt ſibi ipſis, ac ſi apud eos tantummodo veræ extarent Scripturæ, apud eos earum intelligentia, Doctrinam omnino puram ſoli ipſi ſequerentur, eique peroptime ſeſe accommodarent: ex quo illud Tertulliani, Deo permittente, immo & volente, ut verbis utar hujuſce Patris, *ex Dei voluntate* (*d*) Sacras Litteras ſic exaratas fuiſſe, ut poſſent inde Hæreſes enaſci; *quæ ſine Scripturis*, addit ille, *eſſe non poſſunt*. Veritas hæc noſtri Sæculi comprobatur experientia, quam Novatorum exemplum quotidie confirmat. Quid Eccleſiæ Traditionis lumine deſtitutæ iſtas inter obſcuritates & ſcandala remanſiſſet?

Quanam

(*a*) Lib. contra Hermog. Editionis D. Renati Maſſuet. Editionis Pariſienſis 1641.

(*b*) Lib. 3. contra Hæreſ.

(*c*) Lib. 7. Strom. pag. 757.

(*d*) Lib. de Præſcript.

Quanam via potuisset legitimum divinorum Oraculorum sensum a falsis Hæreticorum interpretationibus expedire? Sicuti unusquisque in suo sensu abundat, nisi aliqua extitisset regula, quæ nostras cohibuisset opiniones, productionibus Spiritus sui peculiaris se commisissent homines, ac innumeræ extitissent interpretationes diversæ, ex quibus Sectæ ac Religiones inter se pugnantes ortum duxissent, indeque necessario in totum Christianum orbem horribilis confusio. Opinandi varietas notabilisque diversitas in iis, qui ab Ecclesia sejuncti sunt, evidentissime id comprobant.

Valde igitur rationabiliter Concilia omnia ac Patres determinandum susceperunt tum numerum, tum sensum Sacrorum Librorum Traditione duce. Hujus coruscante splendore erroris tenebras dissiparunt, detectasque refutarunt pravas & falsas interpretationes, quas Ecclesiæ hostes iis tribuebant Scripturæ textibus, in quibus aut favorem, aut incommodum persentiebant. Innumera in Ecclesiastica Historia, quæ id comprobant habes exempla. Hac agendi ratione Nicæni Concilii Patres obturaverunt os Arianorum, quos vitiantes adinvenerunt verum sensum alicujus textus circa Divinitatem & Consubstantialitatem Verbi. Sic SS. Basilius & Gregorius Nazianzenus victoriam reportarunt postea de Macedonianis, qui nonnullis abutebantur textibus contra Divinitatem Spiritus Sancti. Sic pugnantes novimus S. Hieronymum contra errores Vigilantii, & S. Augustinum contra errores Pelegianorum. Non aliud aderat remedium adversus Hæreses, non alia ratio cohibendi homines præter Traditionem: ab ea consilium, & ex ea uniformitas in intelligendis difficilioribus Scripturæ Locis. Quid ultra opus est ad gravitatem atque absolutam necessitatem Traditionis ostendendam? Et si nulla alia præter modo allata adduci possent momenta, nonne satis superque probatam haberemus veritatem illam, quam initio hujus Præfationis proposui: Divinæ Providentiæ Vigilantiam super Ecclesiam perspectam nos habere ex conservatione Traditionis in omni primordiali sua puritate?

Traditio conservata purissima in SS. Patrum scriptis.

Ad conservandam autem Traditionem puram prorsus, integram, sinceram, & ab omni corruptione liberam quoad Doctrinam, nullum meo videri habetur aptius ac tutius medium unanimi SS. Patrum consensione; horum scilicet Sanctorum Ecclesiæ Doctorum, qui non uno eodemque tempore, nec uno eodemque in loco in Religionis subjecto se exercuerunt. Qua enim via tuti esse possemus de Doctrina ab Apostolis Ecclesiæ tradita, de veritatibus quas credidit ipsa docuitque semper, nisi uniformis extaret tot gravium testium consensio, nisi id assererent tot viri æque religiosi ac docti, quos absque injuria suspicari non possumus aut ignorantes, aut simulantes quæ credebat ac docebat Ecclesia eorum ætate? Si vel tantisper ratiocinio utantur increduli, audaciores etiam, impossibile semper iis erit insignes hos viros de levissima fraude arguere. Et sane, arbitrari viros hos voluisse, immo potuisse, posito quod voluissent, unanimes convenire ut deciperent fideles, ut extraneam doctrinam traderent pro doctrina Ecclesiæ, erroremque pro veritate docerent, paradoxum est, quod nemo proponere potest, quin fidem, rectam rationem, & prima principia Religionis Christianæ ejuraverit. Dixi prima principia Religionis Christianæ; sed enim solus ille suspicari potest qui dubitet de Providentia Dei super Ecclesiam, ac reclamet Salvatori promittenti se nunquam illi defuturum; (a) *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Veritas hæc, dicam iterum, cum portentoso paradoxo supra

(a) Matth. cap. 28.

pra allato sociari nequaquam potest. Constat igitur, apud illustres hos Doctores Traditionis depositum conservari, & hos testes esse integros legitimorum sensuum Ecclesiæ, ejus veræ doctrinæ, ejus veræ fidei. Nec possumus nos idoneas Deo gratias agere, qui omni tempore aliquos ex his viris suscitavit, qui perfecte tenentes Dogma, Moralem, ac Disciplinam proprii ævi, hæc omnia incorrupta in eorum scriptis posteris tradiderunt.

His præmissis supervacaneum hic foret horum SS. Doctorum gravem auctoritatem extollere. Ignorat nemo Ecclesiæ observantiam eorum Operibus præstitam, eorum dictis, immo ipsis etiam eorum verbis. Colligitur id ex Conciliis tam præteritæ quam nostræ ætatis, eorumque Acta legentibus observantiæ hujus evidentissima argumenta apparent. Qui hac super re convinci desiderat, legat Acta Concilii Ephesini adversus Nestorium, acta Concilii Chalcedonensis adversus Eutychen, Concilii Lateranensis adversus Monothelitas, sexti & septimi Concilii generalis, & maxima reverentia Ecclesiæ Patribus omni tempore tributa innotescet ei, nec non obsequium eorum decisionibus in quacunque Doctrinæ controversia. Sic Patres XV. Concilii Toletani habiti ann. 688. in epistola ad Summum Pontificem Benedictum II. ei significant, nemini permissum esse se extollere adversus auctoritatem illustrium horum Virorum; sed potius ante ipsos succumbendum esse; quippe omne quod oppositum est eorum Doctrinæ, rectæ regulæ Fidei contrarium est: *Non est illis succendendum*, ajebant Præsules isti septimi sæculi, (a) *sed potius succumbendum; quia omne quod contra illos sapitur, a recta Fidei regula abhorrere sentitur.* Auctoritas SS. Patrū.

Ex eorumdem etiam SS. Patrum Operibus eruitur, quid ipsi de iis sentirent, quos decessores habuerant: omnes enim, ad antiquiores usque ascendendo, id quod docebant, auctoritate Majorum firmabant: ideoque in S. Irenæo (b) habemus textus S. Clementis Papæ, S. Ignatii Episcopi Antiocheni, S. Polycarpi Smyrnensis, S. Justini, & aliorum antiquorum, quibus utitur adversus hæreses, quas impugnat in quinque Libris, qui apud nos sunt: conspicimus S. Clementem Alexandrinum adversus falsos Gnosticos sui ævi pugnantem auctoritate Doctorum Ecclesiæ, qui eum præcessetant, & quos ille reveretur veluti testes irreprehensibiles Apostolicæ Traditionis (c) S. Athanasium de Arianis triumphum reportare, dum eis ostendit, Catholicam Doctrinam, cujus partes suscipit adversus eorum blasphemias, a Patribus ad Patres, quasi per manus traditam esse, quando e contra eorum opiniones nulliusScriptoris, qui eos præcessisset, fulciebantur auctoritate: *Ecce nos demonstramus*, inquiebat Episcopus iste (d) *istiusmodi sententiam a Patribus ad Patres quasi per manus traditam esse: vos autem quos verborum vestrorum Patres ac majores demonstrabitis?* Hoc erat maximum argumentum Patrum Ecclesiæ, & armis hisce certam victoriam de adversariis consequebantur.

At super omnes Auctores Ecclesiasticos, qui Patrum auctoritatem extollunt, eminet S. Augustinus. Quod validius, quod pulchrius hac super re dici potest, in omnibus pene ejus Operibus adinvenitur, & præcipue in ejus Tractatu contra Pelagianos. Loquens cum Juliano Episcopo Eclamiensi, qui unus erat ex insignioribus inter ipsos, eum obruere *auctoritatis mole* intendit, solam objicens auctoritatem Sanctorum Episcoporum, qui ante ipsum Ecclesiæ illi præfuerant. Declarat ei insuper aperte, quod ubicunque sit, eum con-

stituet

(a) Tom. 2. Concilior. p. 1303.
(b) Lib. 1. & 3. adversus Hæreses.
(c) Lib. 1. Strom.
(d) Lib. de Decretis Concilii Nicæni.

ſtituet intus in corde ante Judices iſtos, quos neque ut amicos, neque ut inimicos reſpicere poteſt: *At ubicunque ſis . . . . . te ante iſtos Judices intus in corde conſtituto* (*a*). Nec in vos, nec in nos, addit ille, concitati fuerunt; nec vobis, nec nobis favere voluerunt; ſed ſimpliciter *quod invenerant in Eccleſia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt*. Deficeret mihi tempus, ſi ea omnia quæ hac ſuper re dici poſſunt, in medium afferrem: ne igitur eamdem recoquere crambem videar, unum adducam Vincentium Lirinenſem, cauſæ noſtræ perbelle opitulantem: *Neceſſe eſt*, hæc ſunt verba ſapientiſſimi hujus Auctoris, *omnibus Catholicis, quia ſeſe Eccleſiæ legitimos filios probare ſtudent, ut Sanctorum Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoreantur* (*b*). Inſignia ſane verba! En igitur quid ſint Eccleſiæ Patres; fideles Depoſitarii, irreprehenſibiles teſtes, qui Eccleſiæ conſervarunt Traditionem ſacrarum veritatum Religionis, & a quibus fideles ſemper ſalutare pabulum ſuſceperunt. Uno verbo ſunt ductus, per quos revelatio ad nos uſque pervenit, & perdurabit in Eccleſia uſque ad conſummationem ſæculorum.

Diſcrimen inter Auctores ſacros, & Patres Eccleſiæ.

Dicendum modo eſt in quo proprie conſiſtat maxima hæc Patrum auctoritas, & inquirendum a quo eruatur eorum auctoritatis certitudo: antequam vero quidquam ſtatuatur, obſervandum hic eſt, SS. Patres licet ſanctos, licet doctos, homines tamen eſſe ſicuti cæteros, erroribuſque obnoxios; ex quo infertur, nemini fas eſſe eorum ſcripta ea veneratione ſuſcipere, ac ſi eſſent Libri Canonici ſacræ Scripturæ. Docet nos Fides hos divino afflante Spiritu conſcriptos eſſe, eorumque Auctores in iis conſcribendis errare non potuiſſe, miro quodam modo eorum manus moderante Spiritu veritatis: id vero dici non poteſt de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & nullibi privilegium hoc a Deo illis conceſſum reperimus, licet maxima ſit eorum doctrina, eorumque ſanctitas. Certum quippe eſt, ut omnes fatentur, juxta animadverſionem D. Dupin (*c*), Patres ipſos cæteris religioſiores, ac doctiores quandoque in varios incidiſſe errores; noſque hujuſce rei exempla hic daremus, ſi opus foret, & niſi exhibenda occurrerent in hujus Operis decurſu. Non idem ergo, ut prudenter ait S. Auguſtinus in quadam ſua epiſtola, de Scriptoribus iſtis, ac de Libris Canonicis Scripturæ ſacræ judicium ferendum eſt; ac proinde omnibus licet, dummodo obſervantia Sanctis Eccleſiæ Doctoribus debita non lædatur, ſi quidquam in eorum ſcriptis aut a ſeipſis aut ope aliorum oſſendant veritati oppoſitum, illud improbare atque rejicere: *Talis ego ſum*, ſequitur humilis hic ac doctus Pater, *in ſcriptis aliorum; tales volo eſſe intellectores meorum*. (*d*)

Ex hac conſideratione facile trahimur ad diligenter perpendendam Patrum auctoritatem, ut tutius inde adinvenire poſſimus in quo reſideat hujus auctoritatis infallibilitas. Ut hoc detegatur, primo duplici ſub reſpectu conſiderari debent; vel ut Doctores privati, vel ut Doctores Eccleſiæ, & teſtes ejus doctrinæ. Uti Doctores privati peculiares ſuas opiniones proponunt, quo in caſu, ut omnibus conſtat, tantum valet eorum auctoritas, quantum rationes, quibus innituntur. Uti Doctores Eccleſiæ, ejuſque doctrinæ teſtes nil proprio marte proponunt, ingenueque Eccleſiæ fidem referunt, ac de ea doctrina teſtimonium dicunt, quam ab Apoſtolis accepit ipſa & amplectitur, nec non amplexa eſt omni tempore; ita ut ſub hoc reſpectu veluti lingua Eccleſiæ,

(*a*) Lib. 1. contra Julianum, cap. 9.
(*b*) Commonit. part. 1.
(*c*) Lib. 2. Doct. Chriſt.
(*d*) Epiſt. 148. ad Fortunat. c. 4. n. 15.

clefiæ, si ita loqui fas est, considerari possunt. Hac præmissa distinctione nil facilius quam propositam quæstionem resolvere: unusquisque enim deprehendere debet, pondus auctoritatis Patrum vere ac proprie residere in unanimi eorum consensione cum fide Ecclesiæ sive cum Traditione: ac proinde rigorose loquendo non utimur auctoritate Patrum ad veritates catholicas confirmandas, sed auctoritate Ecclesiæ ipsius, sive Traditionis, cujus depositum fideliter servant, & cujus testes sunt omni exceptione majores. Huic inhæreamus principio, & in enodanda proposita quæstione nunquam errabimus.

In quo Patrum auctoritas proprie consistat.

Tota difficultas impræsentiarum posita est in secernendo id quod Patres proprio marte nobis proponunt ab eo quod docent Ecclesiæ nomine. Accipe aliquas regulas ad id facile peragendum. 1. signum notabile est, Patres loqui uti Doctores Ecclesiæ, & veluti testes Traditionis, quando eorum auctoritates in materia quam pertractant, has tres habent conditiones essentiales, quas Vincentius Lirinensis requirit ad hoc ut possimus horum Doctorum auctoritati acquiescere, *universitatem*, *antiquitatem*, *consensum* (*a*): videlicet quando in iisdem decisionibus unanimes conveniunt, quando de iisdem veritatibus idem unanimes sentiunt, quando antiquiores cum recentioribus perfecte concordant. 2. signum infallibile est, Ecclesiam ipsam loqui per os Patrum, quando tres supradictæ conditiones habeantur circa veritates quæ ad Dogma, aut ad Mores pertinent; speculativas aut practicas veritates intelligo, quas Ecclesiam docuerunt Jesus Christus & Apostoli, aut viva voce, aut scriptis, explicite, aut etiam implicite. Apertissime constat, in omnibus his casibus nihil Patres docere ex privata scientia, sed solum id tradere quod ipsi didicerunt; posterisque id communicate, quod a Majoribus ipsi receperunt, ut cum S. Augustino supra innuimus.

Via dignoscendi, quandonam Patres loquuntur uti Doctores Ecclesiæ, & testes Traditionis.

Tutissima ratio ut deprehendatur quandonam agatur de veritatibus hisce in Patrum Operibus, est attendere non solum ad numerum eorum qui eas tradunt, ad eorum antiquitatem, & perfectam eorum consensionem, sicuti hucusque diximus, sed insuper ad modum, quo illas proponunt. Si fidenter & decretorio stylo loquuntur; si proprias sententias veluti indubias Fidei veritates tradunt ac tuentur; si Ecclesiæ & Traditionis doctrinam proferre intendunt; si ut hæreticos objurgant illos qui diversimode opinantur: argumenta sunt hæc tutissima, quod Ecclesia per os horum Doctorum instruit nos, exponitque eorum ministerio quod ipsa præcise sentit, veram scilicet suam Fidem, suam puram Doctrinam. Impossibile est enim, dicam iterum, omnes Patres potuisse ignorare, aut simulare Fidem Ecclesiæ, ac posteris tradere corruptam extraneamque Doctrinam. Interim observandum est, ad hoc ut veritas aliqua ad Traditionem aut ad Fidem Ecclesiæ pertinere dicatur, non requiri necessario, quod omnes Patres de illa loquantur, omnes illam asserant, omnes de sua testimonium dicant: sat est quod eorum plurimi id præstent nemine ex aliis reclamante, aut, posita etiam aliqua repugnantia, quod Ecclesia primis faveat. Contingere etiam potest, quod ii pauciores sint numero, sed pars hæc sanior erit & spectabilior altera, & Patres isti licet pauciores, sive antiquitate, sive eruditione, sive alio simili titulo cæteris præstabunt.

Ex dictis facile colligitur quandonam Patres loquantur ut privati Doctores. 1. enim fieri nequit quod unanimes conveniant in iis quæ docent ut privati Doctores, & nulli dubium, unanimem hanc consensionem nullibi in eorum scriptis reperiri, si illas excipias non magni ponderis quæstiones, quæ nec

Quandonam Patres loquuntur uti privati Doctores.

(*a*) Commonit. part. 1.

nec Fidem, nec Mores respiciunt, puta Philosophicas, Historicas, Criticas, aut hujusce generis alias ad Religionem minime pertinentes. Hic autem de hisce non est sermo. 2. Si unanimes viderentur circa quædam capita, quæ magni momenti aliunde apparerent, oporteret, ut dixi, modum quo loquuntur perpendere: si parum fidenter & cum hæsitatione, & non uti Ecclesiæ doctrinam proprias exponunt sententias, si humaniter oppositas opiniones excipiunt, si qui illas tradunt non damnant; extra omnem dubitationis aleam positum est, tunc eos ex seipsis & ut privatos Doctores loqui, non vero nomine Ecclesiæ. Hinc S. Justinus Martyr, qui adhærebat errori Millenariorum, quem omnes fere veteres adoptaverant, veluti puram & catholicam suscipit eorum doctrinam, qui oppositum sentiebant. Tibi igitur & antea confessus sum, ait ille in suo Dialogo cum Tryphone, (a) me & multos alios hæc sentire, ita ut omnino perspectum habeamus sic futurum: at multos rursus, eosque τῆς καθαρᾶς καὶ εὐσεβοῦς ... γνώμης, ex illo Christianorum genere, quod *piam & puram* sequitur *sententiam*, id non agnoscere tibi significavi. Sane sanctus hic Philosophus tam humaniter locutus non fuisset cum adversantibus sibi, si propriam opinionem pro fide Ecclesiæ habuisset: nihilominus hæc erat, ut dixi, veterum fere omnium opinio. 3. Tandem si dum ex una parte habemus nonnullos Scriptores Ecclesiasticos aliquid asserentes veluti de fide, alios vero ex opposito contra hanc decisionem reclamantes, Ecclesia cum postremis his conveniat, tunc id quod sentiunt primi, habendum erit ut peculiaris opinio, quam reprobare etiam teneremur, si constaret Ecclesiam id fecisse: secus enim temerarium id esset, & ex privata auctoritate id nunquam licuit. Possumus quidem iis in circumstantiis pro libito huic vel illi parti adstipulari non expectato Ecclesiæ judicio; nunquam autem possumus opiniones nostras veluti Fidei veritates exponere. Soli Ecclesiæ id reservatum est.

Moderatio adhibenda si quando opus sit ab auctoritate Patrum recedere.

Addendum hic volumus, quod etsi non teneamur inconsiderate iis fidem præstare, quæ Sancti Patres ex seipsis, & ex privata auctoritate nobis proponunt, immo maxima opus sit prudentia in hujusmodi rebus perpendendis; moderatio nihilominus adhibenda est si quando ab illorum auctoritate recedere debeamus, eorumque errores reprobare: *Hæc autem scandala*, optime animadvertit Facundus Hermianensis in Africa Episcopus, *sic habenda mihi videntur, sicut ipsorum quoque cæli luminarium defectus, quæ licet splendoris sui detrimenta nonnunquam sustineant, non tamen amittunt luminaria esse, quod sunt.* (b) Quando igitur veritatis amore a Patrum auctoritate recedere cogimur, tenemur loqui de illis cum moderatione, declinantes audaciam in elocutione, immo & verba ipsa quæ tantisper valeant venerationem iis debitam imminuere; iis inquam, quorum memoriam semper revereri debemus, & quorum auctoritas magni est facienda, nulla habita ratione iis erroribus, quos veritatis amore in eorum scriptis reprobamus: *Salva honorificentia*, ait S. Augustinus hac super re (c) *quæ illis debetur hominibus*. Pro erroribus igitur, apud quoscunque inveniantur, nostra sit reprobatio, pro auctoribus vero reverentia, quando de Ecclesiæ Patribus agitur.

Regulæ generales pro intelligentia SS. Patrum.

Momentis huc usque adductis circa SS. Patrum auctoritatem nonnullas generales regulas addere volumus ad illorum utilitatem qui eorum lectioni operam sunt daturi, quibus nullo negotio eorumdem intelligentiam assequantur. Oportet itaque in primis ad SS. Patrum intelligentiam, præcipue vero si de

(a) Pag. 308.
(b) Lib. 6. cap. 5.
(c) Epist. 148. ad Fortunat. cap. 4. n. 5.

si de vetustis loquamur, in quibus non semel phrasim obscuram & a nostro loquendi modo alienam offendimus, oportet, inquam, attendere tempus quo floruerunt; & attenta consideratione inquirere, an de iis rebus quas pertractant, satis superque pertractatum sit priusquam eorum Opera in publicam lucem prodirent. Æquo enim jure a Patribus, qui Nicænum Concilium præcesserunt, eadem exigi nequit claritas & præcisio circa Consubstantialitatem Verbi, quæ exigi potest ab iis, qui Concilium illud sunt subsecuti. Verum quidem est, eamdem semper fuisse de hoc articulo, sicuti & de cæteris, fidem Ecclesiæ; & inficiari nemo potest, diversum quandoque fuisse loquendi modum. De fide erat igitur ante Concilium Nicænum, uti fuit & deinceps, Verbum esse verum Deum, ejusdem esse naturæ cum Patre, Patri esse consubstantiale: sed quia ingenue ac sincere primariis hisce veritatibus fides præstabatur, absque eo quod nemo hæsitaret vel de his dubitaret, hinc Ecclesiæ Doctores habemus haud multum sollicitos in ea phrasi adhibenda, quæ Christianorum fidem super hunc vel illum articulum determinaret, cum aliunde de illa perfecte constaret. Una erat omnium fides, neque quid Patres inter se sentirent, unus, aut alter fidelium ignorabat: si subsequentibus igitur temporibus ex prudentia proprietatem in vocibus & energiam adhibere optimum censuerunt si quando Ecclesiæ Fidem circa aliquam hujusce conditionis veritatem exposuerunt; hæresibus id tribuendum est, quæ harum veritatum certitudinem impetebant, vocibus ambiguis ac fallacibus circuitionibus Sectatorum opera inductis, ut veritates istas tenebris involvendo, in Christianorum cordibus veram germanamque Fidem imminuerent.

Cum Lector necessariam hanc regulam optime callet, tunc ut perveniat ad intelligentiam Patrum non uno in loco obscure loquentium, satagere debet ut probe cognoscat quem scopum Patres sibi proposuerint, quid docere intenderint, qua via, & quibus argumentis id peregerint, cum quibus, aut contra quos disputationem inierint. Et ut in postrema hac circumstantia, quæ ordinem aliquem ad primam dicit, consistam, omnibus constat, Patres illos, qui scripserunt adversus Arium Filii Naturam a Natura Patris distinguentem, diverso penitus modo locutos fuisse de mysterio Trinitatis ab iis qui Sabellium impugnarunt, qui Personas Divinas una simul confundebat. Augustinus pariter a seipso differre videtur in suis Tractatibus contra Manichæos infensissimos hostes liberi arbitrii, & in iis quos concinnavit contra Pelagianos denegantes gratiam medicinalem Salvatoris: hic enim quasi ad nihilum redigit vim liberi arbitrii, quia Pelagiani nimium ei tribuebant; ibi tanto magis eamdem vim elevat, quanto Manichæi studebant eam deprimere atque destruere. Valde igitur interest perpendere quinam sit scopus, quem sibi Patres proposuerunt in variis eorum Tractatibus, quinam adversarii quos exagitant, quinam viri quos erudire intendunt. Hæc est tutior via ad intelligendos innumeros dicendi modos, qui, omisso hoc examine, juxta germanum sensum eorum Auctorum, & Fidei analogiam explicari nunquam possent. Declarantur hinc quædam in antiquorum scriptis occurrentes loquendi phrases, quæ primo obtutu opposita videri possent Ecclesiæ Fidei circa Consubstantialitatem & Subsistentiam personalem Verbi; ibi enim totis viribus tuentur Unitatem Dei adversus Idololatras, & Hæreticos illius ævi, qui admittebant pluralitatem Deorum; & in illustrandis obscuris his locis id utilitatis habemus, quod innotescit nobis ordo & connexio, quam habent inter se plurimæ veritates, quæ quamdam contradictionis speciem involvunt.

Si forte contingat, adhibitis regulis modo traditis, perveniri non posse ad solutionem aliquarum difficultatum in Ecclesiæ Patribus occurrentium, viam,

quæ

quæ una remanet, nunc tibi significo: lege sedato pacatoque animo non solum illos Tractatus, qui difficultatibus hisce scatent, sed cætera Opera illorum Auctorum, quorum mentem attingere cupis. In hoc labor consistit, ut ista lectione eorum opinandi modus, certaque eorum principia noscantur; & tunc parum aberit ut sic evolvendo illorum scripta ii textus perspicui, omnique præcisione donati appareant, quibus optata lux cæteris obscurioribus afferatur. Recta enim ratio, & naturalis æquitas postulant, ut si quis velit mentem ac verum sensum alicujus Scriptoris percipere, perspicuos textus præferat obscuris ac difficilioribus, hosque postremos primis illis elucidet. Hac methodo nostris etiam temporibus aliqui purgarunt nonnullas phrases remotioris antiquitatis, quæ parum accuratæ videbantur circa essentialia Religionis Christianæ puncta: & fateri oportet, Bullum, inter Anglos magni nominis virum, cujus aliqua apud nos extant opera, sapientia & eruditione referta, excelluisse in hujusce generis inquisitionibus in quodam peculiari Tractatu a seipso conscripto ad conciliandam fidem veterum Patrum, qui Nicænum Concilium præcesserunt, cum illorum Patrum fide, qui idem Concilium sunt subsecuti. Opus hoc latino sermone exaratum sub hoc titulo *Defensio Fidei Nicænæ* miram præsefert meo videri eruditionem, & perutile iis est, qui antiquitatis studium præ oculis habent. Insuper natum aptum est ut confirmet fideles in fide veritatum præcipuarum nostræ Religionis, & ut orthodoxam ostendat Doctrinam veterum Patrum circa primaria hæc fidei capita.

Regulæ circa modum, quo uti debemus auctoritate Patrum. I. Regula. Si Auctoribus Ecclesiasticis legitime uti velimus, notandum est 1. valde differre inter se, ut omnibus constat, id quod aliquis tradidit dum adhuc juventa floreret, & id quod tradidit ætate jam provecta. Experientia erudimur, id sæpe contingere, quod senectute adveniente revocamus dicta juventutis tempore, sive eveniat id ex eruditione in provectiori ætate acquisita, sive ex meditationibus circa illas opiniones, quas nullo præmisso examine alias quisque nostrum adoptaverat. Insigne hac de re exemplum habemus in S. Augustino, qui sub finem vitæ suæ duos edidit peculiares Retractationum libros, in quibus vere retractat nonnullos articulos quos tradiderat quando experientia & eruditione minus valebat. Anne igitur æquum esset adhærere alicui præmaturæ opinioni sancti hujus Doctoris, nulla habita ratione ad graves inde subsecutas considerationes? Idem dicamus de quibusdam aliis Ecclesiæ Patribus, qui in iisdem fuerunt circumstantiis ac D. Augustinus, & qui nullum expresse conscribentes Retractationum librum, sicuti Sanctus hic Hipponensis Episcopus peregit, nihilominus post severum examen suarum opinionum aliis temporibus propugnatarum, sententiam quandoque mutarunt.

II. Regula. 2. Æque interest distinguere inter id quod SS. Patres pertractant *ex professo*, ut loquuntur Scholæ, & id quod obiter annuntiant. Si in D. Augustino, exempli caussa, argumenta desideras pro libero arbitrio, lege ejus Tractatus contra Manichæos. Si veram ejus mentem assequi peroptas circa necessitatem & efficacitatem gratiæ, adi ejus Opera adversus Pelagianos; seipsum enim deciperet qui hac super re consuleret alios libros hujus Patris, in quibus obiter solummodo de rebus his sermonem habuit.

III. Regula. 3. Etsi omnibus Ecclesiæ Patribus nostram debeamus observantiam, & in genere loquendo eorum auctoritas magni ponderis sit ad fulciendam aliquam veritatem circa Dogma aut circa Mores; fatendum tamen est, alios aliis esse præferendos, illisque adhærendum præcipue, quos suscitavit Deus ad defensionem harum veritatum contra Hæreticorum conatus, qui eas impugnarunt. Talis est auctoritas D. Athanasii circa Divinitatem & Consubstantialitatem

Filii

Filii Dei; illa S. Gregorii Nazianzeni circa Divinitatem Spiritus Sancti; illa S. Cyrilli Alexandrini circa Incarnationem Verbi; illa denique S. Augustini circa mysterium gratiæ Salvatoris. Æquum igitur est, si de adductis modo articulis agatur, testimonia horum Patrum præferre Patribus iis, qui obiter tantum locuti sunt, & quos non suscitavit Deus, sicuti illos, ad convellendos oppositos errores: isti enim leviter tantum materiam illam attigerant; illi exactissime pertractarunt: isti veritatum, quas præ manibus habebant, fundamentis inhæserunt; illi serio examine perpenderunt vel ipsas voces, quibus uti debebant ad fidelium fidem firmandam. Horum igitur auctoritas necessario debet auctoritati illorum anteponi; & qui aliter sentiret, a primis principiis rectæ rationis recederet.

IV. Regula. Maximi momenti est quod postremo loco observandum venit; oportere scilicet ab severioris Criticæ limam revocare Opera, quæ Patrum Ecclesiæ nomine circumferuntur. Aliqua quidem extra omnem dubitationis aleam illorum sunt, quorum nomine decorantur; alia vero iis falso tribuuntur; & alia habentur insuper, de quibus dubium adhuc remanet. Debet igitur prudens Lector non idem ferre judicium de diversis his Operibus; & sicuti rationi consonum non esset eamdem in iis indiscriminatim auctoritatem recognoscere; ita permagni interest ut ediscantur regulæ sanæ illius Criticæ, quæ verum a falso optime secernit. Nonnullas accipe. Conjectura est pro veritate alicujus operis, quando is, cujus nomine insignitur, seipsum veluti auctorem declaravit: hæcque conjectura validissima evadit, si qui subsequuntur Scriptores, Opus illud ei adscribant; si doctrina inibi tradita conformis est doctrinæ aliorum Operum, quorum absque controversia auctor recognoscitur; si omnia concordant & conveniunt tempori, loco, atque personis; si illius auctoris ingenium, stylus, phrasis ibidem deprehendantur.

Sicuti autem non omnium est accuratas hujusce generis considerationes instituere, ac studium & attentionem quam requirunt iis impendere; ideo permultum juverit adhærere illorum sapientum Virorum judicio, qui omni possibili perfectione Spartam istam lustrarunt. Hinc magni faciendæ sunt, exempli caussa, Disquisitiones D. Dupin, D. de Tillemont, & R. P. Domini Ceillier Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Vanni, qui gloriatur tum Dupini, tum Tillemontii sequi vestigia. Multum sane litteraria Respublica illis debet, quos asserere possumus, assiduo labore ac prudenti critica SS. Ecclesiæ Patres in proprio eorum lumine & aspectu exhibendi gloriam obtinuisse. Fateamur tamen oportet, nonnihil discriminis intercedere Dupinum inter & Tillemontium; tutius enim est huic postremo adstipulari ob diligentiam & eruditionem, quam satis mirari in eo non valemus. Cæterum non sola Critica doctissimos istos viros de Ecclesia optime esse meritos novimus; æque enim Ecclesiæ profuerunt concinnando contractam Historiam Auctorum Ecclesiasticorum, & eorum Operum, medullam nobis exhibendo, una simul ea loca significando, quæ præcipua sunt ac animadversione digna. Doctissimæ tandem Observationes, quas addiderunt circa ingenium, stylum, & phrases horum Auctorum, necnon accuratus Catalogus Editionum quæ hucusque peractæ sunt, mirum in modum efficiunt nobis facile SS. Patrum studium, & ad lectionem eorum Operum alliciunt.

Idea hujus Operis. Validis hisce instructus subsidiis Opus aggredior, cujus vel sola idea me deterreret, nisi in supra allatis momentis confiderem. Non est mearum virium Opus hoc in seipso consideratum, attamen ex fundamentis jam præjactis non adeo difficile, ut confido, illud experiar. Accipe paucis ejus ideam

SS. Patrum doctrinam circa præcipua Religionis Christianæ puncta exponendam suscipio. Recens quædam Theologia positiva hæc erit, in qua exponere contendam quid senserint Patres circa Dogma, Mores, & Disciplinam Ecclesiæ. Nec verborum elegantiam, nec dicendi nobilitatem in eorum scriptis commendare in animo mihi est; multoque minus jactare ratiocinii vim, elocutionis venustatem, summam denique eruditionem tam sacram quam profanam. Sicuti id unum intendo, instruere scilicet, & ad pietatem allicere; hinc in iis solummodo eorum Operum locis exponendis immoror, quæ aptiora mihi visa sunt ad Dogmaticas veritates comprobandas, & ad stabiliendas tutissimas regulas Disciplinæ Moralis & Ecclesiasticæ. Verum quidem est, me instituti mei esse duxisse non tantum in medium afferre obscuriora Patrum loca, immo etiam errores significare, qui in eorum scriptis continentur: quoad textus autem difficiles totis viribus eos illustrare contendo, & cum fide Ecclesiæ conciliare; quod sane ope illarum regularum, quas supra præscripsi pro intelligentia eorum Operum, efficio; veritatem semper præ oculis habens, & nunquam ab eis recedens aut ex parum religiosa audacia, aut ex imprudenti observantia. Ad singulares illorum opiniones, & errores quod attinet, ut sincere & ex bona fide agerem, hæc omnia Lectorum oculis subjeci, & quid inde sentiendum sit, ingenue declaravi: id tamen maxima moderatione & prudentia peregi, ne quisquam imminuat venerationem jure meritoque debitam egregiis hisce Scriptoribus. Nullum in hoc Opere verbum de eorum vita; nulla recens quæstio de veritate aut suppositione Operum quæ illis adscribuntur: præterea varias quæ factæ sunt eorum editiones, & multa hujusce generis alia, quæ suscepto Operi minime conveniunt, & quæ supervacaneum foret iterum repetere cum ea non uno in loco pertractaverint alii. Si aliquas animadversiones præmitto circa puncta hujus naturæ, id ago ea intentione, ut quinam sit status quæstionum Lectori aperte innotescat; cum semper ad id me remittam, quod celebriores Critici senserunt, & nihil novi pronuntiem. Qui plura de his articulis scire desiderat, adeat doctos Scriptores, quos paulo ante memoravi. Ad me quod attinet, meum esse duxi exponere veram Patrum doctrinam quantum per me fieri potuit in omni sua puritate & sinceritate; ostendere verum germanumque sensum, in quo varii eorum textus intelligendi sunt, & quomodo accommodari debeant Dogmati, Moribus, & Ecclesiasticæ Disciplinæ. Quod quidem executioni mandari nequit, ut omnibus compertum est, nisi crebræ addantur animadversiones juxta exigentiam rerum, de quibus erit quæstio. Ego vero has animadversiones brevissimas volui, ne nimium Lectorem distraherem, & tunc solum propositæ brevitatis limites sum prætergressus, quando id necessario expostulabat vel alicujus textus elucidatio, vel gravissimæ alicujus difficultatis resolutio.

Etsi gallico idiomate (*) Opus hoc sit exaratum ad utilitatem eorum qui latinam linguam non callent; non potui tamen quin traderem latine, & quandoque etiam græce insigniores Patrum textus, ut sic labori parcerent illi, qui textus in suo fonte videre desiderant. Nulla sumo testimonia ex libris apocriphis, aut modicæ fidei, ne cum errore veritatem, cum certo dubium confundam. Omnia quæ affero Patrum loca, excerpta sunt aut ab Operibus, quæ absque controversia illis adscribuntur Auctoribus, quorum nomina in fronte gerunt, aut saltem ab iis, de quibus certo non constat esse suppositicia; quo in casu menti peritiorum Criticorum me accommodabo.

Prin-

(*) Gallico sermone usus est celebris Auctor ut omnibus prodesset.

Principio statueram dare medullam Operum illorum, ex quibus extraho quidquid pulchri & necessarii continetur circa Religionem: at veritus dicta repetere, remitto studiosos Lectores ad D. Dupin, ad D. Abbatem Fleury, & principue ad R. P. Dominum Ceillier, qui analysim fecit horum Operum omni servata præcisione & diligentia, quæ desiderari potest. Nihilominus ostendo quandoque finem, quem sibi Patres proposuerunt in quibusdam Tractatibus, res quas pertractant, rationes quibus utuntur, viros tandem cum quibus vel contra quos disputationem ineunt; hæc omnia enim existimavi valde prodesse posse pro intelligentia locorum quæ affero. Habes modo omnem fere ideam Operis quod publici juris facio.

Accipe modo dispositionem hic servatam. Expono seorsum Doctrinam cujuscumque Patris. Initium duco ab aliquo examine, quod præmitto circa numerum & qualitatem Operum, quorum Doctrinam trado; & fere semper pauca verba habeo de ingenio & stylo Auctoris de quo agitur. Deinde ex ejusdem scriptis exprimo totum id quod magni momenti ibi continetur circa Dogma, Mores, & Disciplinam. In tres distinctas Sectiones divido textus illos, qui tres hos articulos respiciunt, si quando materiam adinveniam, unde integram sectionem in unoquoque eorum efformem. Rursus divido tres istas Sectiones in multa capita juxta varietatem subjecti de quo pertractat S. ille Pater, quem præ manibus habeo; & quandoque etiam hæc capita in tot diversos articulos quot sunt diversæ quæstiones, quæ ad idem essentiale punctum tendunt. At postremas has duas divisiones omitto, quando agitur de quibusdam Auctoribus, quorum fere nihil habemus; & ultimam divisionem præcipue sequor, quando multitudo & longitudo Operum ejusdem Patris id exigunt. Exordium ducam ab Epistola adscripta D. Barnabæ, qui inter Scriptores primi Sæculi Ecclesiæ recensetur, licet certo non constet, eumdem esse verum auctorem illius epistolæ. Deinde gradum faciam ad Pastorem Hermæ qui veluti secundum monumentum Antiquitatis Ecclesiasticæ traducitur; & sic ordinarim usque ad D. Bernardum, si Deus largiatur vitam & vires necessarias ut Sanctum hunc Doctorem duodecimi Sæculi attingam. Inutile foret hic admonere lectorem, me nihil dicturum de illis Auctoribus, in quorum scriptis nec Dogma, nec Moralis Disciplina aut Ecclesiastica pertractatur: hæc enim tria objecta unice præ oculis habeo.

Dispositio servata in hoc Opere.

Cæterum huic Operi manum dum admoverem, id in animo habui, & veluti scopum mihi proposui, præter meam instructionem, & peculiarem meam spiritualem utilitatem, ut facile redderem studium SS. Ecclesiæ Doctorum, eorumque intelligentiam iis, qui & otio carent & via eos legendi in propriis fontibus. Omnes ii, qui fidelibus regendis ac instruendis tum sermonibus, tum exhortationibus præsunt; qui Animarum directioni attendunt; qui nullis parcunt laboribus ut Theologiam pleno in lumine collocent; uno verbo omnes Ecclesiastici, & sæculares etiam viri, qui in Sanctorum scientia instrui desiderant, qui ad cognitionem veritatum Religionis Christianæ aspirant, qui denique propriæ sanctificationi serio incumbunt; ii omnes, inquam, lætabuntur adinvenientes in aliquibus voluminibus quidquid pulchri, sani, & religiosi prope innumeris in magnis voluminibus Patres nobis reliquerunt; lætabuntur conspicientes in uno solo Opere quidquid Dei Spiritu suggerente Doctissimi isti viri sæculorum decursu scripserunt; videntes veluti in unico libro collectas & certo ordine dispositas egregias sententias, sanctasque veritates, quæ innumeris in scriptis sunt dispersæ, quarum lectio impossibilis esset, licet scripta hæc apud omnes extarent. Sicuti autem nihil magis deside-

Totius Operis Scopus.

randum eſt, quam ut reviviſcant noſtris hiſce temporibus ſancti iſti ac docti Viri, Eccleſiæ ornamentum ac decus; ita nil magis opto, quam effici *echo* eorum vocis efficaciſſimæ, dum illos gallico ſermone (*) loquentes induco. Si autem vocem iſtam percipere cupit Lector ea ratione, quæ ei proſit, & ſpiritualem ejus ſalutem operetur, deponat illico præjudicia, paſſionibus ſilentium indicat, cor emundet, Orationi vacet, de ſeipſo diffidat, & præcipue interiori homini componendo ſedulo incumbat, & praxi illarum veritatum, quas inde percipiet. Hac igitur lectione edificat Homo chriſtianus ſibi ipſi abrenuntiare, præponere Jeſu Chriſti tormenta omnibus terræ deliciis, crucifigere ſuam carnem, affligere ſuum ſpiritum, humiliari ad Dei & hominum præſentiam, & omnes charitatis, ac pietatis chriſtianæ actus exequi: Siquidem NON INTRATUR IN VERITATEM, NISI PER CHARITATEM.

(*) In hac editione omnia latine dabimus.

LECTORI

MONITUM.

SICUTI in hoc Opere elucubrando insudavimus in ostendenda unanimi consensione SS. Ecclesiæ Patrum circa omnia Religionis capita; hinc ut facilius id executioni mandetur, ad calcem hujus Præfationis nostrum esse duximus adnectere Indicem, qui Sectiones amplectatur, Paragraphos, Capita, & Synopsim materiarum, quas quisque peculiaris Pater pertractat. Poterit Lector hujus Indicis ope, & materias, circa quas diversi Auctores scripserunt, & modum, quo id peregerunt, uno eodemque tempore intueri. Si de Scripturis sacris, exempli caussa, sit sermo, non solum deprehendet Lector, S. Clementem, S. Ignatium, S. Justinum aliosque de hoc subjecto verba fecisse; sed deprehendet insuper, accuratiorem unanimem consensionem in iis desiderari non posse. Hic est usus hujus Indicis, hic finis quem nobis proposuimus in eo conficiendo.

NOMINA PATRUM,

Quorum Doctrina hoc Volumine continetur.

SANCTUS BARNABAS, Apoſtolus.
HERMAS.
S. CLEMENS, Primus hujus nominis Papa.
S. IGNATIUS, Epiſcopus & Martyr.
S. POLYCARPUS, Epiſcopus Smyrnenſis & Martyr.
S. JUSTINUS, Philoſophus & Martyr.
ATHENAGORAS, Philoſophus Chriſtianus.
THEOPHILUS, Patriarcha Antiochenus.
TATIANUS ASSYRUS, Diſcipulus S. Juſtini.
S. IRENÆUS, Epiſcopus Lugdunenſis & Martyr.
S. CLEMENS, Presbyter & Catechiſta Alexandrinus.
TERTULLIANUS, Presbyter Carthaginenſis Eccleſiæ.

INDEX

Sectionum, Paragraphorum, Capitum, & Summariorum hujus Primi Voluminis.

DOCTRINA SANCTO BARNABÆ ADSCRIPTA.

DOCTRINA

SANCTI CLEMENTIS

Primi hujus nominis Papæ. 9

SECTIO I.

SECTIO II.

DOCTRINA

SANCTI IGNATII

Episcopi & Martyris. 14

SECTIO I.

§. 6. Mar.

DOCTRINA

THEOPHILI,

Patriarchæ Antiocheni. 44

SECTIO I.

SECTIO II.

DOCRINA

TATIANI SYRI. 50

SECTIO I.

SECTIO II.

DOCTRINA

SANCTI IRENÆI,

Episcopi Lugdunensis, & Martyris. 53

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

SECTIO I.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

CAPUT SEPTIMUM.

Ratio-

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

CAPUT SEPTIMUM.

CAPUT OCTAVUM.

CAPUT NONUM.

SECTIO II.

Neces-

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

CAPUT SEPTIMUM.

CAPUT OCTAVUM.

APPENDIX

DOCTRINA TERTULLIANI

SECTIO I.

CAPUT PRIMUM.

C A-

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

CAPUT SEPTIMUM.

CAPUT OCTAVUM.

CAPUT NONUM.

ARTICULUS PRIMUS.

ARTICULUS SECUNDUS.

ARTICULUS TERTIUS.

CAPUT DECIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Ter-

ARTICULUS SECUNDUS.

ARTICULUS TERTIUS.

CAPUT UNDECIMUM.

CAPUT DUODECIMUM.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

INDEX

Sectionum, Paragraphorum, & Summariorum contentorum in Doctrina Constitutionum Apostolicarum.

SECTIO PRIMA.

SECTIO II.

A P P E N D I X

In qua traditur quidquid notabilius in Canonibus Apoſtolicis continetur.

F I N I S.

DOCTRINA CONSTITUTIONUM APOSTOLICARUM.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

I. ANtequam loquamur de Doctrina Patrum, quam ordine nunquam interrupto tradere in animo est, præmittendam esse duximus Doctrinam Constitutionum Apostolicarum, quæ etsi non uno in loco primævam Ecclesiæ antiquitatem sapiant, nihilominus nonnisi tertio aut quarto sæculo adscribi possunt, juxta id quod insigniores Critici sentiunt. Constat siquidem 1. falso Apostolicarum nomen præseferre, si velit quis inde deducere, ab Apostolis exaratas fuisse: quis enim unquam sibi persuadeat, tamdiu delituisse, ac per duo prima Ecclesiæ sæcula altum de illis fuisse silentium? Interim nullibi constat illarum meminisse ullum auctorem
Hæref. 29. 70. 75. 80. ante quartum Sæculum jam vergentem ad finem. S. Epiphanius, primus qui perspicue de his loquitur, id quod inquirimus non resolvit, eique sat est supponere ubique, ab Apostolis eas fuisse conscriptas, attento rei examine omisso. Verum quidem est, Eusebium (*a*) & S. Athanasium (*b*) loqui de Opere, cui titulus, *Doctrina Apostolorum*: at quis ariolari potest, Opus hoc a Constitutionibus Apostolicis non differre? Et quando etiam id certum esset, nullum ferret suffragium opinioni eorum, qui eas Apostolis adscribunt; quippe duo hi auctores inter apocrypha Opera illas recensent. Præterquam quod Opus illud seipsum aperte prodit: ibi enim sermo est de Lectoribus, de Cantoribus, aliisque Clericis qui Diaconis inferiores sunt; quod sane ad Apostolica tempora referri nequit; quando nemo ad inferiores istos Ordines constituendos animum intendebat. Hinc Constitutiones istæ quosdam continent articulos, qui falsitatis evidenter arguuntur: exempli caussa Baptismum ab Hæreticis collatum esse nullum; improbum Regem esse Tyrannum, minime vero legitimum Principem; nequam Episcopum non esse vere Episcopum. His omnibus addimus, in Apostolicis Constitutionibus stylum & characterem deprehendi, qui Apostolis nequaquam conveniunt.

II. Fatendum nihilominus est, hasce Constitutiones vitiatas ac corruptas ab Hæreticis fuisse, ut Græci animadvertunt in eorum Trullano Concilio habito ann. 692. & ex hoc conjicimus, quod Constitutiones, quæ ad nos usque pervenerunt, possunt utique eædem esse ac illæ, de quibus loquitur S. Epiphanius, quamvis S. hic Doctor nonnulla de Constitutionibus sui ævi referat, quæ de iis quæ apud nos extant recitari nequeunt; sed exinde certo non constat quonam tempore illas Hæretici vitiaverint. Qui uberiora hac in re desiderat, adeat Auctores qui ex professo Criticam hanc quæstionem illustrarunt, ut sunt D. Cotelerius, aliique. Cæterum, Opus hoc in octo libros dividitur, quorum primus agit de Obligationibus Fidelium; secundus de Obligationibus Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum; loquitur tertius de Viduis & de Baptismo; quartus illos respicit qui eleemosynas largiuntur, & eos qui illas recipiunt; quintus est de Martyribus, & de aliquo alio Disciplinæ puncto circa celebrationem Paschatis; sextus est adversus Hæreticos & Schismaticos, & sermo ibi est etiam de veteri Lege; septimus loquitur de Eucharistia, & de modo sacris Mysteriis initiandi; octavus est de Ordinationibus Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & de Liturgiæ precibus. Ad calcem postremi hujus Capitis habentur Canones Apostolici, qui varia comprehendunt Decreta primis Ecclesiæ sæculis concinnata, sed quorum collectionem, qualis apud nos modo existit, nemo ante tertium sæculum potuit peragere. Patres Concilii Trullani omnes hos Canones amplectuntur veluti Canones Apostolicos; aperte id declarant in secundo Canone hujus Concilii; Latini autem per longum tempus nullum ex his receperunt, & tantum post Collectionem Dionysii Exigui quinquaginta primis subscripserunt, cæteris omnino omissis. Nostrum modo erit in medium adducere quidquid notabilius pro re theologica in illis potest deprehendi.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA ET MORALIA.

§. I.

DOGMA.

I. PAucissima in Constitutionibus Apostolicis habentur, quæ Lectoris attentionem promereantur circa Dogma aut Mores. Quoad Dogma, en primo loco quid observatione dignum ibi occurrit supra S. Scripturam. Auctor Constitutionum contendit, adinveniri in Divinis Libris quidquid rationabiliter desiderari potest legendum. „ Quid tibi deest in „ Lege Dei, ut ad illas Gentium fabulas appellas In sacris
„ animum? Sive enim Historica percurrere cupis, Libris adinvenitur
„ habes Regum libros: sive Sophistica & Poetica, quidquid
„ habes Prophetas, Jobum, Proverbiorum scripto- desiderari
„ rem; in his plus industriæ, quam in omni Poe- potest in
„ si, & Sophistarum argutiis reperies: sive Lyrica genere lectionis.
„ expetis, habes Psalmos: sive antiquas origines, Lib. 1.
„ habes Genesim: sive Leges ac Mandata, inclytam Constitut. cap. 6.
„ Domini Dei Legem habes. „ Nulla ergo excusatio iis remanet, qui prægustare valent lectionem sacrorum Librorum; & solus ille qui mentem & cor corruptum gerit, potest in profanis libris id inquirere, quod in divinis Scripturis tam perfecte exaratum adinvenitur.

II. Auctori Constitutionum ita persuasum erat Lectio Sacræ Scripturæ pultimulta commoda ex lectione sacrorum Librorum repor-

(*a*) Lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 25.

(*b*) Epist. Pasch. & Synopsis tom. 2. Edition. Parisien.

...tio præscripta. Lib. 4. cap. 11.

portari, quod orat & obtestatur Patres ac Matres, ut proprios filios ab infantia sacram doceant Scripturam, hancque in eorum manibus ponant: *Filios vestros*, ait ille, *edocete verbum Domini . . . ab infantia docete eos litteras sacras . . . & omnem divinam Scripturam tradite*. Postrema hæc verba sunt animadversione digna. Cæterum, vetustus iste mos, quo legenda tradebatur pueris S. Scriptura, aptissimus erat ad veros Christianos efformandos: & utinam nostris hisce diebus vigeret, una cum pietate, quæ proficuam fidelibus hanc lectionem efficiebat.

Hæreticorũ Pictura. Lib. 6. cap. 18.

III. Horribilem Hæreticorum picturam Auctor hic nobis exhibet. Hi sunt adversarii Ecclesiæ, Hypocritæ, Antichristi, falsi Doctores: hi Spiritum gratiæ blasphemia afficiunt; magis irreligiosi sunt quam Judæi, & magis impii ac athei quam Gentiles: hi Deum super omnia existentem maledictis appetunt, & Filium ejus conculcant, & Spiritus Doctrinam despuunt. Observemus hic obiter distinctionem trium divinarum Personarum. Noster hic Auctor arguit etiam Hæreticos, eo quia divinos sermones negant, aut per simulationem recipere se profitentur; in contumeliam Dei, ac fraudem ad eos accedentium; quia sacras Scripturas contumeliose tractant, & Ecclesiam Dei devastant: hi sunt occulti lupi, canes muti non valentes latrare: *Qui nunc quidem*, addit tandem, *pauci sunt; procedente vero tempore, & mundi consummatione appropinquante, plures ac molestiores erunt*. Jamdiu Vaticinium hoc litteraliter completum videmus.

Jesus Christus non solvit legem, sed adimplevit. Ibid. c. 22.

Cap. 23.

IV. Jesum Christum legem non solvisse; veritas est, quam docet Auctor Constitutionum adversus errorem oppositum Simonis Magi: *Non enim Jesus Christus*, ait ille, *solvit legem, ut Simon arbitratur, sed adimplevit*; quod quidem intelligendum est de præceptis Moralibus, qui originem trahunt a lege naturali, quam Salvator auctoritate sua confirmavit, non vero sustulit: *Legem enim naturalem non sustulit, sed confirmavit*. Qui enim tunc vetuit homicidium; nunc etiam iram immerito susceptam vetat: qui adulterium; nunc pravam quoque cupiditatem. *Non ergo legem a nobis abstulit*, concludit hic Auctor, *sed vincula*. Vera differentia inter duo Testamenta hic innotescit.

Baptismus Infantium. Lib. 6. cap. 15.

Adversus eos qui differunt baptizari. Ibid.

Meritum Baptismi Sanguinis. Lib. 5. cap. 6.

V. Supra Baptismum, Constitutiones docent, 1. oportere baptizare infantes: *Sed & baptizate pueros vestros*; quod ille confirmat auctoritate Salvatoris, qui ait in Evangelio: *Sinite parvulos venire ad me, & nolite eos prohibere*. 2. Eos, qui propter contemptum nolunt baptizari, tanquam infideles condemnat, & eos qui dicunt, cum moriar curabo ut baptizer, damnat ut Deum ignorantes, & naturæ suæ immemores. 3. At quando Baptismus recipi non potest, Martyrium supplet defectum aquæ, & Catechumenus qui martyrio dignus est habitus, trepidare non debet quia decedit sine salutari hoc lavacro; Baptismus enim sanguinis, qui eum manet, maxime excellit Baptismum aquæ: in primo siquidem ipse realiter Jesu Christo commoritur, in secundo vero, hoc est qui baptizantur, commoriuntur tantum figura: *Quamvis Catechumenus sit, (qui martyrio dignus est habitus) sine tristitia excedat; passio enim pro Christo perlata erit ei sincerior Baptismus: quandoquidem ipse revera . . . . Christo commoritur, reliqui vero figura tantum*, 4.

Enormitas illegitimarũ Rebaptizationum. Lib. 3. cap. 15.

Rebaptizationes illegitimæ absolute prohibentur, & ii qui Baptismo initiatos secundo nituntur baptizare, iterum Dominum, ut ibi legitur, crucifigunt, iterum eum interficiunt, divina irrident, deludunt sancta, contumelia afficiunt Spiritum sanctum illum sanguinem ut communem inhonestant: *Impie agunt in eum qui misit, in eum qui passus est, in eum qui testimonium perhibuit*. Exhibentur hic denuo cum distinctione tres Personæ Sanctissimæ Trinitatis. 5. Etsi verum sit, Auctorem Constitutionum superius docere, quod oporteat iterum baptizare illos qui per manus Hæreticorum, aut impiorum Baptismum receperunt; id tamen tradit supponens hujusmodi Baptismum nullum esse ac invalidum: quem errorem damnavit Ecclesia in S. Cypriano, aliisque hujus opinionis tutoribus. Hujusmodi autem Constitutiones nondum extitisse tempore eximii hujus Episcopi, vel ad minus veluti Apostolicas receptas non esse, nullamque in Ecclesia auctoritatem tunc habuisse, validissime ex eo probatur, quod qui tuebantur, iterum baptizandos esse ab hæreticis vel impiis baptizatos, nunquam earumdem auctoritate usi sunt in propriæ opinionis tutellam.

Perseverantia justitiæ Christianæ. Lib. 2. cap. 7.

VI. *Scitote, charissimi*, inquit alibi Auctor Constitutionum, *quod qui in mortem Domini Jesu sunt baptizati, non debent amplius peccare*. Et paulo infra: „ Itaque, fratres, non credimus quempiam „ vitæ lavacro lotum, adhuc iniquorum flagitiis se „ inquinare. „ Hujus rationem ibi tradit, quia scilicet qui per Baptismum cum Jesu Christo mortui sunt, tantum debent a peccato abesse, quantum qui corporaliter mortui sunt. *Nam sicut peccati capaces non sunt, ita & Christo commortui peccatum committere nequeunt*. Concedit nihilominus, quod qui post divinam hanc regenerationem peccatis se inquinaverunt, possunt iterum eorum remissionem obtinere, si resipiscant, ac peccare desinant. Quomodo conciliari id poterit cum ignavia, ac flagitiosa indulgentia eorum animarum moderatorum, qui scrupulis angerentur si alicui absolutionem denegarent, & summa indifferentia frequentes intuentur relapsus fictorum pœnitentium, qui ad eos accedunt?

Omne peccatum est remissibile. Lib. 2. cap. 23.

VII. Licet justam hanc severitatem in nostro auctore ostendamus; expresse nihilominus alio in loco tradit, omne peccatum esse remissibile, & nullam dari culpam, cujus veniam consequi non possimus: „ Gravius, inquit ille, delictum Idololatria non „ reperitur: est enim in Deum impietas: „ *nihilominus tamen & illud per sinceram pœnitentiam condonatum est*. Excipit autem ab hoc generali principio peccata, quæ quis committit, dum instructa veluti acie rebellis delinquit, tentans Deum: *Hujusmodi venia carebit*. Conjici hinc potest, quam enorme sit peccatum contemptus Dei. Nemo tamen credat, hujusmodi peccata irremissibilia esse absolute: sed eo magis horrere ista debemus, quo solent ad extremam ducere impœnitentiam, quæ vere ac proprie est solum crimen, cujus remissio obtineri nequaquam potest.

Dignitas Episcopalis. Lib. 2. cap. 11.

Superioritas Episcopi. Lib. 2. cap. 24.

Episcoporum munera. Lib. 8. cap. 28.

Presbyterorum & Diaconorum munera. Lib. 3. cap. 20.

VIII. Nihil sublimius Episcopali dignitate, juxta ea quæ Constitutionum Auctor tradit, excogitari valet. Episcopus in hoc sæculo Dei vices fungitur: *Inter homines figuram obtinet Dei*. Eminet sacro suo charactere super omnes homines, ne ipsis quidem exceptis Regibus ac Principibus, qui debent ei subjici (in spiritualibus) cum cæteris hominibus: *Præsidendo cunctis mortalibus, Sacerdotibus, Regibus, Principibus . . . qui omnes pariter sibi subjecti sunt*. Nec solum laici Episcopo subjiciuntur, sed & Presbyteri ipsi, Diaconi, & Clerici omnes: *His omnibus superior existit Pontifex*. Nemo ergo, cujuscumque status ac conditionis sit, potest legitime se subducere a spirituali jurisdictione Pontificum Jesu Christi. Eorum munera sunt benedicere, manus imponere, ordinare, offerre, deponere omnem Clericum dignum qui deponatur. Presbyterorum munera sunt docere populum, offerre, baptizare, & fideles benedicere. Diaconorum munera sunt Episcopo & Presbytero ministrare; cætera peragere Diacono interdicitur. Alibi videbimus quæ ad Ordinationem Episcoporum & aliorum Clericorum spectant.

Veneratio Sanctorum reliquiis debita. Lib. 6. cap. 30.

Preces pro Defunctis. Ibid.

IX. Supersunt quoad Dogma duo articuli, quorum unus respicit venerationem, quæ debetur reliquiis Sanctorum, alter vero preces pro Defunctis. Ad reliquias Sanctorum quod attinet, tradit noster hic Auctor, honorem & venerationem iis deberi: *Igitur eorum qui apud Deum vivunt, nec reliquiæ pretio ac honore carent*: & utitur auctoritate libri quarti Regum, ubi narratur cap. XIII. ossa Elisæi suscitasse mortuum: *Quod certe non accidisset, nisi corpus Elisæi sanctum esset*. Quoad alium articulum, Fidelibus commendat, ut congregentur in Cœmeteriis, & ibi psallant pro Defunctis. De hac re sermo erit pariter quando de Cæremoniis Liturgiæ, & de aliis Disciplinæ punctis agemus.

§. II. Mo-

§. II.

MORES.

Obligationes Episcoporum. Lib. 2. cap. 20.

I. QUoad rem Moralem octo solum vel novem articulos habemus in Apostolicis Constitutionibus. Et ut ab Episcoporum obligationibus incipiamus, edicitur ipsis, ut pœnitentes humaniter recipiant; fideles ut filios diligant, naturalis charitatis studio prosequantur, ac foveant, quasi ova ad exclusionem pullorum, aut quasi pullos sinu complectantur; cunctos admoneant; omnes qui castigatione indigent lædentes, sed non illidentes, eos qui ex fide vacillante laborant, per doctrinam curent; spiritualiter ægrotos sanent; peccatores delictis deterreant, & optima spe repleant, & jam robustos in Ecclesiam restituant, atque reducant ad ovile. „ Episcopus, prosequitur, delictum alterius, „ quasi proprium consideret, & peccatori dicat: tu „ modo fac convertas, & ego mortem tibi debi„ tam suscipiam, quemadmodum Dominus pro me, „ & pro omnibus mortuus est. Cum ergo sis Ec„ clesiæ Domini medicus, singulis ægrotis conve„ nientem medicinam adhibe, omni modo cura, „ sana, sospites redde Ecclesiæ. Pasce gregem, „ non imperiose cum ludibrio, quasi potestatem „ exercens, sed ut benignus Pastor, in sinum agnos „ congregans, & fœtas refocillans. „ Si quis attente consideraverit magnitudinem & extensionem harum omnium obligationum Episcopali dignitati adhærentium, quam arduum sit Episcopale munus integre obire, sine ullo negotio deprehendet.

Adversus Excommunicationes injuste latas. Ibid. c. 21.

II. Ecclesiæ Pastores prompti quidem esse debent ad ejiciendos peccatores qui corrigi nequeunt, sed prompti etiam ad recipiendos conversos, & mites ad medendum dolentibus. Qui prudentiæ legibus neglectis nimio æstu abripiuntur, & indiscriminatim inculpatum cum sceleroso eliminant, hi sunt homicidæ, immo homicidis ipsis truculentiores: *Qui innocentem ejicit*, ait Auctor hic, *homicida truculentior est*. Addit deinde ad eorum solamen, qui injustis excommunicationibus sunt irretiti, quod Regnum Dei possidebunt. *Justus quippe injuste a quoquam occisus, apud Deum requiescet in æternum; & simili modo, qui ab Episcopo perperam fuerit excommunicatus*. Est igitur quoddam Martyrii genus excommunicationem injustam perferre: ex quo sane Pastores animarum intelligent, consideratione multa opus esse in judiciis ferendis adversus fideles.

Subjectio & Fidelitas Principibus terræ debita. Lib. 4. cap. 13. Error periculosus circa qualitatē Regis, &c. Lib. 8. cap. 2.

III. Christianis præcipit, ut subjecti sint Regibus ac Principibus, tamquam ministris Dei, & punitoribus impiorum: vult autem, ut subjecti sint tantum in rebus quæ placent Deo, ne mandata Dei transgrediantur ut illis obsequium præstent: *Omnibus Regibus ac Principibus, in rebus quæ placent Deo, subjecti estote*. Cæterum, probari mihi non potest, quod alibi docet, Regem scilicet impium, amplius non esse Regem, sed tyrannum. Propositio hæc turbas excitare nata est, & amplecti nequit, quin incommoda multa sequantur, & mirabilis ordo a Deo positus subvertatur. Nunquam Apostoli sic locuti sunt; immo in suis scriptis oppositum docent.

Mulieres debent in timore & charitate viris suis inservire. Lib. 6. cap. 29.

IV. Mulieribus præcipit, ut subjectæ sint viris suis, eos in honore habeant, ac in timore & charitate eis serviant; non secus ac Sara, quæ Abrahamum non ausa appellare ex nomine, eum Dominum vocavit: *Mulieres, estote subjectæ viris vestris, eosque in honore habete, ac in timore & charitate servite illis, quemadmodum sancta mulier Sara Abrahamum honorabat, ne ex nomine quidem eum ausa appellare, sed Dominum eum vocans dicendo: Dominus autem meus senex est*. Similiter viros hortatur ad amorem erga suas uxores, ut ament eas ut proprium corpus, ut propria membra, ut vitæ socias, & ad liberorum susceptionem adjutrices; nullum autem verbum occurrit ibi de honore a viris præstando mulieribus; quod ostendit Viri supra mulierem imperium.

Eleemosyna edacibus, crapulæ deditis, otiosis impertiri non debet. Lib. 2. cap. 4. Adversus fictos pauperes. Lib. 4. cap. 3.

V. Fidelibus prohibetur elargiri eleemosynam iis, qui inopia victi premuntur quia edaces sunt, aut crapulæ dediti, aut otiosi: immo si Constitutiones attendamus, isti Ecclesia Dei digni non sunt. Ficti pauperes, ii scilicet, qui nulla interveniente justa caussa subsidium accipiunt, Deo pœnas persolvent, quia veris pauperibus illud surripiunt. „ Qui „ vero habet, ait Constitutionum Auctor, & in „ hypocrisi capit, aut propter inertiam, cum debe„ ret ex opere suo etiam alios adjuvare; is Deo „ pœnas persolvet, quia pauperum bucellam rapuit. Proprie siquidem furatur, qui absque vera indigentia eleemosynas recipit.

Et in quo sensu iniquorū suavitas sit fugienda. Lib. 2. cap. 14.

VI. Quando dicitur fugiendam esse communionem cum peccatoribus, intelligere debemus fugiendam esse communionem operum cum ipsis, non sermonis societatem. Siquidem in hoc mundo justi & injusti simul congregantur, vitæ communitate; qua in caussa amici Dei non peccant; neque ullum inde periculum viro justo: *Unusquisque de seipso confitebitur ac respondebit, neque justum cum injusto Deus perdet*. Veritas hæc est observatione digna.

Adversus sermones turpes & scurriles. Lib. 5. cap. 10.

VII. Sermones vani ac turpes Christianis prorsus interdicuntur, & Auctor Constitutionum terribilibus his verbis loquitur: *Christianus quippe fidelis, neque cantilenam ethnicam debet effari, neque canticum meretricium; siquidem continget ei, ut inter cantilenam memoret diabolica idolorum nomina, & pro Spiritu Sancto, spiritus nequam invadet eum*. Terribiles hujusmodi consequentiæ, licet communiter sub sensu non cadant, valde pertimescendæ sunt; & si nonnullos Christianos hisce periculis se exponentes videmus, in caussa est, quia id solum apprehendunt, quod sensibus subjicitur.

Adversus vanos ornatus. Lib. 1. cap. 3.

VIII. Id quod Auctor Constitutionum nos docet circa vanos ornatus, finem Moralibus hisce Doctrinis imponet. Ait itaque, hominem, qui vanis ornatibus utitur, semper peccare, sive id agat ut illaqueet mulieres, sive absque ullo pravo fine. Idem dicendum de Mulieribus relate ad homines. Interdicitur istis comas nutrire, & barbæ pilum corrumpere. Vanis istis ornatibus qui incumbit, Legis violator est, juxta Auctorem Constitutionum, & est execrabilis apud Deum; præcipue si id faciat ut iis, qui diversi sunt sexus, placeat. In S. Clemente Alexandrino nonnulla his similia occurrent.

SECTIO II.

ECCLESIÆ DISCIPLINA.

§. I.

BAPTISMUS.

Tempus Catechumenatus. Lib. 5. cap. 32.

INter varias Disciplinæ regulas, quas D. Paulo Auctor Constitutionum adscribit, circa Catechumenos, notabilis ea est, quod præscribit iis tres annos ut instituantur, antequam e sacro regenerationis fonte suscipiantur: *Qui erit Catechumenus, per tres annos Catechesi informetur*. Quod si, prosequitur idem Auctor, studiose se gerit, & rei desiderio tenetur, admittatur: quia non tempus, sed vitæ institutum perpenditur: sed per jejunium ad Sacramentum hoc suscipiendum disponi debet: *Cæterum ante Baptisma jejunet, qui baptizatur*.

Jejunium pro Catechumenis. Lib. 7. cap. 22.

Caeremoniæ Baptismi. Ibid. cap. 40. & seqq.

Cum Catechumeni perfecte callent ea omnia quæ scire & facere tenentur, initium ducunt abrenuntiando Satanæ, ejus operibus, ejus pompis, ejus cultui, angelis ejus, & omnibus iis quæ ad illum pertinent: deinde declarant se Jesu Christo adhærere, & veram fidem profitentur: quibus peractis unguntur Oleo sancto, deinde baptizantur aqua, & tandem signantur sacro Chrismate: illico qui recenter sunt baptizati Orationem Dominicam stantes recitant & ad Orientem conversi, quam subsequitur alia Oratio, quæ sic habet: Deus Omnipotens, Pater Christi tui, Unigeniti Filii tui; da mihi corpus immaculatum, cor mundum, mentem vigilem, &c. Mulieres nequeunt ministrare hoc Sacramentum nisi in sola necessitate; & si aliquæ id agere præsumant, non mediocri in periculo versantur, ajunt Constitutio-

Prohibetur Laicis, & etiam Clericis,

qui inferiores sunt Episcopis & Presbyteris, conferre solemne Baptismum. Lib. 3. cap. 10. 11.

tutiones; immo rem committunt, quæ est illicita & impia. Idipsum interdicitur omnibus Laicis, omnibus pariter Clericis, qui Episcopis ac Presbyteris sunt inferiores: *Sed nec Laicis permittimus ... baptisma ... sed neque Clericos baptismum conferre volumus ... nisi solos Episcopos & Presbyteros, ministrantibus Diaconis*. Hic Constitutionum locus evidentissime probat, has Apostolorum Opus non esse; quippe Diaconis id prohibetur, quod Apostolorum ævo ipsis permittebatur. Fateri oportet nihilominus, non diu hoc privilegio potitos fuisse, ut ostendi potest hoc S. Ignatii textu, de quo suo loco verba faciemus: *Non licet nisi Episcopo, aut baptizare, aut sacra facere*. Ex quo eruitur, Episcopum tunc temporis fuisse solum ordinarium Baptismi Ministrum, & Diaconos, ac Presbyteros etiam ipsos non potuisse Sacramentum hoc ministrare, nisi de consensu & auctoritate Episcopi, ut perspicue comprobatur ex his Tertulliani verbis, quæ infra afferemus: *Dandi quidem (Baptismi) habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus; dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate*.

§. II.

POENITENTIA.

Modus imponendi Pœnitentiam, & absolvendi peccatores.

MOdum nunc tradimus, quo Episcopus imponebat pœnitentiam peccatoribus prolapsis in crimina publicæ pœnitentiæ obnoxia. Episcopus jubebat eos ejici foras, hoc est excommunicatione mulctabat; tum Diaconi detinentes illos extra Ecclesiam, pro ipsis rogabant Episcopum. Tunc ipse ad preces Diaconorum jubebat eos ingredi, & examine facto, an ducerentur pœnitentia, & digni essent qui in Ecclesiam omnino admitterentur, affligebat jejuniis per dies hebdomadarum aut duarum, aut trium, aut quinque, aut septem, pro ratione delicti. Modus hic publicam imponendi pœnitentiam vetustissimus est, & quidem ante Tertullianum vigebat, quippe tunc majori solemnitate & imponebatur, & peragebatur publica hæc pœnitentia, ut ex Doctrina hujus Patris aperte constabit.

§. III.

ORDINES.

Ministri Ordinationis. Lib. 3. cap. 20.

I. JUxta Auctorem Constitutionum debet Episcopus ordinari a duobus vel tribus Episcopis: *Episcopum vero præcipimus ordinari a tribus Episcopis, aut ut minimum a duobus; non licere autem ab uno constitui*. Mandat insuper, ut Presbyter & Diaconus, ac reliqui Clerici, ab uno Episcopo ordinentur; & ut nec Presbyter, nec Diaconus Clericos ex Laicis ordinent. Ex modo adductis iterum demonstratur, Constitutiones istas Apostolis falso adscribi; & ex eo præcipue id demonstratur, quia duo hic, vel tres Episcopi requiruntur ad alterius Episcopi consecrationem, quando Apostolorum ævo, & illis etiam vita functis, ab uno Episcopo alterius Episcopi consecratio peragebatur. Cum igitur hujusmodi consecrationes per unum Episcopum peractæ probarentur ab Ecclesia, consequens est, Constitutiones tunc temporis non extitisse, aut auctoritate caruisse; ideoque ut Apostolorum Opus non admittebantur.

Cæremoniæ Consecrationis Episcoporum. Lib. 8. cap. 4. 5.

II. Quando itaque de Episcopi consecratione agebatur, omnes solliciti erant, ut ad hanc dignitatem promoveretur qui esset inculpatus in omnibus, & a cuncto populo eligebatur ut præstantissimus: quo nominato & placente, congregatus populus una cum Presbyteris ac Episcopis qui præsentes erant, in die Dominica consentiebat. Qui inter reliquos præcipuus erat, Episcopus videlicet qui præerat, interrogabat Presbyterium ac plebem, an ipse esset, quem in Præsidem postulabant: & illis annuentibus, iterum rogabat, an ab omnibus testimonium haberet, quod dignus esset magna illa ac illustri Præfectura; cumque universi pariter testificati essent talem eum esse; rursus sciscitabatur, an vere dignus esset ministerio; atque iis tertio assentientibus dignum esse; ac a cunctis petito assensionis signo, & alacriter dato, & tandem silentio facto, unus ex primis Episcopis una cum duobus aliis prope altare stans, reliquis Episcopis ac Presbyteris tacite orantibus, atque Diaconis divina Evangelia super caput ejus qui ordinabatur aperta tenentibus, super electum orabat. Et Oratione completa, reliqui Sacerdotes respondebant, Amen, atque cum eis omnis populus. Et post precationem unus ex Episcopis hostiam offerebat in manus Ordinati; & deinde in loco ac throno ad ipsum pertinente collocabatur, cunctis eum osculantibus, osculo in Domino. Postque lectionem Legis & Prophetarum, Ordinatus Ecclesiam salutabat dicens: Gratia Domini nostri Jesu Christi, Charitas Dei ac Patris, & communicatio Spiritus Sancti, cum omnibus vobis: ac universi respondebant; Et cum spiritu tuo. Cæremoniam hanc proxime sequebatur Liturgia, quam celebrabat recens ordinatus Episcopus. Sed de hac suo loco verba faciemus.

Ordinatio Presbyterorum. Lib. 8. cap. 16.

III. Ad Presbyteri ordinationem quod attinet, Episcopus manus super caput ejus imponebat, adstante sibi Presbyterio, necnon Diaconis, & orans dicebat: Domine Omnipotens ... respice super hunc famulum tuum, qui suffragio ac judicio totius Cleri in Presbyterium cooptatus est, & imple illum spiritu gratiæ & consilii, ut adjuvet ac gubernet populum tuum in corde mundo ... præsta ut erudiat cum mansuetudine populum tuum, serviat tibi sincere, mente pura; & anima volente atque sacra, quæ pro populo celebrantur, inculpate perficiat; per Christum tuum, cum quo tibi gloria, honor, ac veneratio, & sancto Spiritui, in sæcula. Amen.

Ordinatio Diaconorum. cap. 17. 18.

IV. Hæc erat Diaconorum ordinatio. Episcopus imponebat eis manus, adstante sibi cuncto Presbyterio cum Diaconis; & orans dicebat: Deus Omnipotens ... exaudi orationem nostram, & ostende faciem tuam super servum tuum hunc, electum tibi in Diaconatus ministerium; & imple eum Spiritu Sancto & virtute, sicut implevisti Stephanum martyrem, & concede ei, ut cum sibi traditum ministerium, probe, constanter, innocue, ac inculpabiliter administraverit, majore gradu dignus habeatur; mediatore Unigenito Filio tuo &c. Quoad Diaconissas vero, Episcopus imponebat eis manus; & orans dicebat: Deus æterne ... qui spiritu implevisti Mariam, Deboram, Annam, & Holdam ... respice in famulam tuam hanc, electam ad ministerium; & da ei Spiritum Sanctum & munda eam ab omni inquinamento carnis & spiritus, ut opus sibi commissum perficiat condigne, &c.

Ordinatio Diaconissarum. cap. 19. 20.

Ordinatio Subdiaconorum. cap. 21.

V. Subdiaconi pariter ordinabantur manuum impositione facta ab Episcopo, qui sic orabat: Domine Deus, qui in tabernaculo testimonii Æditu os designasti, custodes sanctorum vasorum tuorum; aspice super hunc famulum tuum, qui Subdiaconus creatus est, & da illi Spiritum Sanctum, ut vasa ministerio tuo dicata attrectet pro dignitate, semperque voluntatem tuam faciat. Super Lectores imponebat Episcopus manus, sicut in aliis Ordinationibus, & sic orabat: Deus æterne ... respice super famulum tuum, cui committitur, ut sanctas tuas Scripturas legat populo tuo; & da ei Spiritum Sanctum, Spiritum Propheticum ... per Christum &c. Exorcistæ non ordinabantur; hæc enim certaminis laus, (verba sunt Constitutionum) pendet a libera & bona voluntate, & a gratia Dei per Christum, adventu Spiritus Sancti. Cæterum, alii Clerici omnes, ut modo vidimus, ordinabantur per impositionem manuum Episcopi.

Ordinatio Lectorum. cap. 22.

Nulla aderat Ordinatio pro Exorcistis. cap. 26.

Privilegia cujuslibet Ordinis. cap. 28.

VI. Episcopus deponit omnem Clericum dignum qui deponatur, excepto Episcopo; id enim solus non potest. Presbyter non deponit; segregat autem ac excommunicat inferiores, si eam pœnam mereantur. Diaconus non offert, sed cum Episcopus aut Presbyter obtulit, dat populo, non tamquam Sacerdos, sed tamquam ministrans Sacerdotibus. Nulli autem ex reliquis Clericis licet opus Diaconi facere. Diaconissa dumtaxat januas custodit, & Presbyteris, quando baptizantur mulieres, ministrat, propter decorem. Diaconus excommunicat Subdiaconum; Subdiacono autem non licet segregare neque Lectorem ... neque Laicum; ministet enim

est

Matrimonium permissum Clericis inferioribus, post eorum ordinationem. Lib. 6. cap. 17.

est Diaconi. Ex modo allatis regulis constat, eas post tempora Apostolorum fuisse conscriptas. Clericis Discono inferioribus, si ante conjugium ad Clerum accesserint, permittunt Constintiones ut uxorem accipiant, siquidem ad id propensionem habeant: non permittitur autem eis ducere aut meretricem, aut ancillam, aut viduam, aut repudistam.

Quænam eligendæ Diaconissæ. Ibid.

Diaconissa vero eligi debet virgo pudica, sin minus, saltem vidua, unius quondam viri uxor.

Cæremoniæ Liturgiæ. Lib. 8. c. 5. 6. &c.

VII. Videamus modo Liturgiæ cæremonias, quas Constitutiones præscribunt. Post lectionem Legis & Prophetarum Diaconus in excelsum locum ascendens proclamet: *Ne quis audientium. Ne quis infidelium.* Ac silentio facto, dicat: Orate Catechumeni; & omnes fideles pro illis cum attentione orent, dicentes: Kyrie Eleison. Diaconus vero pro eis precetur, dicens: Pro Catechumenis omnes Deum invocemus, ut, qui bonus, ac hominum amans est, benigne exaudiat eorum obsecrationes ac preces, & suscepta eorum supplicatione, opem illis ferat, detque petitiones cordis ipsorum, prout eis expedit; revelet eisdem Evangelium Christi sui, illuminet eos ac instituat ... inserat in eis castum ac salutarem timorem suum; aperiat aures cordis eorum, ut in ejus Lege die ac nocte occupentur; & confirmet eos in pietate; adunet atque annumeret eos sancto suo gregi, donatis iis lavacro regenerationis; liberet illos ab omni impietate ... mundet autem ipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus; inhabitetque in eis atque inambulet; benedicat introitus, ac exitus eorum, atque proposita moderetur iis ad commodum. Adhuc intente pro iis supplicemus, ut remissionem delictorum consecuti per Baptismi initiationem, digni fiant sanctis Mysteriis, & permansione cum sanctis, hoc est, nunquam ab Ecclesia separentur. Hac habita exhortatione, Diaconus dicit: Surgite Catechumeni; Pacem Dei per Christum ejus petite; diem quietum ac sine peccato, itidem omne tempus vitæ vestræ; mortem christianam; propitium ac benevolum Deum; veniam delictorum. Vos ipsos soli Ingenito Deo, per Christum ejus commendate: Inclinate, & accipite Benedictionem. Porro in singulis horum, quæ Diaconus proloquitur, ut jam diximus, populus respondeat: Kyrie Eleison; & ante cunctos pueri. Catechumenis autem capita inclinantibus, Episcopus ordinatus benedicat eis benedictione hujusmodi: Deus omnipotens ... respice super servos tuos, catechizatos in Christi tui Evangelio: da eis cor novum, & spiritum rectum innova in visceribus eorum, ut cognoscant, ac faciant voluntatem tuam in corde pleno, & anima volente: dignare illos initiatione sancta; & aduna illos ad sanctam Ecclesiam tuam; & fac participes divinorum mysteriorum; per Jesum Christum, spem nostram, qui pro ipsis mortuus est, &c. Et post hoc Diaconus dicat: Exite, Catechumeni, in pace.

Sequitur Liturgia. cap. 6. 7.

VIII. Cum Catechumeni exierint, Diaconus dicat: Orate, Energumeni & vexati a spiritibus immundis: intente cuncti pro ipsis deprecemur, ut benignus Deus ... liberet supplices suos ab oppressione ac tyrannide Adversarii ... Deinde dicit Energumenis: Inclinate, Energumeni, atque benedictionem accipite. Et Episcopus deprecetur, dicens: Deus, Fili Unigenite Æterni Patris, qui fortem ligasti; qui dedisti nobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem Inimici ... libera opera manuum tuarum ab alieni spiritus vexatione: quia tibi gloria, honor, ac veneratio, & per te Patri tuo, in sancto Spiritu, in sæcula. Amen. Tum Diaconus dicat: Exite, Energumeni.

Sequitur Liturgia. cap. 7. 8.

IX. His egressis Diaconus proclamet: Orate illuminandi Baptismo, seu Competentes. Intente cuncti fideles pro ipsis deprecemur, ut Dominus dignos eos faciat, qui Baptismate initiati in Christi mortem, cum ipso resurgant ... adunet, & annumeret eos cum iis qui salvi fiunt in sancta ipsius Ecclesia. Serva, & suscita eos in gratia tua. Consignati Deo per Christum ejus, inclinantes se benedicantur ab Episcopo hac benedictione: Deus, qui per Christum sanxisti spiritualem regenerationem, respice in hos baptizandos, & benedic eis, & sanctifica ... ut digni fiant spirituali dono tuo, ac vera adoptione, tuisque spiritualibus Mysteriis .... per Christum Salvatorem nostrum, &c. Et hac Oratione completa dicat Diaconus: Exite qui illuminandi estis.

X. Et post hoc edicat: Orate, Pœnitentes. Intente universi pro fratribus nostris in pœnitentia versantibus precemur; ut misericordiæ studiosus Deus, illis ostendat viam pœnitentiæ, admittat eorum palinodiam, seu retractationem, atque confessionem; & conterat Satanam sub pedibus eorum velociter, liberetque illos a laqueo Diaboli, & violentia Dæmonum, atque ipsos eripiat ab omni sermone illicito, & omni actione turpi, & mala cogitatione; condonet vero illis omnia delicta eorum, voluntaria pariter ac involuntaria ... mundet autem ipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus, atque uniat illos, restituens in sanctum ovile suum ... Adhuc intente omnes pro ipsis dicamus: Kyrie Eleison. Salva eos Deus, & erige misericordia tua. Tum Diaconus dicit pœnitentibus: Suscitati Deo per Christum ejus, inclinate, & accipite benedictionem. Episcopus igitur has preces fundit. Omnipotens Deus æterne ... respice in eos, qui cervicem animæ & corporis inclinaverunt tibi: quia non vis mortem peccatoris, sed pœnitentiam ... Tu igitur, qui Ninivitarum pœnitentiam recepisti; qui vis omnes homines salvos fieri ... qui paternis visceribus suscepisti filium illum, bonorum suorum decoctorem prodigum, ac luxuriosum, quod cum pœniteret facti; ipse nunc quoque accipe supplicium tuorum pœnitentiam ... & restitue illos sanctæ Ecclesiæ tuæ ... per Christum Deum ac Salvatorem nostrum, &c. Post hanc Orationem Diaconus dicit: Abite, qui estis in pœnitentia. Et addit: nemo eorum, quibus non licet, exeat. Qui fideles sumus flectamus genu. Precemur Deum per Christum ejus. Omnes contente Deum per Christum ejus appellemus. — Cap. 8. — Cap. 9.

XI. Incipit hic oratio pro fidelibus. Oremus, prosequitur Diaconus, pro pace & tranquillitate mundi, atque sanctarum Ecclesiarum, ut Deus universitatis, perpetuam & stabilem suam pacem nobis tribuat. Pro sancta Catholica & Apostolica Ecclesia, a finibus usque ad fines extensa, oremus; ut Dominus eam inconcussam, & fluctibus non agitatam conservet, atque tueatur, usque ad consummationem sæculi, fundatam super petram. Et pro sancta hac Parœcia oremus ... Pro universo sub cœlis existente Episcopatu eorum, qui recte dispertiunt verbum veritatis suæ, oremus: & pro Episcopo nostro Jacobo, & Parœciis ejus oremus: pro Episcopo nostro Clemente, ac Parœciis ejus oremus: pro Episcopo nostro Evodio, & Parœciis ejus oremus ... Etiam pro Presbyteris nostris oremus ... Pro universo Christi Diaconio, ac Ministerio oremus ... Pro Lectoribus, Cantoribus, Virginibus, Viduis, & Pupillis oremus: pro iis, qui in Matrimonio, & liberorum procreatione vivunt; pro Eunuchis in sanctitate ambulantibus, pro iis, qui continentem & religiosam agunt vitam, oremus: pro iis, qui in sancta Ecclesia oblationes faciunt, ac eleemosynas pauperibus dant; & pro iis, qui Domino Deo nostro hostias & primitias offerunt; oremus ... Oremus pro recens baptizatis fratribus nostris, ut Dominus eos stabiliat ac firmet. Pro fratribus nostris mala valetudine afflictis oremus. Pro navigantibus, ac iter habentibus; pro iis, qui sunt in metallis, exiliis, custodiis & vinculis; pro acerba servitute oppressis; pro inimicis & odio habentibus nos; pro persequentibus nos propter nomen Domini oremus ... Pro iis, qui foris sunt, ac errore ducuntur, oremus; ut Dominus illos convertat. — Cap. 10.

XII. Infantium Ecclesiæ recordemur; uti Dominus eos in timore suo reddat perfectos, & ad mensuram ætatis perducat. Pro nobis invicem oremus .... Pro omni anima Christiana oremus. Salva & erige nos Deus misericordia tua. Surgamus. Orantes intente, nos ipsos atque mutuo, viventi Deo, per Christum ejus commendemus. Deinde Pontifex sic orat: Domine Omnipotens .... respice in hoc ovile tuum; & libera illud omni ignoran- — Cap. 11.

tantia, & prava actione: & da ut te timore timeat, ac dilectione te diligat, & contremiscat a facie gloriæ tuæ .... Sis auxiliator populi tui hujus, quem redemisti pretioso Christi tui Sanguine... Sanctifica eos in veritate tua; libera eos omni morbo, & omni infirmitate, omni delicto, omni injuria & fraude .... & dignare illos vita æterna, quæ est in Christo Filio tuo Unigenito, Deo ac Salvatore nostro, &c.

XIII. Postea Diaconus dicit: Attendamus. Tum [Ibid.] Episcopus salutat Ecclesiam & dicit: Pax Dei, cum omnibus vobis: & Populus respondet: Et cum Spiritu tuo. Diaconus vero dicit omnibus: Salutate vos invicem in osculo sancto: & Clerici osculantur Episcopum, Laici viri Laicos, fœminæ fœminas. Pueri autem stant ad suggestum; ac Diaconus alius ipsis præest, ne inordinate se gerant. Alii Diaconi deambulant, inspiciuntque viros ac mulieres, ne strepitus aliquis oriatur, & ne quis nutum faciat, vel susurret, vel dormitet. Diaconi stant ad januas virorum, & Subdiaconi ad januas mulierum; ut nemo egrediatur, neve aperiatur janua tempore Oblationis, licet adveniat quispiam fidelis.

XIV. Post osculum pacis unus Subdiaconus dat Sacerdotibus aquam ad lavandum manus: & statim [Cap. 12.] Diaconus dicit: Ne quis ex Catechumenis; ne quis ex Audientibus; ne quis ex Infidelibus; ne quis ex Heterodoxis .... Matres assumite pueros. Ne quis contra aliquem; ne quis in hypocrisi. Quibus peractis Diaconi dona ad altare admovent Episcopo; ac Presbyteri e dextris illius & a sinistris stant; duo autem Diaconi ex utraque parte altaris tenent flabellum ex tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, aut ex linteo, & sensim abigunt parva animalia volatilia, ne in calices incidant. Orans igitur apud se Pontifex, una cum Sacerdotibus, trophæum Crucis in fronte manu facit coram omnibus, & dicit: Gratia Omnipotentis Dei, & charitas Domini nostri Jesu Christi, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis: atque omnes una voce respondent: Et cum spiritu tuo. Tum Pontifex; Sursum mentes; Et omnes: Habemus ad Dominum. Et Pontifex: Gratias agamus Domino; Et cuncti: Dignum & justum est. Et Pontifex dicit: Vere dignum & justum est, ante omnia laudare te verum Deum, ante Creaturas existentem, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, &c. Hanc orationem nos hodie appellamus Præfationem Missæ; quippe est veluti Præfatio ad Canonem. Hæc, de qua modo agimus, satis prolixa est, hancque sequitur, ut hodie etiam in more positum est, Trisagium, quod omnis populus simul canit; cujus verba hæc sunt: *ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος Σαβαώθ. πλήρης ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ τῆς δόξης αὐτοῦ, εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloria ejus. Benedictus in secula. Amen.*

XV. Post Trisagium orat celebrans, in qua Oratione continentur verba Consecrationis. Consecratione peracta, Episcopus Deum poscit, ut super illa dona in conspectu ejus proposita placate respiciat, & beneplaceat in eis ad honorem Christi sui; ut participes Corporis & Sanguinis Christi, ad pietatem confirmentur, remissionem peccatorum consequantur, Diabolo ejusque errore liberentur, Spiritu Sancto repleantur, Christo digni fiant, vitam sempiternam impetrent. Adhuc oramus te, Domine, sic prosequitur Episcopus, pro sancta Ecclesia tua .... Pro universo Episcopatu, & præcipue pro me nullius pretii homine .... Pro omni Presbyterio, pro Diaconis, ac universo Clero; ut omnes sapientiam a te edoctos, Spiritu Sancto impleas .... Pro Rege, & cuncto ejus exercitu .... Pro omnibus Sanctis .... Patriarchis, Prophetis, Justis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus, Virginibus, Viduis, Laicis, & omnibus, quorum tu nosti nomina .... Pro populo hoc; pro iis qui in virginitate & castitate vivunt; pro Viduis Ecclesiæ; pro iis qui in nuptiis honestis, ac in progeneratione liberorum degunt; pro infantibus plebis tuæ .... Pro Urbe hac, & habitantibus in ea; pro dura servitute afflictis; pro exulibus; pro proscriptis; pro navigantibus & iter facientibus .... Adhuc rogamus te pro iis, qui oderunt nos, & propter nomen tuum nos persequuntur; pro iis qui foris sunt ac errant .... Pro Ecclesiæ Catechumenis; pro iis qui ab Adversario jactantur; & pro pœnitentiam agentibus fratribus nostris .... Offerimus quoque tibi pro aeris temperatura, & frugum ubertate; pro iis qui ob caussam probabilem absentes sunt: ut omnes nos in pietate conserves .... quoniam tibi omnis gloria, veneratio, gratiarum actio, ... nunc & semper, & in infinita ac sempiterna secula seculorum. Omnis populus respondet: *Amen*.

XVI. Deinde Episcopus dicit: Pax Dei sit cum [Cap. 13.] omnibus vobis; cunctusque populus respondet: Et cum spiritu tuo. Ac Diaconus iterum elata voce dicit: Adhuc atque adhuc oremus Deum per Christum ejus, pro munere, quod Domino Deo oblatum est; ut Deus, qui bonus est, illud, mediante Christo suo, recipiat in celeste suum altare, ad odorem suavitatis: Pro Ecclesia hac & populo oremus; pro universo Episcopatu, omni Presbyterio, cuncto Christi Diaconio ac Ministerio .... pro Regibus, & in sublimi potestate constitutis .... Sanctorum Martyrum memores simus, ut digni habeamur participes fieri eorum certaminis. Pro iis qui in fide requieverunt oremus .... & pro recenter Baptismo illuminatis .... Tum Episcopus dicit: Deus .... Pater sancti Filii tui Jesu Salvatoris nostri, respice super nos, ac super gregem tuum hunc, quem per eum delegisti ad nominis tui gloriam.... ut effecti puri ab omni inquinamento carnis ac spiritus, proposita bona consequamur .... Et postquam populus dixerit, *Amen*, Diaconus dicit: Attendamus. Ac Episcopus ita ad populum proloquitur: Sancta sanctis: *τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις*. Populusque respondet: Unus Sanctus, unus Dominus, unus Jesus Christus .... benedictus in sæcula. *Amen. Gloria in altissimis Deo, & in terra Pax .... Hosanna filio Davidis: benedictus qui venit in nomine Domini.*

XVII. Post hoc sumit & communicat Episcopus; [Ibid.] deinde Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Lectores, Cantores, & Ascetæ: & in fœminis Diaconissæ, Virgines & Viduæ; postea pueri; tuncque omnis populus ordine, cum pudore & reverentia, absque strepitu. Episcopus tribuit oblatam, dicens: Corpus Christi; & qui recipit, respondet: *Amen*. Diaconus vero tenet calicem, & tradendo dicit: Sanguis Christi, calix vitæ; & qui bibit: *Amen* respondet. Psalmus autem trigesimus tertius dicitur, dum reliqui omnes communicant; qui est, *Benedicam Dominum in omni tempore, &c.* Cumque universi & universæ communicaverint, accipientes Diaconi quæ supersunt, inferunt in Pastophoria, *εἰς τὰ παστοφόρια*. Sic dicunt locum illum, quem nos Sacrarium hodie appellamus.

XVIII. Diaconus, quando qui psallit fecerit finem, [Cap. 14.] pronuntiat: Percepto pretioso Corpore, & pretioso Sanguine Christi, agamus gratias ei, qui dignos effecit nos, ut participes essemus Sanctorum ejus Mysteriorum; rogemusque id nobis non in judicium ac damnationem fieri, sed in salutem, in utilitatem animæ & corporis, in custodiam pietatis, in remissionem peccatorum, in vitam futuri sæculi. Surgamus, prosequitur Diaconus; & nos ipsos Deo, & Christo ejus commendemus. Tunc Episcopus gratiarum actionem profert. Tandem Diaconus dicit: [Cap. 15.] *Ite in pace*. Et hic finis Liturgiæ.

XIX. Aquam & oleum benedicit Episcopus; [Benedictio Aquæ & Olei. Lib. 8. cap. 29.] sin vero non adsit, benedicit Presbyter, præsente Diacono: Quando autem adest Episcopus, assistunt Presbyter & Diaconus: & in hunc modum dicit Episcopus: Domine Sabaoth, Deus virtutum .... per Christum sanctifica hanc aquam, atque hoc oleum; & da vim effectricem sanitatis, morborum expultricem ... per Christum spem nostram &c.

XX. Festi dies, quorum celebrationem Constitutiones Apostolicæ præcipiunt, sunt qui sequuntur: [Enumeratio Festorum. Lib. 5. cap. 13.] Natalis Domini, qui celebrari debet vigesimaquinta noni mensis, juxta veterem anni divisionem,

vide-

videlicet vigesimaquinta Decembris; dies Epiphaniæ, sexta decima mensis, hoc est, Januarii; Pascha, Assumptio Domini, Pentecostes, ac integra hebdomada, quæ solemnitatem istam sequitur; solemnitates Apostolorum, illa S. Stephani, & aliorum Martyrum. Conctis his diebus omnes cessare debent ab opere, sicuti & Dominico die, ac Sabbato. Interdicitur omnibus festis diebus jejunium, & tristitia; tunc enim, inquiunt Constitutiones, lætari oportet, non autem lugere.

Cap. 19. Lib. 8. cap. 33. Lib. 5. cap. 20.

XXI. Post Epiphaniam celebrabatur jejunium Quadragesimæ. Jejunium hoc, qui observabatur ante jejunium Paschæ, erat magis solemne, ac incipiebat a secunda die, desinens in Parasceven: *Celebretur vero hoc jejunium ante jejunium Paschæ, incipiatque a secunda die, ac desinat in Parasceven.* Duo igitur solemnia jejunia ante festum Paschæ habebantur: illud Quadragesimæ, incipiens a feria secunda Septuagesimæ, ac desinens in Parasceven, hoc enim tempus requiritur ad complendum jejunium quadraginta dierum ante hebdomadam Sanctam, dempto jejunio in diebus Sabbati, ut ex Constitutionibus præscribitur, sicuti paulo infra videbimus. Hoc peracto jejunio, sequebatur illud hebdomadæ sanctæ, incipiens feria secunda, ac desinens Dominica Paschæ mane, nequaquam excepto Sabbato Sancto, quippe illa die majori severitate jejunium impositum erat, ut videbimus in sequenti articulo.

Jejunium Quadragesimæ. Lib. 5. cap. 13.

XXII. Si fides habenda sit Auctori harum Constitutionum, jejunium hebdomadæ sanctæ est institutionis divinæ, & Christus ipse Apostolis hujus observationem præcepit: hæc autem opinio majori auctoritate indiget. Cæterum, Constitutiones mandant, ut hæc hebdomada in pane, aqua & oleribus transigatur; feria autem sexta & Sabbato jejunium ex omni parte servari debet. Si quis vero duos dies continuare non valet, saltem Sabbatum servare debet, cujus jejunium usque ad dominicum diem perdurat. Reliquis jejunii diebus quisque comedere potest hora nona, vel vespere.

Jejunium hebdomadæ sanctæ. Ibid. c. 18. Cap. 19.

XXIII. Constitutiones hæ præcipiunt etiam fidelibus, ut nocte ante Dominicam Paschæ congregentur in Ecclesia, & vacent orationibus, Legem, Prophetas, ac Psalmos legentes, & Baptismum Catechumenis conferentes, & recitato Evangelio in timore, ac tremore, habitaque ad populum allocutione de rebus ad salutem pertinentibus, vult, ut luctui finem imponant: & offerentes Sacrificium, jejunium dimittant, lætantes, & diem festum agentes, quoniam pignus Resurrectionis omnium, Jesus Christus a mortuis excitatus est. Præcipiunt etiam solemne jejunium post Pentecosten, quod comprehendit hebdomadam quæ sequitur Octavam hujus festi. Præter hæc omnia, præcipiunt etiam jejunium pro qualibet quarta & sexta anni feria, excepto Paschali tempore, docentque etiam hæc esse institutionis divinæ: quod sane errorem sapit, nisi dicere velimus, Ecclesiam, quæ a multo tempore jejunia hæc non observat, Jesu Christi præcepta transgredi. Quoad prohibitionem vero jejunandi diebus Sabbati, excepto Sabbato Sancto; apud Græcos id semper obtinuit; nunquam autem apud Latinos: ex quo apparet latinam Ecclesiam nequaquam credidisse, ex Apostolis præceptum hoc manasse, vel a S. Clemente, cujus mandata non esset transgressa.

Quomodo celebraretur nox Sabbati sancti. cap. 19. Jejunium post Pentecosten. cap. 20. Die Sabbati vetitum jejunium, excepto Sabbato sancto. c. 15. & 20.

XXIV. Interdicitur insuper diem festum Paschæ agere cum Judæis, scilicet die quarta decima Lunæ Martii; 1°. quia nulla est Christianis cum eis societas: 2°. quia Judæi in ipso etiam calculo errant; scilicet exacte non observant tempus, quo festum hoc celebrari debet. Horæ pro publica oratione sunt, mane, hora tertia diei, sexta, nona, & Vesperæ; quæ hodie nuncupantur, Matutinum, Tertia, Sexta, Nona, & Vesperæ. Ne verbum quidem unum ibi de Prima, ac Completorio; hæc enim instituta sunt post istas Constitutiones. Bona Ecclesiæ dividi debebant inter Episcopum, Clerum, & Pauperes. Hæc omnia mihi visa sunt animadversione digna in octo Libris Constitutionum Apostolicarum.

Prohibitio celebrādi Pascha cū Judæis. cap. 17. Horæ pro publica Oratione. Lib. 8. cap. 34. Divisio Bonorum Ecclesiæ. Lib. 2. cap. 24.

A P:

APPENDIX

In qua traditur quidquid notabilius in Canonibus Apostolicis continetur.

Ministri Altaris a sæcularibus curis abstinere debent. Canon. 7.
Adversus translationes Episcoporum. Can. 14.
Adversus eos, qui sæculari potentia Ecclesias pervadunt. Can. 31.
De Primatu Episcoporum. Can. 35.
Adversus Ordinationes factas in aliena Provincia. Can. 36.

I. HOs inter Canones, qui octoginta quinque recensentur, sequentes articulos in medium adducere optimum duxi. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus nequaquam sæculares curas assumat; sin aliter, dejiciatur. Episcopo non licet alienam Parochiam, propria relicta, pervadere; nisi forte eum rationabilis caussa compellat, tamquam qui possit ibidem constitutis plus lucri conferre, & in caussa Religionis aliquid profecto prospicere: & non a semetipso pertentet, sed multorum Episcoporum judicio. Si quis Episcopus sæcularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur. Episcopos scire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment, & nihil amplius præter ejus conscientiam gerant, quam illa sola singuli, quæ Parochiæ propriæ, & villis quæ sub ea sunt, competunt. Sed nec ille, præter omnium conscientiam faciat aliquid. Episcopus non audeat extra terminos proprios ordinationes facere in Civitatibus & villis, quæ illi nullo jure subjectæ sunt. Si vero convictus fuerit hoc fecisse præter eorum conscientiam, qui civitates ipsas & villas detinent, deponatur & ipse, & qui ab illo sunt ordinati.

Concilia bis in anno celebranda. Can. 38.
Presbyteri & Diaconi subjici debēt Episcopis. Can. 40.
Tres immersiones in Baptismo. Can. 50.
Caupona Clericis interdicta. Can. 54.
Fornicarii non cooptandi in Clerum. Can. 61.
Non jejunandū die Dominica, & Sabbato. Can. 64.

II. Bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur: semel quidem quarta septimana Pentecostes, secundo vero duodecima die mensis Hyperberetæi, idest juxta Romanos, quarto idus Octobris. Presbyteri & Diaconi, præter Episcopum, nihil agere in Ecclesia pertentent. Si quis Episcopus aut Presbyter, non trinam mersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in Baptismate, deponatur. Si quis Clericus in caupona comedens deprehensus fuerit, segregetur; præterquam cum ex necessitate de via divertet ad hospitium. Si contra fidelem aliqua fiat accusatio, fornicationis, vel adulterii, vel alterius cujuspiam vetitæ actionis, & convictus fuerit; non provehatur ad Clerum. Si quis Clericus inventus fuerit, die Dominica jejunans, vel Sabbato, præter unum solum, (Sabbatum hebdomadæ sanctæ) deponatur; si vero Laicus sit, segregetur. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor sanctam Quadragesimam non jejunet, vel feriam quartam, vel Parasceven, deponatur; præterquam si per imbecillitatem corporalem impediatur: si vero Laicus sit, segregetur.

Jejunium Quadragesimæ, & feriæ quartæ ac sextæ. Can. 70.
Adversus furta in Ecclesia. Can. 72.
Res sacræ non adhibendæ in profanos usus. Can. 73.
Quid sit agendum cum Episcopo accusato. Can. 74.
Adversus resignationes Beneficiorum factas propinquis. Can. 77.
Quinam sint habendi nō promovendi ad Episcopatum. Can. 78.
Servi non promovēdi ad Clerum sine Dominorū voluntate. Can. 81.
Adversus Clericos militiæ vacantes. Can. 83.

III. Si quis Clericus aut Laicus abstulerit ex sancta Ecclesia ceram, vel oleum, segregetur; & quintam partem addat, una cum eo quod accepit. Vas ac instrumentum ex auro, vel argento, vel linteo, Deo consecratum, nemo amplius in usum suum convertat; iniquum enim est: Si quis autem deprehensus fuerit, segregatione mulctetur. Episcopus de aliquo ab hominibus fide dignis ac fidelibus accusatus, ter vocetur; quod si non advenerit, Synodus adversus eum pronunciet quæ videbuntur. Si quis Episcopus propinquis dignitatem Episcopatus largiatur; puniatur segregatione. Si quis fuerit oculo læsus, vel crure debilitatus; est autem dignus Episcopatu, Episcopus fiat. Qui vero surdus est, mutus, aut cæcus; ne fiat Episcopus; ne impediantur Ecclesiastica. Servos ad Clerum promoveri, sine dominorum voluntate, non permittimus; hoc namque domorum eversionem efficit. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus militiæ vacans, deponatur.

Canon Librorū Veteris Testamenti. Can. 85.
Canon Librorū Novi Testamenti. *Ibid.*

IV. In postremo horum Canonum Auctor tradit Catalogum Librorum Sacræ Scripturæ. Pro Veteri Testamento sequentes veluti Canonici recensentur: Moysis quinque libri, scilicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium, Jesu, filii Nave, unus; Judicum, unus; Ruthæ, unus; Regum, quatuor; Paralipomenon, libri dierum, duo; Esdræ, duo; Estheræ, unus; Judithæ, unus; Machabæorum, tres (tertius adimi debet, quippe qui est apocryphus); Jobi, unus; Psalmi centum quinquaginta; Salomonis libri tres, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum; Prophetæ sexdecim. Hinc adhortatur Juvenes, ut Sapientiæ librum legant, sed hunc in Scripturarum Canone non transcribit, sicuti nec librum Tobiæ. Libri Novi Testamenti sunt; Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis; Pauli Epistolæ quatuordecim; Petri Epistolæ duæ; Joannis, tres; Jacobi una; Judæ una; Clementis Epistolæ duæ; (Hæ sunt vero similiter duæ ad Corinthios Epistolæ, quarum Doctrinam infra afferemus) Constitutiones Apostolicæ; & Acta Apostolorum. Altum ibi silentium de Apocalypsi: igitur quid de hoc catalogo sentiendum sit viderint alii.

A P-

APPROBATIO
DOMINI DE MARCILLY,

Doctoris Domus ac Societatis Sorbonicæ, necnon Censoris Regii.

De Mandato Reverendissimi Cancellarii perlegi primum Volumen MS. Operis, cui titulus: *Concordantia SS. Patrum Græcorum ac Latinorum .... Auctore quodam Religioso Ordinis S. Benedicti .... continens Doctrinam Patrum, qui primis duobus Ecclesiæ sæculis floruerunt*. Ex methodo egregia, at multiplici eruditione, qua eorum Doctrina ibi exponitur, comprobatur peroptime Ecclesiæ fides circa ea quæ credit ac docet.

Datum Sorbonæ die 20. Novembris 1738.

De Marcilly.

LICENTIA
R. P. ABB. ABBATIÆ AVOLDI,

Præsidentis, ac Superioris Generalis Congregationis SS. Vanni & Idulphi, Ordinis S. Benedicti.

Nos D. Sebastianus MOUROT Abbas Abbatiæ S. Avoldi, Præsidens ac Superior Generalis Congregationis SS. Vanni & Idulphi, Ordinis S. Benedicti, facultatem dedimus R. P. D. BERNARDO MARECHAL, Religioso nostræ dictæ Congregationis, ut typis edere faciat Opus a se compositum, cui titulus: *Concordantia SS. Patrum Græcorum & Latinorum*. Quam facultatem dedimus postquam vidimus Approbationem Censoris Regii datam sub die 20. Novembris anni proxime elapsi 1738. & Privilegium Regis datum Versaliis die 19. Decembris ejusdem anni 1738. In quorum fidem præsentes nostra manu signatas voluimus, & per Secretarium Cancellarium nostrum sigillo nostro munitas.

Datum in nostra Abbatia S. Avoldi die 12. Februarii 1739.

(D. Sebastianus MOUROT Abbas S. Avoldi & Præsidens.)

De Mandato Reverendissimi P. Præsidentis.

D. G. Le Jeunehomme, Cancellarius.

NOI RIFORMATORI
dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. Fra Filippo Rosa Lanzi Inquisitor Generale del Santo Offizio di Venezia nel Libro intitolato: *Concordantia SS. Patrum Ecclesiæ Græcæ, atque Latinæ, Auctore R. P. D. Bernardo Marechal Ord. S. Benedicti. MS.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza agli Eredi Baglioni Stampatori di Venezia, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 15. Novembre 1766.

(Sebastian Zustinian Rif.
(Andrea Tron Cav. Rif.
(Girolamo Grimani Rif.

Registrato in libro a carte 296. al Num. 1941.

Davidde Marchesini Segr.

Adi 20. Novembre 1766. Registrato dal Magistrato Eccellentissimo degl' Esecutori contro la Bestemia.

Francesco Gadaldini Segr.

CON-

CONCORDANTIA SANCTORUM PATRUM GRÆCORUM ET LATINORUM.

DOCTRINA SANCTO BARNABÆ ADSCRIPTA.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

I. SECULUM.

SUB nomine S. hujus Apostoli circumfertur quædam Epistola Catholica, quæ haud dubie primo Ecclesiæ sæculo exarata fuit; S. enim Clemens Alexandrinus, Auctor Ecclesiasticus sæculi secundi, ejus utitur testimonio pluribus in locis suorum Stromatum (1); sed nondum certo innotescit quinam sit verus illius Auctor. Critici inter se non conveniunt. Contendunt nonnulli, indubitanter adscribendam esse S. Barnabæ Apostolo; & inter alios id tradit D. Dupin, qui nullum non movet lapidem ut id demonstret (2); alii vero, ut D. Menardus, Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Mauri, in suis animadversionibus super hanc Epistolam (3), quam primus publici juris fecit ann. 1645. & D. de Tillemont in sua Historia Ecclesiastica (4), de hoc videntur magnopere dubitare, & Tillemontius præcipue veretur, hanc, Opus esse alterius Barnabæ, non illius qui D. Paulum comitabatur. Quidquid tamen de hoc sit, Epistola hæc inter pretiosiora antiquitatis monumenta recenseri debet, & ex confessione etiam eorum, qui de vero ejus auctore dubitant, est Opus omni sua parte dignum nostra veneratione, non solum ratione venerabilis suæ antiquitatis, verum etiam quia semper magno in pretio habita est. Qui eam attente legerit, Apostolici ævi stilum percipiet; & D. de Tillemont (5) affirmat, nemini fas esse ex stilo, quo conscripta est, eam valde post Apostolos exaratam asserere. Valde probabile est, hanc Epistolam ad nos usque pervenisse absque ulla notabili mutatione, quippe omnia compendia quæ Patres tradiderunt (6), perfecte congruunt cum iis locis, quæ nostris hisce temporibus in illa epistola legimus. Sed nonnulla desunt in textu originali, ut clarissime constat ex veteri latina versione; cujus quatuor prima capita, una cum dimidio quinti, desunt in textu græco, uti D. Cotelerius monet initio hujus Epistolæ (7). In duas veluti Sectiones dividitur, quarum prima respicit Dogma, præcipue supra vetus Testamentum; secunda vero Mores. Tradam modo quidquid mihi visum est animadversione dignum in utraque parte.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA.

§. I.

VETUS TESTAMENTUM.

Ratio inutilitatis sacrificiorum & Cæremoniarum Veteris Testamenti n. 1. Epist. Coteleri.

I. PRIMUS Articulus circa Dogma respicit Vetus Testamentum. Auctor ibi validissime ostendere conatur inutilitatem, & inefficacitatem Sacrificiorum, & Cæremoniarum veteris legis; docetque, Deum omnia hæc repulisse, ut locum haberet oblatio humana Legia Jesu Christi, quæ necessitatis jugum non imponit: *Hæc ergo vacua fecit*, inquit ille, *ut nova Lex Domini nostri Jesu Christi, quæ sine jugo necessitatis est, humanam habeat oblationem*. Jugum hoc, quo caret Evangelica Lex, nihil aliud est, juxta hunc Auctorem, quam spiritus servitutis, per quam servitutem vetustum fœdus a novo secernitur juxta D. Paulum ad Galatas (a) ajentem: State (in libertate Evangelii Jesu Christi) & nolite iterum jugo servitutis contineri; quo sane in loco patet Apostolum loqui de Lege Moysis. Addit paulo infra noster hic Auctor, Moysen fregisse lapideas tabulas, in quibus Lex vetusta erat insculpta, non ut ostenderet tantummodo Hebræis, Fœdus cum Deo initum, per eorum Idololatrian solutum

(1) Lib. 2. Strom. pag. 373. 375. 389. 410. & Lib. 5. pag. 571. 572. 577. 578.
(2) Tom. I. Bibliot. pag. 15. 16. & seqq.
(3) Pag. 75. & 76.
(4) Tom. I. animadver. 6. super hanc epistolam p. 689. & 690.
(5) Ejusd. Tom. p. 690.
(6) S. Clemens Alex. in locis supra allatis: & Origenes Lib. 1. contra Celsum, & Lib. 3. Princip. c. 2.
(7) Tom. I. Operum SS. Patrum Apostolicorum, p. 15.

(a) Cap. 5. v. 1.

Cur Moyses fregerit tabulas Legis. n. 4.

litum esse, ficuti explicat locum hunc D. Ab. Fleury (a); sed ut amor Jesu Christi in cordibus nostris consignaretur: *Et projecit Moyses tabulas lapideas de manibus suis, ut dilectio Jesu consignetur in præcordiis vestris*. Fieri nequit quin dignoscatur in hoc, & in supra allato textu diversitas inter duo testamenta, quæ in timore, ac dilectione posita est; timor Hebræos respicit; dilectio Christianos.

Peculiaris opinio circa Circumcisionem. num. 9.

II. Id quod noster Auctor tradit circa Circumcisionem, reprehensione dignum mihi videtur. Demonstrata ejus inefficacitate quoad veram justitiam, & animarum sanctificationem, ei adimit etiam privilegium secernendi Judæos a cæteris Nationibus. „ At inquies: „ Et vero ille populus (verba sunt Auctoris) circumciditur in signum (distinctionis ab aliis populis: „ *Verum*, reponit illico, *& circumciduntur Syri omnes, & Arabes, ut omnes Sacerdotes idolorum; hi ut ergo pertinent quoque ad Domini Testamentum? Sed & Ægyptii Circumcisionem usurpant*. Opinio hæc periculi plena est: Scripturæ & Traditioni oportet adhærere, ex quibus erudimur, Circumcisionem a Deo præceptam fuisse Hebræis, ut eos a cæteris Nationibus distingueret. Hinc locus iste objicitur iis, qui hanc Epistolam D. Barnabæ adscribunt. Fateamur nihilominus necesse est, hanc difficultatem haud magni ponderis esse; benigna enim hujus loci interpretatio non est impossibilis.

Textus nonnihil difficilis circa cibos hebræis vetitos. n. 10.

III. In alio ejusdem Epistolæ loco, quo abuti aliqui possent in contemptum Religionis, tantum progreditur cum allegoria, ut docere videatur, Deum nunquam voluisse horum ciborum usum Hebræis interdicere. Sed solummodo horrorem ingerere de iis vitiis, quæ per diversa illa animalia significabantur: *Itaque*, ait ille, *mandatum Dei non est, ne manducent; sed Moyses in spiritu locutus est*. Opinor ego, textum hunc non ita stricte & litteraliter accipiendum esse, ut non possit in Orthodoxo sensu intelligi: Si mens enim hujus auctoris recte perpendatur, & finis quem sibi proponit, una cum toto contextu, facile constabit, auctorem id unum docere velle, scilicet mandatum Dei Hebrais impositum abstinendi a quibusdam cibis, non tantum obstrinxisse illos, ne vere ac realiter hisce cibis vescerentur; verum etiam ut ea peccata horrerent, quæ in cibis illis significabantur: hinc immediate post adductum textum, ait, Deum sic præcepisse abstinentiam a carne porcina, quasi si dixisset, homines non debere adhærere iis, qui similes sunt porcis; *Quapropter sic suem ait, quasi diceret: Non adhærebis hominibus talibus, qui similes sunt porcis*. Et infra, loquens semper de ciborum distinctione præcepta in lege Moysis; tradit, Judæos accepisse verba Moysis, ac si de escis simpliciter egisset: *Moyses de escis tria decreta locutus est; illi vero Judæi, quasi de escis simpliciter egisset, acceperunt*. Adverbium hoc *simpliciter* omnem enodat difficultatem allati textus; constat enim, hunc auctorem nunquam voluisse Judæos solutos a præcepto abstinendi realiter a cibis in lege vetitis, sed unice voluisse ope hujus abstinentiæ eos retrahere a vitiis ibi connotatis.

Necessitas Fidei in Jesum Christum etiam ante Incarnationem, & in gratiam medicinalem Salvatoris. num. 12.

IV. Occasione sumpta ab eo quod refertur in Exodo (b), scilicet quod Hebræi pugnantes contra Amalecitas, vincebant cum levaret Moyses manus; sin autem paululum remisisset, superabat Amalec; tradit hic Auctor, debuisse Israelitas inde cognoscere salutem consequi non posse nisi per spem in Jesum Christum; & per spem in hunc reportari posse victoriam de eorum inimicis. *Cur hoc?* ait ille loquens de historia modo relata; πρὸς τί, *ut cognoscerent*, illico respondet, *quod non possent servari, nisi per spem in illum* (*JESUM*). ἵνα γνῶσιν, ὅτι οὐ δύνανται σωθῆναι, ἐὰν μὴ ἐπ' αὐτῷ ἐλπίσωσιν Et paulo superius: *Quia*, inquit, *si in hunc non speraveritis, semper debellabuntur*. ὅτι ἐὰν μὴ ἐλπίσωσιν ἐπ' αὐτῷ, εἰς τὸν αἰῶνα πολεμηθήσονται. Duo hæc loca maximi sunt momenti: & ex iis innotescit quænam esset Fidelium mens primo Ecclesiæ ævo, circa necessitatem gratiæ medicinalis Salvatoris, Fidei in ipsum, ejusque mediationis, etiam ante Incarnationem.

Dies Dominicus, Sabbatum Christianorum. num. 15.

V. Quoad diem Sabbati in Lege Moysis præceptum ut Deo sacrum, noster hic Auctor docet, Christianorum Sabbatum esse diem octavum, qui est dies Resurrectionis Jesu Christi: *Diem octavum in lætitia agimus, in quo & Jesus resurrexit a mortuis*: Quod sane pro primo Ecclesiæ sæculo attenta consideratione dignum est. Verum declarat insuper eodem loco, alterum dari Sabbatum omnino spirituale, quod est initium æternæ vitæ, ficuti Sabbatum Christianorum nos ex hoc Sabbato ad illud tendere, quando veniens Fi-

Sabbatum spirituale præsignatum in Sabbato Christianorum. num. 15.

lius tempus Iniqui abolebit, ac judicabit impios, & mutabit Solem, ac Lunam, Stellasque: quod quidem Sabbatum poterimus nos ipsi sanctum reddere, juxta hunc Auctorem, per bona opera in præsenti vita patrata. *Poterimus .... tunc eundem diem sanctum reddere, ipsi prius sancti effecti*.

Perduratio Mundi juxta Auctorem hujus Epistolæ. n. 15

VI. Tradit insuper Auctor hic, quod in sex annorum millibus consummabuntur universa: sicque id probat: „ Advertite, Filii, quod dicat (Scriptura), „ consummavit (creationem Mundi) in sex diebus: „ hoc dicit, quia omnia consummabit Dominus Deus „ in sex millibus annorum; nam apud illum dies „ æquiparatur mille annis, ut ipsemet testatur (in „ Psalmis) dicens: Ecce hodiernus dies erit tanquam „ mille anni (c). „ *Itaque, Filii, in sex annorum millibus consummabuntur universa*. Hæc opinio, licet aliquibus singularis videri possit; nihilominus plures Ecclesiæ Patres habuit propugnatores, ut ex dicendis inferius constabit. Autumant etiam nonnulli, opinionem hanc ex Scripturis posse comprobari, & aliqua ejus vestigia haberi in Epistola D. Pauli ad Hebræos (d), ubi in die septima & in Sabbato æternam requiem designat. Ego autem optimum duco, nihil hac in quæstione proponere, ac Jesu Christo adhærere, & ejus Apostolis docentibus, neminem novisse quæ Pater posuit in sua potestate, & quomodo extrema dies ventura sit; cujus præcedentia signa prænuntiant quidem, tempus autem non determinant, ficuti peregit Auctor hujus Epistolæ.

§. II.

DIVINITAS VERBI.

Probatur Divinitas Verbi ex Scripturis. num. 6.

I. SEcundus Epistolæ hujus articulus respicit Divinitatem Verbi. Verum quidem est, eam perspicuitatem ac verborum præcisionem in illo desiderari, quam in aliis posterioribus Patribus reperimus; nihilominus non uno in loco mentem suam aperit circa primarias Religionis nostræ veritates: primo enim explicans illud Geneseos: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, (e) docet, Æternum Patrem cum Filio suo hæc verba fecisse: *Loquitur Patre ad Filium: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Mihi videtur itaque, hunc Auctorem docentem, Æternum Patrem cum Filio allata verba fecisse, Filium Deum esse æqualem Patri credidisse, ejusdemque naturæ cum Patre; nisi enim hoc dicamus, explicari nequeunt in recto sensu hæc verba Patris ad Filium: Faciamus hominem ad imaginem & & similitudinem nostram. Hic loquendi modus locum habere nequit nisi inter personas ejusdem substantiæ, ejusdemque naturæ. Hinc ex his verbis ostenditur hujus Auctoris Fides quoad Divinitatem & Consubstantialitatem Verbi. Cæterum notabimus infra, veteres ferme omnes in eodem sensu intellexisse illa Geneseos verba, iisque usos fuisse ad comprobandas duas veritates, de quibus huc usque locuti sumus.

Alia ejusdem veritatis Probatio. num. 12.

II. 2°. Altero pariter in loco ejusdem Epistolæ aliqua deprehenduntur vestigia de mente hujus Auctoris circa Divinitatem Verbi: *Ecce rursum*, ait ille, *non Filius hominis, sed Filius Dei* JESUS, ἀλλ' ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, *qui Figura in carne apparuit*. *Quoniam ergo dicturi erant* (*Judæi*) *Christum esse Filium Davidis; reformidans & intelligens errorem sceleratorum, ait: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis .... Isaias vero ita loquitur: Dixit Dominus Christo meo Domino: Vides*, concludit ille, *quomodo David eum Dominum vocet, & Dei Filium*. Judicet modo Lector, an possit aliquis ita loqui, quin credat Divinitatem Verbi? Observandum autem noster volumus quoad illud Isaiæ testimonium, haberi in textu originali nostri Auctoris, *Christo meo Cyro*, Χριστῷ μου Κύρῳ sicuti legitur in textu hebraico, & in Versione LXX, quod sane non impedit, ut monet D. Menardus in suis animadversionibus in hunc locum, quominus intelligantur verba illa allegorice de Christo Jesu, in Cyro præsignato: „ Nam, addit doctus hic vir, sicuti Princeps iste alias liberavit populum Judæorum „ a captivitate, sic Jesus Christus liberavit mundum „ a captivitate Dæmonis. „ Jam vero cuique constat, locum hunc ab Isaiæ cap. 45. desumptum esse; ibi enim Propheta eodem tempore & Nativitatem Salvatoris prænuntiat, & de liberatione Judæorum loquitur, obtinenda a Cyro Rege Persarum.

Alia ejusdem veritatis Probatio. num. 5.

III. 3°. At orthodoxam nostri Auctoris Fidem circa veritatem modo allatam, insuper conjicimus ex eo, quod docet, Filium Dei in nostra carne venisse, ut nos

(a) Tom. I. Historiæ Ecclesiasticæ pag. 325.] in qua 10.
(b) Exod. cap. 17. v. 2.

(c) Psal. 89. v. 4.
(d) Epist. ad Hebræos, cap. 4.
(e) Genes. cap. 1. v. 26.

I. SÆCULUM.

nos homines possemus eum in præsenti sæculo videre, absque eo quod visio hæc mortem nobis inferret. Si enim in humana carne non apparuisset, quomodo potuissemus, ait ille, eum intueri, si nec ferre valemus Solis radios, licet opus manuum ejus sit: *Nisi enim venisset in carne, quomodo sensuti fuissemus nos homines videntes eum? Quandoquidem ii, qui Solem hunc, opus manuum ejus, aspiciunt, non valent radios illius obtueri.* Fieri ne potest, ut quis validiora afferat verba pro Divinitate Jesu Christi? Et simul uniat nobilem hanc & sublimem Salvatoris ideam cum notione humanitatis nostræ? Cæterum, opinor Auctorem hunc respexisse hic ad aliquem Scripturæ locum, ubi Spiritus Sanctus docet nos, in terris neminem videre posse Deum, quin post hanc visionem illico moriatur. Hoc posito, ex adductis hujus Auctoris verbis, ita comprobata remanet orthodoxa ejus Fides circa Divinitatem Verbi, ut de illa dubitare nemini liceat.

§. III.

INCARNATIO ET MORS FILII DEI.

Caussæ Incarnationis & Mortis Salvatoris. n. 5.

LOquitur in tertio Articulo noster hic Auctor de Incarnatione & Morte Filii Dei, ac docet, ideo in carne venisse, ut illi peccatorum mensuram implerent, qui usque ad mortem persecuti fuerant Prophetas: *Filius itaque Dei*, ait ille, *ideo in carne venit, ut summam imponeret peccatis eorum, qui ad mortem persecuti sunt Prophetas illius*: addit insuper, ob eandem caussam subiisse mortem: *Igitur ob hoc passus est.* Verum si docet sanctissimam hanc mortem noxiam fuisse Judæis; docet etiam Christianis ingentes utilitates inde profluxisse: docet, per hanc Jesum Christum induxisse nos in terram illam, quam olim Deus promiserat Abrahæ, & semini ejus, terram benedictam; quæ fluit lacte & mele; docet tandem, quod per hanc Redemptor noster renovavit nos per remissionem peccatorum, ac fecit nos aliam figuram, tamquam pueros habere, ut spiritu figuraret nos: *Effecit ut aliam formam haberemus, animam nempe puerili similem; ipse etenim reformavit nos.* Qua attenta meditatione locus hic animo sit revolvendus viderint pii ac religiosi viri.

§. IV.

BAPTISMUS CHRISTIANORUM.

Virtus mirifica Baptismi Christianorum. num. 11.

ARticulus quartus est de Sacramento Baptismi. Nihil pulchrius dici potest iis quæ hic tradit noster Auctor de mirifica virtute divini hujus Sacramenti. Docet enim, quod quando descendimus in aquam, pleni sumus peccatis & sordibus; sed statim ac emergimus, incipimus fructus afferre in cordibus nostris per timorem Dei, & spem in Jesum Christum, quam Spiritu Sancto assitante habemus: *Nos descendimus quidem in aquam pleni peccatis ac sordibus; inde autem emergimus fructum afferentes in corde, timorem & spem in Jesum habentes in spiritu.* ἡμεῖς μὲν καταβαίνομεν εἰς τὸ ὕδωρ γέμοντες ἁμαρτιῶν καὶ ῥύπου, καὶ ἀναβαίνομεν καρποφοροῦντες ἐν τῇ καρδίᾳ τὸν φόβον καὶ τὴν ἐλπίδα εἰς τὸν Ἰησοῦν ἔχοντες ἐν τῷ πνεύματι. Textum græcum integrum hic attuli, quia, ut mihi videtur, utilitatem magnam in re theologica præsefert.

§. V.

EXCELLENTIA CHRISTIANI SUPER HEBRÆUM.

Christiani introducti in terram promissã. num. 6.

QUintus Articulus, qui cum modo allato connectitur, ejusque est quædam veluti consequentia, exhibet nobis excellentiam Christiani super Hebræum. 1°. docet Auctor iste, non Hebræos, sed Christianos solummodo introductos esse a Deo in terram semini Abrahæ promissam: *Itaque nos sumus*, ait ille egregie, *quos introduxit in terram bonam.* Deinde postquam explicaverit omnia, quæ in veteri Testamento per Figuram significant mortem Redemptoris, docet, hæc manifesta esse Christianis, Judæis vero, eo quia obdurati & duræ cervicis, obscura: *Nobis quidem manifesta sunt; Judæis autem obscura, quia non audierunt vocem Domini.* Juxta hunc Auctorem igitur caussa obcæcationis Judæorum non alia fuit, quam eorum prævaricatio; & quia rebelles fuerunt verbo Dei. Tandem dicit Moysen vere accepisse tabulas Legis; sed quia Hebræi propter eorum infidelitatem digni non fuerunt, Christianis traditæ sunt, qui eas per manus Salvatoris receperunt, & ob infinita merita Passionis ejus: *Accepit itaque Moyses; ipsi vero digni non fuerunt. Quomodo nos habuerimus, discite. Moyses, cum esset famulus, eas accepit; nobis autem ipse Dominus, cui sumus in populum hæreditatis, tradidit pro nobis passus.* Loca hæc & ad pietatem alliciunt, & mentem erudiunt. Fieri nequit quod serio & attento animo aliquis loca hæc percurrat, quin simul plurimi faciat excellentiam nostræ vocationis, & Auctorem hujus diligat. Caveat autem unusquisque nostrum in timore & tremore, ne Judæorum calamitatem incurrat, & per propriam infidelitatem se indignum reddat magnis his utilitatibus, quæ Christianorum Religionem comitantur.

Tabulæ Legis ablatæ Hebræis, & traditæ Christianis per merita Passionis Salvatoris num. 14.

§. VI.

ANGELI.

Angeli boni, & mali. num. 14.

SExtus de Dogmate Articulus respicit Angelos. Loquens noster Auctor de duabus oppositis viis, lucis, & tenebrarum, dari ait Angelos bonos, & malos; quorum primi, qui sunt missi a Deo, ducunt nos per viam lucis; alii vero, qui sunt ministri Satanæ, præsunt viæ tenebrarum: *Uni siquidem (viæ lucis) præpositi sunt lucis consiliarii, Angeli Dei; alteri vero (tenebrarum viæ) Angeli Satanæ.* Locus hic veluti indubiæ fidei testimonium Traditionis circa Angelorum custodiam suscipi debet. Videbimus infra, præter Auctorem hujus Epistolæ alios haberi veteres Ecclesiæ Patres, qui distinctionem hanc ponunt bonos inter & malos Angelos, habito respectu ad custodiam, quam hominibus præstant. Hæc sunt, quæ animadversione digna in hac Epistola legi quoad Dogma.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

§. I.

OPERA LUCIS.

Perfectus Amor Proximi. num. 19.

VIdeamus modo quæ circa Mores tradat hic Auctor. Post distinctionem duarum viarum, quas supra memoravi, utriusque notas exhibet. Insigniora lucis Opera sunt, 1°. diligere proximum nostrum plusquam nos ipsos: *Diliges proximum tuum plusquam animam tuam.* Agitur hic, ut unicuique innotescit, de dilectione erga proximum, quæ vitam etiam daret pro ejus salute, si quando sese præberet occasio; & licet gradus hic dilectionis in perfectioribus solum adinveniatur; nihilominus certum est & ex Scripturis, & ex Traditione, ad hanc dilectionem omnes Christifideles in genere teneri, & peccare dum occasiones negligunt adimplendi hoc præceptum, quod naturaliter fluit ex præcepto dilectionis erga Deum. Tenemur diligere proximum propter Deum, & Deum ipsum in nostro proximo diligimus: at quis inficiari audebit, debere nos diligere Deum plusquam nos ipsos, & sanguinem effundere propter ejus amorem? 2°. Oportet communicare in omnibus cum proximo, & nihil proprium retinere: *Communicabis in omnibus cum proximo tuo, nec quidquam dices proprium.* Viguit hic mos apud primos Fideles, ut constat ex Actis Apostolorum (a). 3°. Diligere ut pupillam oculi omnem, qui nobis loquitur verbum Dei: *Diliges, ut pupillam oculi tui, omnem qui tibi loquitur verbum Domini.* 4°. Confiteri nostra peccata: *Confiteberis peccata tua.* Tandem cavere, ne unquam in oratione accedamus ad Deum in conscientia mala: *Non accedes ad orationem tuam in conscientia mala.* Præcipuæ notæ hæ sunt viæ lucis: *Hæc est*, dicit Auctor, *via lucis.*

Communio Bonorum. n. 19

Dilectio erga illos qui nos instruunt. num. 19.

Confessio Peccatorum. ibid.

Contra Orationes Impiorum ibid.

§. II.

OPERA TENEBRARUM.

Num. 20.

INter Opera tenebrarum notabiliora sunt, Idolorum servitus, temeritas, elatio potestatis, simulatio, cor duplex, homicidium, rapina, dolus, malitia, arrogantia, veneficium, magia, avaritia, nullus Dei timor. In hac tenebrarum via continentur pariter persecutores bonorum, osores veritatis, & amatores mendacii: *(In qua tenebrarum via sunt) bonorum persecutores, osores veritatis, amatores mendacii*: quinimmo & ii omnes, qui diligunt vana, consectantur remunerationem, non miserentur inopis, non laborant in gratiam illius, qui labore ac ærumnis confectus est, ad obtrectationem prompti, aversantes egenum, affligentes

(a) Act. cap. 2. & 4.

I. SÆCULUM.

gentes afflictum, *Divitum advocati, pauperum iniqui Judices.*

Priusquam Epistolam hanc dimittam contineri nequeo, quin proponam id, quod Auctor ipse tradit de Apostolis ante eorum electionem; eos siquidem vocat omni peccato iniquiores, sive, ut habet textus originalis, ex antiqua Versione, super omne peccatum peccatores eos tunc dicit, quando Christus elegit illos Apostolos suos; additque, Jesum Christum in hoc ostendisse se esse Filium Dei; *Quando autem Apostolos suos elegit homines, omni peccato iniquiores*, sive, juxta antiquam versionem, *super omne peccatum peccatores*, ὑπὲρ πᾶσαν ἁμαρτίαν ἀνομωτέρους, *tunc palam fecit se esse Filium Dei*. Licet aliquis Auctor contendat, opinionem hanc inter Canonicas esse recensendam; nihilominus id valde arduum mihi videtur, nec video locum habere posse in aliquo Apostolorum. Anne asserere audebimus, exempli causa, de S. Matthæo, & de S. Paulo, qui præ omnibus Apostolis rei fuerunt ante eorum electionem; audebimus, inquam, asserere, hos omni peccato iniquiores fuisse, & super omne peccatum peccatores, scilicet homines scelestissimos, & omni iniquitatum genere inquinatos? Si hoc igitur pronunciari nequit de duobus his Apostolis, ecquis audebit de omnibus generatim Apostolis id credere? Si Christus Jesus talis modi viros ad prædicandum suum Evangelium mittere voluisset, hæc electio scandalum præbuisset Hebræis præoccupatis jam, & incitatis contra Salvatorem, eisque occasionem dedisset detrahendi de ejus fama, ac doctrina. Quidquid dicatur de elocutionibus his haud tam moderatis, nequeo quin eas judicem parum convenientes magno Apostolo, cui adscribuntur: & ex omnibus defectibus, quos Sapientes viri in Epistola hac adinvenerunt, notabilior, meo videri, est ille, qui difficillime etiam conciliari posset cum æstimatione huic Operi debita, si certo constaret a Divo Barnaba fuisse exaratum.

Singularis opinio Auctoris hujus Epistolæ, circa Apostolos ante eorũ Electionem num. 5.

DOCTRINA
PASTORIS HERMÆ.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

SECUNDUM, quod nobis innotescit Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentum, est Opus quoddam, cui titulus, *Pastor Hermæ*. Si Origeni (1) Fides adhibenda sit, hic est ille Hermas, quem D. Paulus salutat sub finem suæ Epistolæ ad Romanos (2). Eusebius (3) & D. Hieronymus (4) testantur, inter veteres, alios extitisse, qui idipsum autumarunt. Hac in re tamen certum est, Opus hoc nomen Hermæ præseferre, vetustissimum esse, ac primo Ecclesiæ sæculo adscribendum esse; quoniam S. Irenæus, qui sequenti sæculo floruit, illud in medium affert sub titulo Sacræ Scripturæ (5); quod peragit etiam S. Clemens Alexandrinus (6). Titulus hujus est *Pastor*, ob quamdam apparitionem, de qua loquitur Auctor ipse in Præfatione ad secundum librum; in qua sane apparitione quidam Angelus ei apparet sub imagine cujusdam *Pastoris*, eumque docet veritates omnes, quæ in illo, & sequenti libro continentur. Hæc est unica ratio, cur *Pastor* inscribatur totum Hermæ Opus, in tres libros distinctum; quorum primo titulus hic præfigitur, *Visiones*; continet quippe visiones quasdam, quas Auctor se passum esse testatur. Secundus est collectio quædam præceptorum respicientium mores, & pietatem Christianam, & ejus titulus est, *Mandata*. Tertius quibusdam scatet similitudinibus, sive comparationibus, sub quibus Auctor proponit innumeras graves veritates, & hunc titulum præsefert, *Similitudines*.

Pastor est celeberrimus in Ecclesiastica Antiquitate, nec ullum Opus habemus, si Sacras Scripturas excipias, quod magis obtinuerit primo Ecclesiæ sæculo, & de quo magis locuti sint veteres, & majori cum veneratione. Fateri nihilominus oportet, non unam eamdemque esse Patrum circa Opus hoc opinionem. Nonnulli illud veluti Sacram Scripturam proponunt (7); aliqui vero illud suscipiunt veluti pietatis Opus, cujus lectio possit Fidelibus prodesse (8): alii tandem parum de illo solliciti, nullam auctoritatem illi tribuere videntur (9). Sed in hoc opinionum conflictu tutius est id sequi quod amplexi sunt omnes insigniores Scriptores subsequentibus temporibus post Eusebium, D. Athanasium & D. Hieronymum. Valde periculosum non esset nolle suscipere uti librum Canonicum S. Scripturæ Opus hoc, quod nunquam Ecclesia recensuit in Canone librorum, qui divinitus afflati sunt; immo, invitis licet aliquibus inter veteres qui contrarium senserunt, temerarium esset id velle peragere: at æque temerarium esset velle reclamare universali pene Traditioni quoad peculiarem venerationem huic scripto præstitam. Debemus igitur revereri auctoritatem Pastoris, & eum suscipere veluti librum, qui Ecclesiæ proficuus esse potest, & ædificationi fidelium inservire. Quod quidem impedire nequit quin dicamus post D. Dupin (10), quod pulchræ omnes veritates, quæ in hoc Opere continentur, magis Ecclesiæ profuissent, si Hermas eas proposuisset ea simplicitate, qua ante ipsum usi sunt Apostoli. Olim legebatur publice in fidelium conventibus, prout testatur S. Athanasius in sua Epistola Paschali.

Dominus de Tillemont nos admonet (11), quod licet hodie non habeamus Opus istud nisi latino sermone exaratum; dubitari tamen nequit, quin ab initio græco sermone conscriptum

(1) Lib. 1. Commentar. in Epist. ad Rom. super c. 16. vers. 14. hujus Epistolæ.
(2) Cap. 16. v. 14.
(3) Lib. 3. Hist. Eccles. cap. 3.
(4) In Catalog. Script. Ecclesiast.
(5) Lib. 4. adversus Hæreses, cap. 3.
(6) Lib. 1. Strom. pag. 311. & 316. *Edition. Paris.* & Lib. 6. pag. 679.
(7) Sanctus Irenæus, & Sanctus Clemens Alexandrinus locis supra citatis. Tertullianus Catholicus Libro de Oratione, cap. 12. Et Origenes Lib. 2. Princip. capit. 1. Lib. 4. capit. 2. &c.
(8) S. Athanasius Libro Decretorum Concilii Nicæni, tom. 1. pag. 266. & Epist. Pasch. tom. 2. p. 39. & 40. Eusebius & D. Hieronymus locis jam citatis.
(9) Tertullianus Montanista Lib. Pudicit. cap. 10. 20. S. Prosper, & Papa Gelasius videntur parum æstimasse Pastorem; at benigne explicari possunt.
(10) Tom. I. Biblioth. pag. 76.
(11) Tom. II. Histor. Ecclesiast. pag. 121. 122.

I. Sæculum.

scriptum fuerit; ac admonet insuper, D. Hieronymum asserere (12), Græcis magis, quam Latinis innotuisse. Et revera satis perspectum est, prosequitur D. de Tillemont, textum latinum, quem nos habemus, ex græco traductum esse; at versio hæc, ut communis est opinio, primis Ecclesiæ temporibus elaborata est; & constat, optime referre textus græcos, quos Auctores vetustiores proferunt. Hæc omnia præmittenda erant, antequam exhiberem hujus Operis Doctrinam, quæ Mores magis respicit, quam Dogma.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA.

§. I.

De Filio Dei.

Antiquitas Filii Dei. Similit. 9. num. 12.

HÆC sunt insigniora quæ legi quoad Dogma. 1° Pastor loquens de Filio Dei in libro Similitudinum, ait, eum antiquiorem esse omni Creatura, adeo ut Patri suo adfuerit in Creatione Mundi: *Filius quidem Dei omni Creatura antiquior est, ita ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam.* Phrasis hæc, Filium Dei esse antiquiorem omni creatura, prima fronte videri posset minus castigata, si in seipsa accipiatur; quippe Filium Dei Creaturarum in numerum collocare videtur, solam illi præcedentis temporis prærogativam tribuendo: at si verba hæc copulentur cum illis quæ immediate subsequuntur, & quæ superius recitavi, orthodoxam Pastoris Fidem exhibent. Si enim verum est, Filium Dei Patri adfuisse in Creatione Mundi, sicuti docet Pastor, necessario inde deducitur, illum una cum Patre esse Creatorem: sed proprietas Creatoris est omnino Divina, & quæ nulli congruere potest creaturæ, licet insignior, ac cæteris antiquior sit, prout & ipsi docent sapientiores inter Gentiles Philosophi: igitur nihil morari nos debet in adducto textu, qui nedum Filium Dei non adjungit Creaturis, verum econtra ipsius Divinitatem probat, illum una cum Patre Creatorem declarando. Obiter etiam animadvertendum est, valde inter se hæc duo differre, scilicet, Filium Dei esse antiquiorem omni creatura; & Filium Dei esse creaturam omni alia creatura antiquiorem. Postremus hic loquendi modus utique læderet Divinitatem Verbi, non autem primus. Sicuti enim si diceretur, exempli gratia, Filium Dei esse sapientiorem ac potentiorem Angelis, non sequeretur inde, illum esse Angelum; ita cum dicitur, eum esse omni creatura antiquiorem, non sequitur inde, illum esse Creaturam. Cæterum, si hæc phrasis difficultatibus scateret, perfecte, meo videri, purgari posset Pastor circa Divinitatem Filii Dei, sequentibus verbis, quæ in eodem capitulo reperiuntur, ubi habentur supra allata verba, in quibus est quæstio: *Nomen Filii Dei magnum, & immensum est, & totus ab eo sustentatur orbis*: quod sane de solo Deo dici potest. Verum quidem est, D. Athanasium nos monere, quod ejus ævo Ariani ex Libris Hermæ objectiones sumebant contra Divinitatem Verbi; at S. hic Doctor satis superque ostendit harum objectionum futilitatem; & nihil aliunde tradit, ex quo non eruatur, supra adducto textu abuti voluisse Hæreticos contra fidem Ecclesiæ quoad Filii Dei Divinitatem.

Divinitas Verbi. Similit. 9. num. 14.

§. II.

Mediatio Salvatoris.

Absoluta necessitas mediationis Salvatoris ad æternam salutem obtinendam. Similit. 9. num. 12.

VAlidius nihil tradi potest iis quæ docet Pastor in eodem libro similitudinum quoad absolutam necessitatem, in qua versamur, mediationis Jesu Christi ad æternam salutem consequendam. Perspicue declarat, neminem intrare posse in Regnum Dei, nisi acceperit nomen Filii ejus: *Nemo intrabit in regnum Dei, nisi qui acceperit nomen Filii Dei.* Explicat gravissimam hanc veritatem paritate cujusdam urbis muro cinctæ, quæ unica donatur porta, per quam necessario ille transeat oportet, qui velit Urbem ingredi: quemadmodum igitur non potest, inquit ille, in Urbem intrari, nisi per hanc portam; ita nec in regnum Dei intrari aliter potest, nisi per nomen Filii ejus, qui est ei charissimus: *Sicut ergo ..... non potest in illam Urbem intrari, nisi per portam ejus; ita nec in regnum Dei potest aliter intrari, nisi per nomen Filii ejus, qui est ei charissimus ..... Porta vero*, addit Pastor post quatuor vel quinque lineas, *Filius Dei est, qui solus est accessus ad Deum. Aliter ergo nemo intrabit ad Deum, nisi per Filium ejus.* Æterna igitur salus obtineri nequit absque fide in Jesum Christum.

§. III.

Baptismus Christianorum.

Necessitas & Efficacitas Baptismi.

EX allata modo constantissima veritate aliam inde deducit Pastor, quæ ab illa naturaliter fluit, scilicet necessitatem Baptismi, ejusque miram efficacitatem. *Antequam enim*, ait ille, *accipiat homo nomen Filii Dei, morti destinatus est: at ubi accepit illud sigillum, liberatur a morte, & traditur vitæ. Illud autem sigillum, aqua est, in quam descendunt homines morti obligati, ascendunt vero vitæ assignati.* Pulchrior forte non adinvenitur textus ad necessitatem Baptismi, ejusque miram efficacitatem comprobandam. Pastor tam vehementer in hoc articulo insistit, ut contendat, Justos qui ante Incarnationem decesserunt, non potuisse in regnum Dei intrare, nisi Divino hoc Sacramento signati essent. *Necesse est*, ait ille, loquens de Patriarchis, Prophetis, & Justis, qui ante Salvatoris adventum vivebant, *ut per aquam habeant ascendere, ut requiescant: non poterant enim aliter in regnum Dei intrare, quam ut deponerent mortalitatem prioris vitæ.* Addit insuper, veteres istos sigillo Filii Dei signatos fuisse, & ita ingressos esse regnum Dei: *Illi igitur defuncti sigillo Filii Dei signati sunt, & intraverunt in regnum Dei*: deinde, Apostolos, & Doctores Ecclesiæ, post eorum mortem his prædicavisse Evangelium Jesu Christi, & dedisse eis Baptismum, qui solus deerat, ut essent Beati: *Quoniam hi Apostoli & Doctores, qui prædicaverunt nomen Filii Dei, cum defuncti essent, prædicaverunt his, qui ante obierant, & ipsi dederunt eis illud signum .... tantummodo hoc sigillum defuerat eis.* Singularis sane hæc esset opinio, si Pastor vellet hic loqui de Baptismo aquæ; puto autem ego cum D. Ab. Fleury (a), verba hic fieri de gratia Baptismi; immo potius, sicuti optime advertit D. Cotelerius (b), de Baptismo metaphorico, & omnino spirituali, prout conveniebat animabus a propriis corporibus separatis. Cæterum, non solus Hermas hanc opinionem amplexus est: videbimus infra pro ea pugnantem S. Clementem Alexandrinum (c), qui adducit in hujus caussæ patrocinium textus paulo supra recensitos. Quod vero tradit Pastor de Prædicatione Apostolorum facta animabus Justorum, qui ante Incarnationem decesserunt, vehementer obtinet apud veteres. Vide hac super re eruditum Cotelerium in suis notis in hunc locum.

Necessitas Baptismi pro Justis, qui ante Incarnationem decesserunt. Ibid.

§. IV.

Pœnitentia.

Textus difficilis circa Pœnitentiam. Mandat. 4. num. 3.

VAlde terribile est quod tradit Pastor circa Pœnitentiam. Domine, dicit ei Hermas, audivi a quibusdam Doctoribus, quod alia pœnitentia non est, nisi illa, cum in aquam descendimus, & accipimus remissionem peccatorum nostrorum; ita ut nos non debeamus ulterius peccare (post receptionem hujus Sacramenti). Hoc verum utique est, respondet ei Pastor: *Recte audisti.* Sed postea ei demonstrat, Baptismum non esse proprie pœnitentiam, sed remissionem, & pœnitentiam non esse, nisi pro iis, qui postquam vocati sunt, & inter Fideles cooptati, a diabolo tentati peccaverunt: *Et ideo dico tibi*, sequitur Pastor, *quod post vocationem illam magnam, & sanctam, si quis tentatus fuerit a diabolo, & peccaverit, unam pœnitentiam habet; si autem subinde peccet & pœnitentiam agat, non proderit homini talia agenti: difficile enim vivet Deo*: Una etenim, ait ille aliquanto superius, habetur tantummodo pœnitentia pro servis Dei: *Servis enim Dei pœnitentia una est.* Nullam difficultatem quoad Dogma in his textibus adinvenio; at timoris & trepidationis argumentum inde sumant oportet ii omnes, qui ob frequentes relapsus valde dubiam reddunt pœnitentiam. Dixi primo loco, nullam in his textibus haberi difficultatem quoad Dogma,

Num. 2. ejusdem Mandati.

(12) In Catalogo Scriptor. Ecclesiasticorum.
(a) Tom. I. Histor. Ecclesiast. Lib. 2. pag. 199.
(b) Tom. I. Operum SS. Patrum Apostolicorum p. 117.
(c) Lib. 2. Strom. pag. 376. & Lib. 6. pag 638.

I. SÆCULUM.

ma, quia in postremo eorum sermo est de pœnitentia publica, ut nullo negotio eruitur ex caussa, ob quam Pastor illam phrasim adhibet; loquitur enim ibi de adulterii crimine, quo aliquis sæpe inquinaretur: at Ecclesia mulctabat olim crimen hoc pœnitentia publica, quæ revera una tantum vice concedebatur. Quoad alium vero textum, nulla-nec in ipso difficultas adinvenitur, etiamsi verum esset, Pastorem ibi loqui de pœnitentia particulari: nam si res ad examen rigorose revocetur, Auctor id solum tradere intendit, frequentes scilicet relapsus esse haud dubia inditia adversus falsam conversionem illorum peccatorum, quorum tota vita continuis texitur peccatis & confessionibus sibi invicem succedentibus: Si post pœnitentiam, inquit ille, subinde peccet, & pœnitentiam agat, non proderit homini talia agenti; difficile enim vivet Deo. Notandum hic est, Pastorem absolute non asserere, hominem non posse quolibet vitæ suæ tempore veram pœnitentiam agere, & in amaritudine cordis sui, & corde contrito & humiliato ad Deum sese convertere; sed solum maximam prædicat difficultatem hujus conversionis in peccatoribus, de quibus est sermo: *Difficile vivet Deo*; quod indubium est. Phrases his simillimas, immo asperiores etiam adinvenimus in aliquo alio Ecclesiæ Patre: quod sane Veterum horrorem pro frequenti relapsu ostendit. Utinam nostris hisce temporibus, qui ad id tenentur, sanctum hunc horrorem Christianis ingererent! Utinam inconsiderata facilitas absolutionum occasionem non præberet peccatoribus facilius prolabendi in peccata!

§. V.

DEI MANDATA.

Possibilitas, immo & facilitas observandi mandata Dei. *Mand. 12. num. 3.*

I. VEritatem hanc, scilicet mandata Dei observari posse ab hominibus in hac vita, totis viribus tuetur Pastor in suo libro Mandatorum. Hæc siquidem loquitur ibi cum Herma: *Hæc mandata facile custodies, & non erunt dura: sed si tamen in cor tuum posueris, non posse ab homine custodiri, non custodies ea.* Et paulo post Pastor exprobrat Hermæ inconstantiam, ejusque ignorantiam, eo quod attente non consideret majestatem Dei, qui omnem creaturam subjecit homini; *& omnem potestatem dedit ei, ut dominetur horum mandatorum.* Nota ly *dominetur*. Dominari, addit ipse, potest omnium horum mandatorum, qui habet Dominum in corde suo: Qui autem habent Dominum in labiis suis, & cor illorum obtusum est, & longe sunt a Domino; illis mandata hæc dura sunt & difficilia: quod in illud recidit S. Augustini: *Amanti nihil difficile. Ponite ergo* (concludit Pastor) *vobis .... Dominum Deum vestrum in corde habere*, (scilicet eum diligite) *& intelligetis quod nihil facilius est his mandatis, neque dulcius, neque mansuetius neque sanctius.*

Imbecillitas Dæmonis in Dei servos. *Ibid. n. 5.*

II. Hermas objicit Pastori, quod nemo est, qui non petat a Domino, ut possit mandata ejus servare: *sed diabolus durus est, & potentia sua dominatur in Dei servos.* Pastor vero ei respondet, non posse diabolum dominari in Dei servos, qui ex totis præcordiis in Dominum credunt. *Potest autem*, addit insuper, *diabolus luctari, sed vincere non potest: si enim restiteritis illi, fugiet a vobis confusus.* His verbis confirmari possunt animæ quædam meticulosæ, quibus terrorem incutiunt christianæ virtutes, easque putant in praxi esse nimis molestas, quin immo & impossibiles eorum naturæ. Velint ipsæ, diligant, & nihil erit difficile. Qui diligit, omnia potest. Hac dilectione de Satana victoriam reportabunt, & communis hujus hostis minas contemnent; quæ quidem minæ, inquit Pastor, sine virtute sunt, sicut hominis mortui nervi: *Minas autem illius in totum nolite timere; sine virtute enim sunt, sicut hominis mortui nervi.* Phrasis hæc originalis est, perfectamque habet pulchritudinem; ac pathetice exponit in quo summo contemptu debeamus habere dæmonem: absit vero quod hoc minus nos sollicitos reddat ac vigilantes adversus ejus fraudes & insidias.

§. VI.

GRATIA.

Difficilis textus circa Gratiã. *Similit. 8. num. 6.*

QUidam locus occurrit in Pastore, qui posset moturi lectorem parum de gratia instructum. *Quorum*, ait Pastor, *viderit Dominus puras mentes futuras, & servituros ei ex totis præcordiis; illis tribuit pœnitentiam; & quorum aspexit dolum & nequitias, & animadvertit ad se fallaciter reversuros, negavit iis ad pœnitentiam regressum, ne rursus legem ejus nefandis maledicerent verbis.* Videri, inquam, posset hic Pastor aliquibus Pelagianismum sapere, vel ad minus semi-Pelagianismum, in materia gratiæ, quam primo aspectu videtur concedere meritis, & bonis dispositionibus hominum, minime recognoscendo illam ex parte Dei gratuitam. At advertendum 1°. est, primævis temporibus nemini in mentem venisse disputationem instituere supra mysterium Gratiæ, eique gloriam præripere conversionis, ac justificationis peccatoris: atque hac de caussa Hermas suum Pastorem perhibet loquentem de gratia satis confidenter. 2°. si recte ad examen revocetur hic textus, nihil in eo adinvenitur, quod multum detinere nos debeat: Omne id enim, quod ibi docetur, ad hoc reducitur, Deum videlicet concedere gratiam pœnitentiæ hominis sinceritati, ejusque bonis dispositionibus. Hæc phrasis autem non est Pelagiana, nec semi-Pelagiana, nisi in sensu eorum, qui tenent, hanc sinceritatem, hasque bonas dispositiones unice ex libero arbitrio procedere, & ex viribus naturæ; quod quidem nec hic docet Pastor, nec alibi, quod sciam, in toto opere suo. Quinimmo dici etiam potest, non absque ratione Pastorem illis vocibus usum esse; quippe pœnitentia est una ex iis gratiis, quas Deus non concedit, ordinarie loquendo, nisi post multas alias, uti fidei, spei, quæ sunt veluti dispositiones ad istam.

§. VII.

ANGELI.

I. POstremus notabilis articulus in Pastore quoad Dogma respicit Angelos; subordinationem scilicet quæ inter ipsos reperitur, & sollicitudinem quam habent circa res hujus mundi. Quantum ad eorum subordinationem, in explicandis miris circumstantiis cujusdam turris, quam illi ostenderat, hæc tradit Pastor Hermæ: *Illi autem juvenes sex qui ædificant .... sunt Angeli Dei, qui primo constituti sunt, quibus tradidit Dominus universam creaturam suam .... cæteri autem qui apportant lapides .... & ipsi sancti Angeli Domini; sed illi sunt his excellentiores.* Igitur diversi ordines spirituum cœlestium numerantur, diversi gradus gloriæ & dignitatis.

Subordinatio inter Angelos. *Lib. Visionum Vision. 3. n. 4.*

II. Quoad sollicitudinem vero, quam habent circa res hujus mundi, 1°. Pastor tradit Hermæ, Arcangelum S. Michaelem habere potestatem super populum Christianum, & gubernare illum: *Nuncius autem ille ....* (verba sunt Pastoris) *Michael est, qui populi hujus habet potestatem, & gubernat.* Hinc peculiaris devotio Ecclesiæ Catholicæ erga S. Michaelem, fundatur in Doctrina primævæ antiquitatis. 2°. Idem Pastor aperte declarat, Filium Dei præposuisse Angelos in custodiam eorum, quos Pastor ipsi tradidit: *Eis, quos Filio suo tradidit, Filius ejus nuncios præposuit, ad conservandos singulos.* Etsi agatur hic de solis Prædestinatis, certum est nihilominus, quod Pastor idem privilegium concedit cæteris hominibus. Primo enim illud concedit Neophitis ipsis, dum dicit, quod illi *ab Angelis commoneantur ab benefaciendum.* Deinde declarat in genere, quod duo Genii, sive duo Angeli, sunt cum homine, bonus unus, alter malus: *Duo sunt genii cum homine, unus æquitatis, & unus iniquitatis.* Genii æquitatis præsentia persentitur, quia cum in cor hominis ascenderit, loquitur de justitia, de pudicitia, de castitate, de pietate &c. econtra vero dignoscitur præsentia genii iniquitatis, quia iracundiam excitat, appetentiam rerum alienarum, ambitionem, & quæcumque his similia sunt, Dominus Ceillier prudenter animadvertit (*a*) in hunc locum, quod sine caussa damnaretur Hermas, ac si introduxisset errorem periculi plenum, assignando cuilibet homini bonum Angelum, & malum: Opinio enim hæc non habet tantummodo veterem hunc sectatorem, sed plures Patres post illum eamdem amplexi sunt (*b*), unde ad minus ut probabilis admitti potest, ut ait Estius (*c*) super Magistrum Sententiarum, qui æque huic opinioni adstipulatur.

S. Michael Protector populi Christiani. *Lib. Similit. Simili. 8. n. 3.*

Præfestinati Angelorum custodiæ traditi. *Eod. Lib. Similit. 5. num. 6.*

Angelorum sollicitudo pro Neophitis *Lib. I. Vision. 3. n. 5.*

Duo Angeli cum homine; unus bonus, malus alter. *Mand. 6. num. 2.*

III. In libro Visionum alter habetur locus, qui ad rem præsentem facere potest. Accipe quæ ibi leguntur. Hermas post visionem bestiæ magnæ, qua perterrefactus est, vidit quamdam mulierem exornatam, to-
tam

Angelus præpositus bestiis. *Lib. I. Vision. 4. n. 1. & 2.*

(*a*) Histor. Auctorum Ecclesiasticorum, Tom. I. pagin. 594.

(*b*) Origenes Homil. 23. super Josoe, & Homil. 1. super Ezechielem. S. Basilius super caput 3. Isaiæ. S. Gregorius Nissenus Lib. Vitæ Moysis, Tom. I. pag. 194. S. Maximus Centur. I. Charitatis, c. 91. S. Joann. Chrysostomus, homil. 3. super Epist. ad Colossenses. Magister Sententiarum Lib. 2. Distinct. II. num. 1.

(*c*) Estius in hunc locum Magistri Sententiarum.

tam in albis, habentem in capite mitram, & pro tegumento capillos nitidos, quæ ei significavit, per merita propriæ Fidei se effugisse rabiem ac furorem bestiæ, & Deum misisse ad ejus auxilium suum Angelum, qui imperat bestiæ, cui nomen est Hegrin: *Propter hoc misit Dominus Angelum suum, qui est super bestiam, cui nomen est Hegrin, & obturavit os ejus, ne te delaniaret.* In textu quem nobis exhibet Dominus Cotelerius, pro *super bestiam*, ut ego retuli, legitur *super bestias*: Consultius autem est primæ lectioni adhærere potius, quam huic posteriori; quis sic sequimur quamdam editionem, quæ in copiosa Bibliotheca Domini Colbert adinventa est, quæ habet; *Super bestiam, cujus nomen est Hegria*: ex quo eruitur, *Hegrin* non esse nomen Angeli, sed bestiæ: & id verosimilius est etiam ex eo, quod vox *Hegrin* significet græce, ἀγριός, quod latine vertitur crudelis, ferox, barbarus; quæ omnia utique bestiæ, de qua loquimur, conveniunt, minime vero Angelo, qui illi præest. Animadversio hæc est P. Noury Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Mauri (a); qui addit etiam, Auctorem hic respicere verba ista Psalmistæ (b), *Singularis ferus μονὸ ἄγριος, depastus est eam,* (*scilicet Ecclesiam.*) In qua sane re tradenda huic innititur ratiom, quod scilicet in eodem capite, ex quo textus hic Hermæ excerptus est, agitur de persecutione, quæ Ecclesiam manebat, & quæ per hanc terribilem bestiam designabatur, ut Hermæ ibi revelatum fuit. Tempus autem est, ut pulcherrimas veritates, quas circa mores Auctor iste nobis proposuit, ad examen revocemus.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

§. I.

TIMOR DEI.

PRimum Moralis disciplinæ punctum respicit Timorem Dei, & utilitates quæ inde consequuntur. Pastor docet nos hac in re, quod per timorem Dei possumus omnia opera justitiæ peragere: *Timeas Dominum omnia bona operaberis.* Tradit insuper, timorem hunc necessarium esse ad salutem; hoc nos reportare de dæmone victoriam, & dominium super illum exercere, quia revera super Dei servos nulla virtus illi est: *Timens enim Dominum dominaberis illius (Diaboli,) quia virtus in illo nulla est.* Per hunc timorem, uno verbo, a peccato recedimus, justitiam exercemus, pie vivimus. *Time igitur Deum*, concludit Pastor, *& vives.* Extra omnem controversiam est, sermonem hic haberi de timore supernaturali, de illo scilicet timore, quem semper aliquis amor comitatur; quippe agitur de timore, ope cujus mandata Dei observamus, & justitiæ operibus inhæremus.

Effectus Timoris Dei. Lib. II. *Mand.* 7.

§. II.

ORATIO.

DE Oratione agit secundum Moralis punctum. Vult Pastor quod assidue huic sancto exercitio vacemus, & ad Deum accedamus cum omni possibili fiducia in ejus misericordiam, etsi innumera, ac enormia sint peccata, quibus detinemur: *Non est enim Deus*, ait Pastor, *sicut homines memores injuriarum; sed est immemor injuriarum, & miseretur figmenti sui.* Peccatores vero, antequam ad Deum accedant per orationem, cor subducere debent ab omnibus vitiis, quæ in se ipsis adinveniunt, & sincero animo ad Deum reverti; secus esset præsumptio qualibet venia indigna, expectare a Deo effectum illarum precum, quas bis non præmissis dispositionibus fudissent: *Ergo purifica cor tuum .... & accipies omnia bona quæ petis .... qui ergo tales non sunt, omnino nihil impetrant eorum, quæ petunt.* Si contingat nihilominus, quod prævius etiam bonis dispositionibus non accipiamus petitionem nostram, dubitare non debemus, sed magis magisque orare, & nullas de Deo ingeminare querelas, sed solum de nobis ipsis; Deus enim semper paratus est ad impertiendam misericordiam: *De te queraris, non de Deo, quod non dederit tibi.* Ex hisce edíscimus duo inter cætera, quæ æque necessaria sunt: primum est, nos ob multitudinem, & enormitatem etiam nostrorum peccatorum deflectere non debere ab Orationis semita: secundum, oportere, priusquam quidquam a Deo petamus, dimittere saltem affectum ad peccatum, & ad veram pœnitentiam nosmetipsos determinare: si hæc negligantur, omnes nostras preces vanas ac sine fructu experiemur, ne quid ulterius dicam.

Dispositiones, quæ debent præcedere & comitari Orationẽ. Lib. 2. *Mand.* 9.

§. III.

POENITENTIA ET JEJUNIUM.

I. CUm Hermas conquereretur cum Pastore de tribulationibus, quas in sua domo patiebatur, docet eum Angelus, quod propter propria peccata, & peccata domus suæ temporales has calamitates experiebatur; deinde illi tradit totum id quod ad veram pœnitentiam requiritur. Dicit igitur, quod qui agit pœnitentiam debet affligere animam suam, humilem se præstare, animose vexationes multas, variasque perferre, & præcipue cor purum gerere ab omni opere nequissimo. Hæc sunt quæ tradit vetustus hic Scriptor circa veram pœnitentiam, quæ toto cœlo differunt ab iis quæ docent nostrorum temporum Hæretici. Nec minori animadversione dignum est id quod alibi dicit de jejunio. Nescitis (verba sunt Pastoris) Deo jejunare, neque est jejunium hoc quod jejunatis, Deo nihil proficientes .... *Sed ego te docebo quod sit jejunium plenum, acceptumque Deo. Jejuna certe jejunium tale: nihil in vita tua nequiter facias; sed mente pura servi Deo, & in præceptis ejus ingrediens; neque admissorio desiderium noceas in animo tuo .... Hoc si feceris, jejunium magnum consummabis, acceptumque Domino.*

Idea veræ pœnitentiæ. Lib 3. *Similit.* 7.

Idea veri Jejunii. Eod. Lib. *Similit.* 5. n. 1. & 2.

II. Ne putemus interim, Pastorem excludere ab idea veri jejunii mortificationem corporis: etenim prætetquamquod textus allatus non est omnino exclusivus, peremptoriam contrarii probationem habemus in eodem capite. *Perfectis quæ supra scripta sunt*, (ait Pastor ad Hermam,) *illo die quo jejunabis, nihil omnino gustabis, nisi panem & aquam; & computata quantitate cibi, quem cæteris diebus comesturus eras, sumptum diei illius, quem facturus eras, seponas, & dabis viduæ, pupillo, aut inopi .... Hæc statio sic acta est bona & accepta Domino.* Constat igitur 1º. adversus Novatores, hostes jejunii & abstinentiæ, mortificationes corporis in usu fuisse in Ecclesia primævis temporibus, & habitas fuisse uti inseparabiles a vero jejunio pro iis, qui nullam habebant legitimam dispensationis caussam, 2º. adversus jejunantes avaros, quod abstinentiis debebant eleemosynam addere, & in operibus charitatis impendere quæ sensualitati detrahebant, secus veri jejunii remunerationem non recepissent. Obiter observandum est, jejunium primis Ecclesiæ sæculis *Stationem* vocari consuevisse.

Quid faciend. in diebus jejunii. Ibid. num. 3.

§. IV.

ELEEMOSYNA.

I. DE Eleemosyna verba faciens Pastor, æque instruit illos qui eam erogant, ac illos qui eam recipiunt. Monet primos ut simpliciter dent, & sine distinctione, omnibus qui mendicant, quia hæc est voluntas Dei: *Omnibus inopibus da simpliciter, nihil dubitans cui des. Omnibus da: omnibus enim Deus dari vult de suis donis.* Alii inter veteres nihilominus adsunt, qui idem non sentiunt, ut videbimus infra. Ad illos vero qui eleemosynam recipiunt quod attinet, vult Pastor, ut ea vera necessitate id faciant; secus rationem rigorose reddent de iis eleemosynis, quas absque vera necessitate receperunt: *Qui autem accipiunt ficta necessitate, reddent rationem .... Qui autem dat*, addit ille, *innocens erit; sicut enim accepit a Domino, ministerium consummavit.*

Simpliciter facienda est Eleemosyna juxta Pastorem. Lib. 2. *Mand.* 2.

Contra fictos pauperes. *Ib.*

II. Caussam quæ valde urget affert Pastor, ut divites ad eleemosynam elargiendam inducat; quia scilicet ille qui hoc charitatis opus negligit, magnum admittit peccatum, & fit reus sanguinis fratris sui, si forte hac de caussa pereat: *Qui novit igitur calamitatem hujusmodi hominis, & non eripit eum, magnum peccatum admittit, & fit reus sanguinis ejus.* Si hoc verum est, de quo sane dubitare non possumus, concipere debemus, ante oculos justi Judicis multos haberi homicidas inter divites; inter divites inquam ipsos, qui arbitrantur, manus habuisse semper mundas a sanguine humano. Altera, qua Pastor utitur, ratio ut nos excitet ad charitatem erga pauperes est, quia si dives dat pauperi quæ illi opus sunt, pauper orat ad Dominum pro divite. Hinc concludit, quod pauper & di-

Rationes gravissimæ pro elargienda eleemosyna. Lib. 3. *Simil.* 10. num. 4.

Eod. Lib. *Simil.* 2.

(a) In apparatu ad Bibliothecam, pag. 120.

(b) Psalm. 79. v. 14.

I. SÆCULUM.

& dives ad invicem unus alterius auxilio indiget, & divites de bonis pauperum participant, sicuti & pauperes de bonis divitum: *Sunt igitur ambo consortes bonorum operum suorum*. Videamus modo in quem usum bona hujus vitæ insumenda sint.

§. V.

NEGOTIA SÆCULARIA.

Negotia sæcularia innumeris culpis exponunt, & veri Dei famulatui impediunt. Fod. Lib. Similit. 4.

I. QUæ super hac re tradit Pastor attenta consideratione digna sunt pro iis, qui negotiis sæcularibus omnino se devovent. Pastor exhortatur Hermam, ut abstineat ab hujusmodi occupationibus; & perspicue declarat, quod propter negotia hujus sæculi in multis delinquimus, & Deo, prout oportet, obsequium non præstamus: *Abstine te*, ait ad illum, *a multis negotiis, & nihil delinques: quicumque enim multa negotia agunt, multa delinquunt: quia constricti sunt circa negotia sua, & non serviunt Deo*. Felix hominum qui a mundo sunt separati vita! Beatæ solitudines, in quibus perfruitur homo perfecta illa quiete, qua in Dei famulatum se exercet, & maximo æternæ salutis negotio serio incumbit! Sanctum hoc otium, quidquid blaterent amatores sæculi, immensum superat vanitates & ineptias, quibus detinentur.

Christiani tenentur ea effugere, quia adhuc in peregrinatione morantur. Fod. Lib. Similit. 1.

II. Nescio an iis, quæ tradit Pastor initio tertii sui libri, aptius aliquid dici possit ad creandum fastidium erga res temporales in illis etiam, qui magis ad illas propendunt, posito tamen quod sincero corde teneant Catholicam Fidem. En egregia ejus verba: *Scitis vos Domini servos in peregrinatione morari. Civitas enim vestra longe est ab hac civitate. Si ergo scitis civitatem vestram, in qua habitaturi estis; quid hic amatis agros, & apparatus lautitias, & ædificia, & habitationes supervacuas? Hæc enim*, addit insuper, *qui comparat in hac civitate, non cogitat in suam civitatem redire*. Doctrina hæc pia ac religiosa est; parum autem nostris hisce diebus probatur. Pluribus posset insuper hæc doctrina larvam detrahere, qui maximo versantur in errore, dum sibimetipsis persuadere conantur, conditionem hominis viatoris, hospitis, ac exulis, in qua proprie veri Christiani idea ac character consistit, cum conditione hominis, qui negotiis incumbit, voluptatibus indulget, ac ducit in bonis dies suos, simul posse conjungi. Pastoris ratiocinatio contra talem vivendi modum, utique differt toto cœlo ab eorum mente super hanc rem; sed non ideo minus recta est, minus valida, minus concludens. Vult igitur Angelus iste, quod Christiani pro agris quos emere volunt, pro palatiis, domibusque quas volunt ædificare, suas opes insumant in erogandis eleemosynis, & in viduis, ac orphanis sublevandis: *Pro agris ergo, quos emere volueritis, redimite animas de necessitatibus, prout quisque potest; & viduas absolvite, orphanis judicate; & opes ac divitias vestras in hujusmodi operibus consumite*. In hos usus, juxta Pastorem, ac veritatem ipsam, temporalia bona impendi debent.

Usus licitus bonorum hujus vitæ. Ibid.

§. VI.

IMPURITAS.

I. INter plura quæ animadvertit Pastor contra impuritatem, nonnulla selegi, quæ ad Fidelium ædificationem inservire possunt. Vocat 1o. magnum peccatum, omnem cogitationem de alieno matrimonio, & de fornicatione: *Mando tibi*, dicit ei Hermas, *ut non ascendat tibi cogitatio cordis, de alieno matrimonio, aut de fornicatione: hæc enim parit peccatum magnum*. Dein docet, quod in corde puro cogitatio impura inhabitare non potest: *Ubi enim castitas manet in corde hominis, nunquam ibi ascendere debet cogitatio mala*. Quod quidem intelligendum est non de simplicibus cogitationibus, quæ sunt in nobis sine nobis, sed de cogitationibus, quas Morales Theologi morosas appellant, sive in iis delectemur, sive non. Medium autem efficacissimum, quo avertamus a nobis malas has cogitationes, & nunquam peccemus, hoc unum est, quod semper Domini memores simus: *Tu autem semper memor esto Domini omnibus horis, & nunquam peccabis*.

Periculũ impurorũ desideriorum. Lib. 2. Mand. 4. num. 1.

Malæ cogitationes nunquam ascendere debent in cor purum. Ibid.

Remedia contra impuras cogitationes. Ibid.

II. Hermas ut ostendat periculum impurarum cogitationum, narrat in suo Libro Visionum, quod videns ipse quadam die puellam quandam lavantem se in flumine Tibri, quam viderat juventutis suæ tempore, ac amaverat; cogitabat in corde suo dicens; Felix essem, si talem uxorem & specie & moribus sortitus essem: *Hoc solum*, inquit ille, *nec ultra quidquam cogitavi*. Cum tamen post tempus aliquod eadem detineretur cogitatione pronciscens, puell., de qua supra, de cœlo apparuit illi in somniis, & dixit: Recepta

Notabilis Visio Hermæ circa cogitationes impuras. Lib. 1. Vision. 1. num. 1.

I. SÆCULUM.

sum huc, ut peccata tua arguam coram Domino; & illum objurgavit de mala cogitatione, quam in ipsam habuerat, quamque peccatum grande vocat: *Peccatum est ..... Et quidem grande*. Exemplum hoc terribile est pro iis, qui nullo anguntur scrupulo, licet immundas hasce imagines mente revolvant.

III. Ad revocandos voluptuosos ab errore, ac eorum oculos aperiendos super periculum, quo exponuntur, oporteret tormenta eis ostendere, quæ ipsos manent in punitionem vetitarum voluptatum, in quas tanto ardore feruntur. Ad hunc finem in Pastore Angelus nobis repræsentat duo voluptuosorum genera in duabus diversis similitudinibus. In prima apparet Pastor quidam indutus eleganti ac pretiosa veste, qui pascebat pecora copiosa, & pecora illa veluti in voluptatibus erant & deliciis plurimis: Pastor iste est Angelus malus, Angelus seductionis, qui corrumpit mentes servorum Dei, & avertit eos a veritate, oblectans cupiditatibus. In secunda econtra repræsentat nobis quemdam Pastorem velut agrestem figuram habentem, ac aspectum trucem & sævum, amictum pelle alba caprina, qui compellebat pecora sua in locum spinosum tribulisque consertum, tenens virgam nodosam in manu sua: Pastor iste est Angelus bonus, Divinæ vindictæ minister, cui traduntur qui a Deo aberraverunt, & servierunt desideriis, ac voluptatibus sæculi hujus; & eos punit, sicut meruit unusquisque eorum, sævis, variisque pœnis. Verba facit hoc loci Pastor de pœnis temporalibus ac satisfactoriis, quarum ostendit diversitatem ac durationem; super quod hanc habet animadversionem, per quam horrere deberemus vel minimas etiam voluptates illicitas, scilicet quod pœna peccati multum excedit dulcedinem in eo perpetrando perceptam: *Dulcedinis una hora*, ait ille, *suo spatio terminatur; pœna vero una hora triginta dierum vim possidet .... Vides igitur*, concludit, *exiguum esse tempus mundanæ dulcedinis ac voluptatis, pœnæ vero tormentorumque amplius*. Itaque, re bene perpensa, si nosmetipsos diligeremus, capitali odio haberemus sensus voluptates.

Voluptuosorum Pœnæ. Lib. 3. Similit. 6. num. 3.

§. VII.

ADULTERIUM.

QUoniam de impuritate sermo est, afferam hic quæ docet Pastor circa modum, quo se gerere debeat maritus cum uxore adultera. Marito præcipit separationem ab uxore sua adultera, secus reus ille erit peccati ejus, & particeps mœchationis ejus. Postquam autem dimiserit illam, nequit aliam ducere usquedum dimissa vivit, nisi seipsum adulterum efficere velit: *Quod si dimiserit mulierem suam, & aliam duxerit, & ipse mœchatur*. Si vero dimissa mulier pœnitentiam egerit, & voluerit ad virum suum reverti, Pastor præcipit marito ut eam recipiat, secus peccatum magnum admittit: *Immo si non receperit eam vir suus, peccat, & magnum peccatum committit*. Quod si mulier post pœnitentiam in eadem peccata prolabatur, in iisque perseveret, & pœnitentiam non agat, debet absolute maritus recedere ab illa, ne particeps sit ejus peccati: *Alioquin & tu*, dicit Pastor, *particeps eris peccati ejus*. Hic actus, juxta Pastoris doctrinam, similis esse debet in viro, & in muliere; utrumque enim respicit, ut declarat ipse his verbis: *Hic actus similis est in viro, & in muliere*. Certas has regulas semper observandas edixit Ecclesia, utpote Scripturarum ac Traditionis auctoritati innixas. Adulterium semper habitum est ut legitima divortii caussa; nunquam autem dissolvit vinculum Matrimonii legitime contracti. Verum utique est, Judæos olim, & nunc etiam, diversimode agere hac in re, & nonnullos extitisse inter Christianos ipsos, qui secundum Matrimonium post divortium licitum docuerunt: sed ad Judæos quod attinet, nemo ignorat quid de hoc agendi modo tenuerit Jesus Christus; quippe hunc damnavit veluti naturali legi oppositum, dicens ab initio sic non fuisse: *Ab initio autem non fuit sic*. Quoad Christianos vero, de quibus supra, sufficiat dicere, eorum auctoritatem non præstare auctoritati Scripturarum & Traditionis, multoque minus auctoritati legis naturalis, quæ læditur, si alterum Matrimonium post divortium permittatur.

Quomodo se gerere debeat Maritus erga Uxorem adulteram. Lib. 2. Mand. 4. num. 1.

§. VIII.

PATIENTIA ET IRACUNDIA.

PAstor super patientiam & oppositum vitium eas nobis communicat instructiones, quæ negligi haudquaquam possunt. De patientia tradit, quod homo per patientiam omnium operum nequissimorum dominatur, videlicet quod ab hisce patientia hominem avertit; quod

Effectus utiles Patientiæ. Lib. 2. Mand. 5. n. 1. & 2.

quod patientes operantur omnem justitiam, Spiritus Sanctus in ipsis habitat, in pace magna; quod virtus hæc est valida, & fortis, & habet virtutem magnam, & honorificat Dominum in omni tempore; uno verbo, quod qui vere patientes sunt, facile observant omnia mandata. Quoad iracundiam vero, docet, quod ipsa Spiritum Sanctum contristat, & e corde expellit, malum spiritum in animam admittit, nostrarum precum impedit effectum, servos Dei evertit, furorem parit, & innumera mala producit. Paulo post eadem dicit de tristitia, & inter cætera, quod *Cruciat Spiritum Sanctum ..... facit iracundiam Spiritus*. Ait tandem: *Oratio tristis hominis non habet virtutem, ut ascendat ad altare Dei.*

Effectus periculosi Iracundiæ. Ibid.

Luctuosæ consequentiæ tristitiæ. Eod. Lib. Mand. 10. num. 2.

§. IX.

Obtrectatio et Mendacium.

NEc minori animadversione dignum est quod tradit Pastor de Obtrectatione & Mendacio. Mandat statim in primo articulo, ne de aliquo male loquamur: *Primum*, ait, *de nullo male loquaris*. Nec minus rigorose prohibet audire male loquentes, præcipue si id fiat deliberate, & libenter: *Neque libenter audias male loquentem: sin vero & tu audieris, particeps eris peccati male loquentis, & credens, eu quoque peccatum habebis, quia credidisti male loquenti de Fratre tuo*. Addit insuper, quod detractio est perniciosa, inconstans dæmonium, nunquam in pace consistit, sed semper in discordiis manet. Quoad mendacium vero, utitur iis phrasibus, quæ terrere eos ipsos deberent, qui absque scrupulo mentiuntur: *Qui ergo*, ait ille, *mentiuntur, abnegant Dominum, non reddentes ei depositum quod acceperunt: acceperunt enim spiritum sine mendacio*. Hæc habet Pastor ad Hermam, qui plorat, eo quia in simulatione vixerit, & mendacium pro veritate affirmaverit. Pastor in sanctis his dispositionibus eum confirmat, hortaturque ut defectus istos emendet.

Contra Maledicos, & libenter eos audientes. Eod. Lib. Mand. 2.

Terribilia Pastoris verba circa Mendacium. Eod. Lib. Mand. 3.

§. X.

Prophetæ.

POstremus Pastoris locus memorabilis respicit modum secernendi Prophetas veros a falsis. Ut hoc obtineatur ad examen utrorumque vita & mores revocari debent: *Habes*, ait ille, *utrorumque Prophetarum vitam; proba ergo de vita & operibus hominem, qui dicit se Spiritum Sanctum habere*. Verus Propheta ille est, qui Spiritu Sancto est repletus. At Divinus iste Spiritus quietus est, humilis, recedit ab omni nequitia, & desiderio vano hujus sæculi; nemini respondet interrogatus, nec singulis respondet; neque cum vult, homini loquitur Spiritus Dei, sed tunc loquitur cum vult Deus. Cum ergo (loquitur semper Pastor) venerit homo, qui habet Spiritum Dei in Ecclesiam justorum, habentium Fidem Dei, & oratio fit ad Deum; tunc Nuntius sanctus divinitatis implet hominem illum Spiritu Sancto; & loquitur in turba, sicut vult Deus. Sic ergo, addit ipse, dignoscitur Spiritus divinitatis, in quocumque Spiritus divinitatis loquitur. Ad pseudo-Prophetam quod spectat, a spiritu movetur, qui est terrestris, vacuus, virtutem non habens: *Exaltat se, & vult primam cathedram habere*: improbus est, verbosus, in deliciis conversatur & in voluptatibus multis, & mercedem accipit Divinationis suæ. Hisce signis ac characteribus diversis veri Prophetæ a pseudo-Prophetis distingui possunt.

Regulæ pro distinguendis veris a falsis Prophetis. Eod. lib. Mand. 11.

Mand. 12. num. 1.

Eod. Mandat. n. 2.

Oblitus sum referre inter veritates Dogmaticas quæ tradit Pastor de secundis nuptiis in libro Mandatorum. Cum scire enim optaret ipse, an secundæ nuptiæ permissæ sint, ad Angelum hæc habet: *Dic mihi: si vir vel mulier alicujus decesserit, & nupserit aliquis illorum, numquid peccat?* Angelus autem illi respondet, hujusmodi nuptias non esse vetitas: *Qui nubit, non peccat*. Docet nihilominus, quod si sic permanserit, (abstinuerit videlicet a secundis nuptiis) magnum sibi conquirit honorem apud Dominum. Hæc sunt, quæ magis notabilia in Pastoris libris adinveni.

Secundæ nuptiæ permissæ. Eod. Lib. Mand. 4. num. 4.

DOCTRINA SANCTI CLEMENTIS

PRIMI HUJUS NOMINIS PAPÆ.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

I. SUB nomine Sancti hujus Papæ & Discipuli Apostolorum duas ad Corinthios Epistolas habemus, & quinque alias, quæ inter Decretales recensentur; quarum prima ac secunda inscriptæ sunt Divo Jacobo Hierosolymorum Episcopo; tertia Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & cæteris Clericis Ecclesiæ; quarta Fidelibus Jerusalem inhabitantibus; postrema duobus Episcopis, quorum nomina sunt, Julius, & Julianus. Præter septem istas Epistolas, adscribuntur etiam S. Clementi octo Libri Constitutionum Apostolicarum, decem Libri *Recognitionum*; alii decem & novem sub hoc titulo, *Homiliæ Clementinæ*; & quoddam compendium actuum Divi Petri. Verum inter tot tantaque scripta, solum prima ad Corinthios Epistola communiter ab omnibus Criticis Summo huic Pontifici tribuitur. Cætera veluti supposititia suscipiuntur; excepta, fortasse, secunda ad Corinthios Epistola, in qua nihil usque adhuc notatum est, unde Opus apocriphum sine nulla hæsitatione dicendum sit; sicuti nec certo constat, vere Sanctum hunc Pontificem habere auctorem: & quod hac super re tradit antiquitas, nec pro una parte, nec pro alia valet nos determinare.

II. Verum utique est, in Constitutionibus Apostolicis verba fieri de duabus S. Clementis Epistolis (1); Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο. Sed quænam sint istæ Epistolæ non definitur. Etiam S. Epiphanius meminit duarum litterarum encyclicarum Sancti hujus Pontificis, quæ legebantur olim in Ecclesia (2): αὐτὸς Κλήμης .... ἀφ' ὧν ἔγραψεν ἐπιστολῶν ἐγκυκλίων τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀναγινωσκομένων. Sed hariolari nemo valet, quidnam per has duas litteras encyclicas intelligat S. Epiphanius, quin immo re bene perpensa, videtur duas Epistolas ad Corinthios nequaquam intelligere: 1°. enim Epistolæ istæ nunquam encyclicæ fuerunt, & nulla adduci potest ratio, qua hoc titulo donari debeant. 2°. Sanctus Epiphanius testatur, in duabus illis Epistolis, de quibus loquitur ipse, verba fieri de Virginitate; quod quidem de duabus ad Corinthios epistolis asserere non possumus.

(1) Canone 83. Apostolico.

(2) Hæresi 30. num. 15.

I. SÆCULUM. mus. Licet enim in secunda aliquid de Castitate dicatur; tamen de Virginitate in particulari nihil ibi continetur; nisi dicere velimus deperdita loca illa, in quibus de Virginitate sermo erat; quod verisimile esse posset, quippe temporis injuria notabilis hujus æpistolæ pars consumpta est. Cæterum, Divus Hieronymus (3) & Photius (4) epistolam hanc reipsa recensent inter opera supposititia: Eusebius autem solummodo asserit (5), epistolam istam nec admitti, nec probari sicuti primam. Itaque nec S. Clementi indubie Opus hoc adscribo, nec supposititium esse assero, quidquid sit circa hanc rem. Hinc proferam pulchriora quæ ibi habentur de Dogmate & de Moribus loca: quod non peragam in aliis Operibus, quæ falso sub S. Clementis nomine circumferuntur, cum haud magnæ auctoritatis sint apud Theologos. Ex Constitutionibus autem nonnulla exscripsi jam, & initio hujus voluminis apposui. I. SÆCULUM.

III. Epistolæ primæ ad Corinthios auctorem esse S. Clementem inficiari non possumus, quin ab universa veteri Ecclesiæ Traditione recedamus. Revera Traditio hæc tam exacta est, ut nemo ausus sit in dubium eam revocare quoad punctum de quo agimus, ne ipsos etiam inter hæreticos nostrorum temporum, etsi epistola hæc iis nihil faveat. S. Irenæus primus est inter SS. Patres, qui de illa loquatur (3); deinde S. Clemens Alexandrinus (4), Origenes (5), Eusebius (6), S. Cyrillus Hierosolymitanus (7), S. Hieronymus (8), Photius (9), &c. S. Irenæus tradit, Epistolam istam conscriptam fuisse occasione cujusdam schismatis haud levis momenti, quod in Ecclesia Corinthiorum subortum est; eamque validissimam appellat, *ἱκανωτάτην γραφήν*. In hac Corinthios ad concordiam & pacem revocat, eisque Fidem annuntiat, quam ab Apostolis jam receperant. Verum quidem est, quod sanctus Lugdunensis Episcopus de hac epistola loquitur, ac si esset Ecclesiæ Romanæ, & reipsa hanc ei adscribit: *ἐπιστολὴ, ἡ ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησία τοῖς Κορινθίοις*. Hoc autem significat solummodo, quod S. Clemens nomine hujus Ecclesiæ illam conscripsit. Alexandrinus pariter Catechista eam indiscriminatim modo sancto huic Pontifici, modo Romanæ Ecclesiæ tribuit; & Eusebius apertissime declarat, vetustum hunc Pontificem nomine suæ Ecclesiæ illam exarasse. Scriptor iste notat etiam, hanc epistolam pulcherrimam esse, & olim publice legi consuevisse in omnibus ferme Ecclesiis: ex quo in quanta veneratione esset eruitur. Photius ejus stylum perspicuum dicit, eaque simplicitate donatum, quæ in Scriptoribus Ecclesiasticis, idest in sacris Scriptoribus, reperitur: reprehendit tamen in illa tres sequentes articulos. 1°. quod S. Clemens supponit alios terrarum orbes trans Oceanum: 2°. quod tam serio loquitur de Phœnice, ac si vere extaret: 3°. quod Sanctus iste Pontifex ne unum quidem habet verbum de Divinitate Salvatoris; licet fateatur, nihil in ejus epistola contineri quod huic veritati adversetur. Inferius videbimus, quid sentiendum sit de tribus hisce Photii animadversionibus. Tradamus interim Doctrinam, quæ reperitur in duabus epistolis ad Corinthios.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA.

§. I.

SCRIPTURA SACRA.

EX prima Epistola illico eruimus utilissimum testimonium in favorem SS. Scripturarum, quas Spiritus Sancti oracula vocat: *Diligenter*, legitur ibi, *inspicite Scripturas, Spiritus Sancti vera oracula. τὰς ἀληθεῖς ῥήσεις πνεύματος τοῦ ἁγίου. Nostis enim*, ait etiam S. Clemens in eadem Epistola, *& probe nostis Scripturas Sacras dilectis, & penitus in divina eloquia introspexistis, τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ*. Quod sane aptissimum est ad comprobandam inspirationem & divinitatem Sacrarum Scripturarum.

Inspiratio Divina Sacræ Scripturæ. *Epist. 1. ad Corinth. num. 45.*

§. II.

FILIUS DEI.

ATtenta consideratione dignus est articulus, quem circa Divinitatem Jesu Christi in utraque epistola habemus. *Omnes autem*, ait S. Clemens, *humili animo eratis ..... Dei viatico contenti ..... & accurate attendentes sermonibus ejus ..... Passiones illius (Dei) præ oculis vestris erant*. (non vero ejus Doctrina), sicuti parum exacte vertit D. Abbas Fleury (a) *τὰ παθήματα αὐτοῦ (Θεοῦ) ἦν πρὸ ὀφθαλμῶν ὑμῶν*. Porro Sanctus iste Pontifex videtur Divina attributa Salvatori concedere, & hunc Deum passum esse recognoscit: quod æque est contra Arianismum, & contra Hæresim Nestorianam. At notandum hic volumus obiter, gravissimo in errore versari Photium dum asserere non erubescit, ut superius animadvertimus, in S. Clemente nihil adinveniri ad Salvatoris Divinitatem comprobandam. Ita sane nunquam locutus fuisset, si verba attendisset modo a nobis allata, in quibus Sanctus Pontifex tamquam certum ratumque constituit, in Jesu Christo una simul cum Humanitate Divinitatem inhabitare. In secunda Epistola Auctor iste nos docet, ut sentiamus de Jesu Christo, tamquam de Deo, & tamquam de Judice vivorum & mortuorum: *Fratres*, ait ipse initio illius Epistolæ, *ita sentire nos oportet de Jesu Christo, tamquam de Deo, (ὡς περὶ Θεοῦ) tamquam de Judice vivorum & mortuorum*. Nescio an clarius possit quis de Divinitate Jesu Christi testimonium proferre. Expresse alibi declarat, Jesum Christum Spiritum fuisse priusquam Caro fieret: *Jesus Christus Dominus ..... cum primum esset Spiritus, Caro factus est*. Ex quo deducitur adversus quosdam nostrorum temporum Arianos, Filium Dei extitisse ante suam Incarnationem.

Divinitas Jesu Christi. *Epist. 1. num. 2.*

Epist. 2. num. 1.

Existentia Filii Dei ante suam Incarnationem. *Ibid. n. 9.*

§. III.

INCARNATIO.

1. NIhil movendis animis aptius dici potest iis quæ tradit S. Clemens in utraque Epistola circa beneficia, quæ pro hominibus ex Incarnatione Verbi sunt consecuta. Ait enim in prima, nos in Jesu Christo salutare nostrum adinvenisse; Ipsum esse oblationum nostrarum supremum Pontificem; infirmitatis nostræ esse patronum & auxiliatorem: *Salutare nostrum invenimus Jesum Christum, Pontificem oblationum nostrarum, infirmitatis nostræ patronum & auxiliatorem*. Per hunc, sequitur Sanctus iste Pontifex, in cœlorum altitudines oculos dirigemus; per hunc immaculatum & supremum illius vultum speculabimur; per hunc oculi cordis nostri aperti sunt; per hunc insipiens & obscurata mens nostra in admirabilem ejus lucem repullulat; per hunc voluit Dominus, ut immortalem cognitionem gustaremus: *Qui cum sit*, addit insuper, *splendor majestatis ejus, tanto major est Angelis, quanto*

excel-

Beneficia Verbi Incarnati erga Hominem. *Epist. 1. num. 36.*

(3) In Catalogo.
(4) In Bibliotheca, Cod. 113.
(5) Lib. 3. Hist. Eccles. cap. 38.
(6) Lib. 3. adversus Hæreses, cap. 3.
(7) Lib. 1. Strom. pag. 289. Lib. 4. pag. 516. Lib. 5. pag. 536. Lib. 6. pag. 647.
(8) Lib. 2. Principiorum, cap. 3. Et Comment. in S. Joannem, cap. 1. v. 29.
(9) Lib. 3. Hist. Eccles. cap. 16. & 38.
(10) Catech. 18. pag. 203. Edition. Parisien.
(11) Catalog. Script. Ecclesiast. Lib. 4. Comment. in Isaiam, cap. 52. vers. 13. Lib. 2. Comment. in Epist. ad Ephesios c. 2. vers. 2. Et Lib. 2. c. 4. v. 1.
(12) Cod. 113. Biblioth. & Cod. 126.

(a) Tom. I. Hist. Ecclesiast. in 4° pag. 242.

Epistolam ad Hebræos allegat S. Clemens. Ibid.

excellentius nomen sortitus est. Quod quasi de verbo ad verbum ex Epistola ad Hebræos excerptum est, in qua Apostolus iisdem ferme verbis elogium Jesu Christi efformat. Hinc Eusebius (a) advertit, in prima hac S. Clementis Epistola haberi nonnullas sententias epistolæ Divi Pauli ad Hebræos, & quandoque etiam expositas iisdem verbis, quibus utitur Apostolus; quod quidem ostendit, pergit Eusebius, Epistolam ad Hebræos nequaquam esse Opus recens, & jure meritoque aliis istius Apostoli epistolis adjungi.

II. Auctor secundæ Epistolæ ad Corinthios non minus urget ingentes utilitates Incarnationis. Vetat primo loco humilia sentire de nostre salute, & de illo, qui hujus salutis est Auctor. Docet insuper, nos peccare, si nescimus unde & quo modo vocati sumus, & a quo, & in quem locum, & quanta sustinuit Jesus Christus pati propter nos. Eo maxima beneficia, quæ a Divino hoc Salvatore, ut tradit S. Clemens, recepimus. *Lucem nobis largitus est: Tamquam Pater Frlios nos appellavit; pereuntes nos servavit*. Miseratus est nos, & visceribus commotus salvos fecit, cum in nobis multum errorem ac interitum spectasset, *Nec habere nos ullam salutis spem, nisi eam quæ ab ipso. Vocavit enim nos, qui non eramus, & voluit a nihilo esse nos*. Verba hæc mirifice ostendunt maximam hominis miseriam ante Incarnationem, extremamque qua detinebatur necessitatem medicinalis gratiæ Salvatoris.

Epist. 2. num. 1.

Miseria hominis ante Incarnationem. Ibid. num. 2.

III. Tradit etiam Auctor iste paulo inferius, Gentiles ante Incarnationem Jesu Christi ita mente captos fuisse, ut adorarent lapides, lignum, aurum, argentum; insuper quod tota eorum vita nihil aliud erat, quam mors; & tenebris ac caligine obvolvebantur, quod Ecclesia paucis constabat fidelibus, ac populo circumdabatur ingrato, & beneficiorum Dei immemori. Quæ quidem de idolorum cultoribus intelligenda sunt; quippe ante Incarnationem ad Ecclesiam non spectabant, & Deum ignorabant. *Quod dixit*, (*Scriptura*) ait Pater iste, *latare quæ non paris, nos dixit: Sterilis quippe erat Ecclesia nostra antequam dati essent liberi*, στεῖρα γὰρ ἦν ἡ ἐκκλησία ἡμῶν πρὸ τοῦ δοθῆναι αὐτῇ τέκνα. Igitur inferri inde nequit, neminem justum ante Incarnationem adfuisse. *Sic & Christus*, egregie concludit ipse, *Voluit servare pereuntia, & multos servavit, dum venit, dumque nos jam pereuntes vocavit*. Animadvertere hic oportet cum nostro pio Auctore, debere nos veros germanosque grati animi sensus erga Salvatorem enutrire. Confitebimur autem illum, faciendo quæ dicit, & mandata illius non spernendo; nec solum labiis eum honorendo, sed ex toto corde, & ex tota mente. Non modo igitur, cir Sanctus hic Pontifex, ipsum vocemus Dominum; *id enim non salvabit nos*: sed in operibus ipsum confiteamur; in diligendo alii alios, in non adulterando, neque obtrectando invicem, neque æmulando, sed vivendo in continentia, misericordia, bonitate, &c. Hæc agendo, acceptorum beneficiorum memores erimus vere, sicuti Christianos decet.

Ibid. n. 3. & 4.

§. IV.

Resurrecetio Caants.

I. DE Resurrectione corporum formaliter loquitur in utraque Epistole S. Clemens. Ut possimus de facili veritati huic fidem præstare, utitur sanctus hic Pontifex in epistola prima aliquibus similitudinibus, quæ humiles sunt, & minus peritorum captum non superant. Primo id probat ex ipsa Resurrectione Salvatoris, ac dicit, Jesum Christum ostendisse nobis in sua Resurrectione primitias resurrectionis nostræ: *Consideremus, dilecti*, ait ille, *quemadmodum Dominus nobis continue ostendat resurrectionem, quæ futura est, cujus primitias fecit DOMINUM JESUM CHRISTUM, suscitans eum a mortuis*. Probat id secundo ducta paritate a nocte & die semper sibi invicem succedentibus: *Dies & nox Resurrectionem nobis declarant: cubat nox? exurgit dies; dies abiit? nox advenit*. Tertio ex quotidiana experientia, qua conspicimus, aride & nuda semina in terram jacta, magna providentiæ Domini virtute exurgere, ac fructum proferre. Quarto ex fabulosa, historia Phœnicis. In orientalibus locis, scilicet in Arabia, tradit S. Clemens, est Avis ista, quæ vocatur Phœnix; quæ singularis, & unigena existens, annos vivit quingentos. Cum jam morte dissolvenda est, loculum sibi conficit e thure, myrrha, & reliquis aromatibus; quem loculum completo tempore ingreditur, & obit: ex carne ejus putrefacta vermis quidam nascitur, qui animalis defuncti humore nutritus, plumescit: & alia Phœnix omnium oculis apparet. Nonnullas alias miras circumstantias recitat de Phœnice S. Clemens, quæ sicuti modo allatæ, commentitiæ sunt. Erravit igitur S. hic Pontifex, dum hujusmodi historiæ plenam fidem adhibuit; cæterum, erravit cum plerisque spectatissimis Auctoribus vetustis, Christianis æque ac Gentilibus: & Dominus de Tillemont observat (b), S. Cyrillum Hierosolymitanum inter cæteros hoc usum fuisse Divi Clementis loco, absque eo quod eum erroris insimulet: quod quidem peregit in sua Catechesi decimaoctava pag. 253. Editionis Parisiensis.

Probationes pro futura carnis resurrectione. Epist. 1. num. 24.

Fabulosa historia Phœnicis. Ibid. n. 25.

II. Quinto tandem Sanctus Pontifex probat resurrectionem mortuorum iis Scripturæ locis, in quibus sermo est de hac veritate, iisque utitur aptissime ad fidem & spem super hunc articulum in nobis excitandam. *Deus, qui, ne mentiamur, præcipit*, egregie ait ille, *multo magis ipse non mentietur: nihil quippe Deo impossibile, præterquam mentiri*. Exsuscitetur itaque in nobis fides ejus, concludit ipse, & cogitemus quod omnia ipsi propinqua sunt. In Verbo magnificentiæ suæ constituit omnia, & in Verbo potest illa evertere. *Cum volet, atque ut volet omnia condidit: neque quidquam ab eo decretum præteribit: universa coram ipso sunt, nihilque consilium ejus latet*. Hac Doctrina, veritas, de qua agimus, meo videri evidentissime comprobata est. Impossibile est hujus argumenti vim non sentire: Deus in Scripturis suis corporum resurrectionem spondet: sed Deus mentiri nequit, quia ipsa veritas est ex una parte: ex altera vero omnipotens est ut quæ promisit adimpleat: ergo absque ulla controversia corpora nostra resurgent. Argumentum hoc, dicam iterum, cujusque increduli pervicaciam expugnat. Auctor vero secundæ Epistolæ expresse asserit, quod in propria nostra carne resurgemus, in proprio nostro corpore bonorum operum mercedem recipiemus: *Nos in hac carne* ἐν ταύτῃ τῇ σαρκὶ, *mercedem recipiemus*. Summa in parvo hoc textu præcisio reperitur, & nulli tergiversationi locus remanet.

Alia probatio Resurrectionis. Ibid. n. 27.

Mortui resurgent in propria eorum carne. Epist. 2. num. 9.

§. V.

Gratsa.

VErba faciens S. Clemens de gratiis, quas veteres Patriarchæ consecuti sunt, aperte docet, has omnes Deum gratis largitum fuisse, & horum virorum meritis ac bonis operibus tribui non posse. *Ii ergo omnes*, ait ille, *gloriam & amplitudinem consecuti sunt, non per se ipsos, aut opera sua, aut justas actiones quas fecerunt, sed per voluntatem ejus*. Ex quibus præmissis hanc infert illationem: *Et nos igitur ex voluntate illius* (*Dei*) *in Christo Jesu vocati, non per nos ipsos justi efficimur, neque per sapientiam nostram, aut intelligentiam, aut pietatem, aut opera quæ in cordis sanctitate operati fuimus; sed per Fidem, per quam cunctos qui unquam justi fuerunt, justificavit Deus Omnipotens*. Sanctus Pontifex tradit hic conjunctim egregias tres veritates: 1°. nostram vocationem ad Fidem esse gratuitam ex parte Dei, cum sit effectus bonæ voluntatis suæ, ac misericordiæ erga nos: καὶ ἡμεῖς οὖν διὰ θελήματος αὐτοῦ .... κληθέντες. 2°. omnes conatus humanos, & ipsa etiam pietatis opera, si in seipsis considerentur, & sejuncta a Fide per quam vivificantur, nequaquam sufficere ad justificationem promerendam: οὐ δι' ἑαυτῶν δικαιούμεθα, οὐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας, ἢ συνέσεως, ἢ εὐσεβείας, ἢ ἔργων ὧν κατειργασάμεθα ἐν ὁσιότητι καρδίας. 3°. per Fidem nos justos effici, & Fidem hanc omni tempore ad salutem necessariam fuisse; quippe per hanc Deus justificavit cunctos, qui unquam justi fuerunt: ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως, δι' ἧς πάντας τοὺς ἀπ' αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ Θεὸς ἐδικαίωσεν. Fatendum nihilominus est, in allato textu nonnulla verba haberi, quæ possent lectorem morari, nisi perfecte calleat vera Sancti Clementis principia: Hæc autem verba haud ita perspicua, sunt quæ sequuntur: *Opera, quæ in cordis sanctitate* (ἐν ὁσιότητι καρδίας) *operati sumus*: ex quibus inferre quis posset, Sanctum hunc Pontificem rejicere meritum bonorum operum. Immerito autem hanc illationem quis inferret; & hoc esset recedere a mente Sancti Pontificis, qui non uno in loco & meritum, & necessitatem bonorum operum fatetur. Quid igitur faciemus, Fratres? ait ille post allata superius verba; Cessabimus a bonis operibus, & charitatem derelinquemus? Neutiquam hoc e nobis fieri permittat Dominus: sed cum diligentia & alacritate, festinemus omne opus bonum perficere .... Videamus quod in bonis

Gratiæ gratis collatæ veteribus Patriarchis. Epist. 1. num. 32.

Christiana gratuita vocatio, & quomodo Deus operetur eorum justificatione. Ibid.

Meritum & Necessitas bonarum actionum. Ibid. n. 33. 34.

(a) Lib. 3. Hist. Ecclesiast. cap. 38.

(b) Tom. 2. Histor. Ecclesiast. pag. 117.

I. SECULUM.

bonis operibus ornati fuerunt omnes justi. Et ipse ergo Dominus, cum se operibus decorasset, gavisus est. Habentes itaque hoc exemplar, impigre ad voluntatem ejus accedamus; ex totis viribus nostris operemur opus justitiæ. Et paucis interjectis sic concludit: Oportet ergo nos ad bonum faciendum promptos esse: *Ex hoc enim omnia constant*. Sufficiant hæc, ut omnibus innotescat quid Sanctus Clemens senserit de merito & necessitate bonorum operum. Cæterum, quando dicit, nos per bona opera nostra non pervenire ad Christianam justificationem, id unice intendit, bona hæc pietatis opera, in seipsis accepta, & Fidei spiritu destituta, sicuti superius diximus, operari non posse nostram justificationem; & ex sola Fide, qua opera nostra vivificantur, effectum hunc posse expectari. Hoc pacto Sanctus Pontifex satis superque comprobat excellentiam & efficacitatem Fidei Christianæ.

§. VI.

ORDO ECCLESIASTICUS.

Ordo in celebratione Sacrificiorum, & divinorum Officiorum. Epist. 1. num. 40.

I. PLurima haud levis momenti tradit vetustus hic Pater circa Ecclesiasticum Ordinem. 1o. vult omnia in Ecclesia ordinate fieri. Cuncta, inquit ille, ordine debemus facere, quæ nos Dominus jussit peragere: *Statutis temporibus oblationes & officia perfici, atque temere vel inordinate fieri præcepit, sed præfinitis temporibus & horis: ubi etiam & a quibus celebrari vult ipse excelsissimus sua voluntate definivit: ut pure & sancte omnia facta in beneplacito, accepta essent voluntati ejus*. Semper igitur in Ecclesia pro celebratione Divini Officii assignata fuerunt loca, tempora, ac personæ.

Subordinatio Ecclesiastica. Ibid.

II. Magis autem instat quoad Ecclesiasticam subordinationem: *Summo quippe Sacerdoti*, ait ille, *sua munia tributa sunt; & Sacerdotibus locus proprius assignatus est; & Levitis sua ministeria incumbunt; homo Laicus λαϊκοῖς ἀνθρωπος, præceptis laicis constringitur*. Ex quibus concludit: *Unusquisque vestrum, Fratres, in suo statu gratias Deo habeat, in bona conscientia degens, non transgrediens præscriptam muneris sui regulam*. Consideremus eos, (habet ipse alibi) qui sub Ducibus nostris manent, quemadmodum ordinate, quam strenue, quo modo submisse imperata exequantur.

Ibid. n. 37.

Non omnes sunt Præfecti, neque Tribuni, neque Centuriones, neque quinquaginta militum præfecti, neque consequentium graduum; sed unusquisque in suo ordine, ab Imperatore & Ducibus mandata peragit. Hinc conjicimus qualis esset primis Ecclesiæ temporibus subordinatio in Ministerio, & Ecclesiasticis Dignitatibus; Episcopi scilicet eminebant super simplices Sacerdotes, Sacerdotes vero super Diaconos, & generatim omnes Clerici super Laicos.

III. Quoniam de Ecclesiastico Ordine loquimur, id in medium afferre possumus, quod docet S. Clemens circa Missionem Apostolorum, & Episcoporum, qui ipsos sunt subsecuti. Dicit ergo, quod Apostoli nobis evangelisaverunt a Domino Jesu Christo missi, & Jesus Christus a Deo missus; ideoque missus est Jesus Christus a Deo, & Apostoli a Christo; utraque autem missio facta est ordinatim ex voluntate Dei. Insuper, quod Apostoli acceptis mandatis, & certo persuasi per resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, & in fide confirmati per verbum Dei, cum Sancti Spiritus plenitudine ac securitate, egressi sunt, annuntiantes adventurum esse Regnum Dei: *Prædicantes igitur*, tandem concludit, *per regiones & urbes, primitias eorum, spiritu cum probassent, in Episcopos & Diaconos eorum qui credituri erant, constituerunt*.

Missio Apostolorum, & Episcoporum, qui in illorum locum suffecti sunt. Ibid. n. 42.

Neque hoc nove, addit Sanctus Pontifex: a multis enim temporibus de Episcopis & Diaconis scriptum fuerat: Sic enim alicubi dicit Scriptura: *Constituam Episcopos eorum in justitia, & Diaconos eorum in Fide*. Ex Isaiæ cap. 60. vers. 17. videtur textus iste exceptus, ubi quid simile legitur; alii autem illum ex aliquo apocrypho libro exscriptum putant.

IV. Paucis interjectis addit Sanctus Pontifex, quod Apostoli cognoscentes per Dominum nostrum Jesum Christum, quod temporis decursu futura esset contentio de nomine Episcopatus, ob eam caussam, accepta perfecta cognitione, successuros sibi constituerunt, & deinceps futuræ successionis regulam tradiderunt. Constitutos itaque ab illis, prosequitur Sanctus Pontifex, vel deinceps ab aliis viris eximiis, *consentiente ac comprobante universa Ecclesia*; qui inculpate ovili Christi ministraverunt cum humilitate, quiete, nec illiberaliter; quique longo tempore ab omnibus testimonium præclarum reportarunt; hos putamus officio injuste dejici: *Neque enim leve erit nostrum peccatum, si eos, qui citra querelam & sancte afferunt dona, Episcopatu privaverimus*. Habes modo quæ in S. Clemente memoria mihi visa sunt digna quoad Ordinem; sive Ecclesiasticam Hierarchiam.

Contra Depositiones injustas bonorum Ecclesiæ Pastorum. Ibid. n. 44.

§. VII.

SCHISMA.

Infructio adversus Schismaticos. Ibid. n. 46.

I. ANtequam ad morum veritates, quas tradit S. Clemens, gradum faciamus, nonnulla, quæ Schisma respiciunt, sunt hic afferenda. Ut quid, scribit ille ad Corinthios, inter vos sunt contentiones, iræ, dissensiones, schismata, & bellum? Nonne unum Deum habemus, & unum Christum? atque unus est Spiritus gratiæ, qui effusus est super nos, & una vocatio in Christo? Cur diducimus, & distrahimus membra Christi; & contra proprium corpus seditionem facimus; eoque vesaniæ devenimus, ut alios aliorum membra esse obliviscamur? Recordamini verborum Jesu Domini nostri. Dixit enim: *Væ homini illi, per quem scandalum venit: bonum erat ei, si natus non fuisset, quam ut unum ex electis meis scandalizaret: melius erat, ut ei mola circumponeretur, & in mare demergeretur, quam ut unum de pusillis meis scandalizaret*. Schisma vestrum sequitur S. Clemens, multos pervertit; multos in animi dejectionem, multos in vacillationem, omnes nos in tristitiam conjecit.... Turpia sunt, dilecti, ac valde turpia, & Christiana conversatione indigna, audiri, firmissimam & antiquam Corinthiorum Ecclesiam, propter unum aut alterum hominem contra Presbyteros seditionem movere. Atque is rumor non tantum ad nos pervenit; sed ad eos quoque, qui a nobis alieni sunt animo & sententia; adeo ut propter vestram insipientiam, etiam blasphemiæ & convicia nomini Domini inferantur, vobis autem periculum creetur, occasionem hisce blasphemiis præbendo. Hæc est imago, quam de schismate, & de malis quæ inde consequuntur, Sanctus iste Pontifex depingit. Videamus modo, quænam remedia Corinthiis præscribat, ut a spirituali hac contagione liberentur.

Ibid. n. 47.

Remedia contra Schisma. Ibid. n. 48.

II. Hortatur illos, ut Domino accidant, & plangant orantes eum, ut propitius factus reconcilietur illis, atque in decoram & castam fraterni amoris viam illos reducat & restituat. Vult igitur ut humiles seipsos præbeant non solum Deo, sed & toti terrarum orbi, ut publicam utilitatem peculiaribus eorum commodis præferant, ac charitatem diligant, divinam scilicet illam virtutem, quæ essentialiter est inimica schismati. *Vos igitur*, dicit insuper, *qui seditionis fundamenta jecistis, subditi estote Presbyteris, & in pœnitentiam corripimini, flectentes genua cordis vestri; discite subjici, deponentes arrogantem & superbam linguæ vestræ jactantiam; melius siquidem vobis est in ovili Christi parvos & probatos inveniri, quam altum sapientes a spe illius dejici*, ἄμεινον γάρ ἐστιν ὑμῖν ἐν τῷ ποιμνίῳ τοῦ Χριστοῦ μικροὺς καὶ ἐλλογίμους εὑρεθῆναι, ἢ καθ' ὑπεροχὴν δοκοῦντας ἐκριφῆναι ἐκ τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ. Utinam gravis hæc veritas vim haberet super illorum animum, quibus (necessum enim id est) salutare hoc monitum præbemus. Cæterum, ex hisce eruitur, Schismaticos ab Ecclesiæ corpore esse divisos, omni adempta salutis spe, quamdiu in damnabili hac divisione persstiterint.

Ibid. n. 57.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

§. I.

HUMILITAS.

I. QUoad moralem S. Clementis doctrinam en pulchriora loca, quæ ex duabus Epistolis excerpta eam respiciunt. Loquitur 1o. de Humilitate christiana, ejusque praxim Sanctus hic Pontifex Fidelibus commendat, exhibens exemplum ipsiusmet Jesu Christi, de quo hæc habet: *Sceptrum Majestatis Dei, Dominus noster Jesus Christus, non venit in jactantia arrogantiæ, neque superbia, cum potens sit; sed in humilitate, quemadmodum Spiritus Sanctus de ipso locutus est*. Deinceps post adducta illa Prophetæ Isaiæ loca, in quibus de tormentis ac abjectionibus Salvatoris est sermo, ita concludit, ad Corinthios sermonem convertens: *Cernitis, viri chari, quod exemplar nobis datum sit? Nam si Dominus adeo humiliter se gessit, quid faciemus nos, qui sub jugum gratiæ ejus venimus?*

Exemplū humilitatis in sacra Persona Salvatoris. Epist. 1. num. 13.

II. Post divinum hoc humilitatis & abjectionis exemplar, S. Pontifex nobis ob oculos ponit perfe-

Alia exempla Humi-

ctam

I. SÆCULUM.

étam humilitatem Sanctorum Prophetarum Eliæ, Elisæi, & Ezechielis. Abrahæ humilitatem commendat in istis ejusdem Patriarchæ verbis: *Ego autem sum terra & cinis* (a), humilitatem Job in verissima hac quam tradit veritate: *Nemo mundus a sorde, & si unius diei sit vita ejus* (b); humilitatem Moysis in aversione, quam Deo testatus est, a sumendo regimine populi Judæorum (c); humilitatem Davidis, quæ maxima in Psalmo quinquagesimo reperitur, ubi verus hic pœnitens humilitatem, quæ reipsa eum pertingebat, manifestat.

Brevis in Patriarchis, & Prophetis. *Ibid. n. 17.*

III. Splendidissimis hisce humilitatis Christianæ exemplis adjungit S. Clemens nonnullas breves sententias circa hanc eamdem virtutem. *Laus nostra*, ait ille, *in Deo sit, & non a nobis ipsis*: etenim, addit ipse, Deus odit eos, qui semetipsos prædicant. Testimonium boni operis nostri ab aliis exhibeatur nobis, sicuti exhibitum est Patribus nostris, viris justis. Temeritas, arrogantia, & audacia, maledictis a Deo; moderatio autem, & humilitas, & mansuetudo, apud illos qui a Deo benedicti sunt .... Unusquisque (habet alibi) proximo suo subjiciatur .... Humilis non sibi testimonium ferat, sed sinat ut alter ipsi perhibeat testimonium: qui carne castus est, ne insolescat, sciens alium esse qui ei continentiam donat. Reputemus ergo, Fratres, ex qua materia creati simus; qui, & quales in mundum ingressi simus, tanquam e sepulcro & tenebris: Auctor & Opifex noster in mundum suum nos introduxit, *Præparatis, antequam nasceremur, beneficiis suis*. Sit aliquis fidelis, (loquitur semper Sanctus Pontifex) sit potens in enarranda cognitione .... *Tanto humilior esse debet, quo major esse videtur: quia*, ut alio loco dicitur, *quo majori cognitione digni sumus habiti, eo periculo magis obnoxii sumus.*

Pulcræ sententiæ de Humilitate. *Epist. 1. num. 30.* — *Ibid. n. 38.* — *Ibid. n. 48.* — *Ibid. n. 48.*

§. II.

CHARITAS.

I. QUod de Charitate docet Sanctus Pontifex, & ad pietatem allicit, & omnem nostram promeretur attentionem. Divinæ hujus virtutis characteres sunt sequentes: *Charitas nos Deo agglutinat: Charitas operit multitudinem peccatorum: Charitas omnia tolerat, omnia æquo animo fert: In Charitate nihil sordidum, nihil superbum*, videlicet moderationem in omnibus servat: *Charitas Schisma non habet: Charitas seditionem non concitat: Charitas omnia facit in concordia: In Charitate omnes Dei electi perfecti sunt: sine Charitate nihil acceptum est Deo*, δίχα ἀγάπης οὐδὲν εὐάρεστόν ἐστι τῷ Θεῷ.

Charitatis Characteres. *Epist. 1. num. 49.*

II. Pulcherrimo huic Charitatis elogio, ejusdem virtutis exemplum addit Sanctus Pontifex, illudque considerandum proponit in Moyse, qui olim suas ad Deum fudit preces, ut aut dimitteret peccatum populi sui, aut deleret eum de libro viventium (d). Quis ergo inter vos generosus? concludit S. Clemens; quis misericors? quis charitatis plenus? Dicat; *Si propter me seditio orta est, & discordia, & schismata; discedo, abeo quocunque volueritis; & facio quæ a plebe mandantur; solum ovile Christi in pace degat cum constitutis Presbyteris*. Hæc sane est perfecta charitas, quæ nullo privatæ utilitatis studio ducitur; ejusque ductum secuti sunt nonnulli sancti Episcopi, quando dissensiones, ac schismata eorum causa excitari deprehenderunt. Dicamus etiam, omnes Ministros Domini idipsum in iisdem circumstantiis peragere debere; Fidelibus enim præbere tenentur exempla charitatis, quæ purissima sit, & commoda non quærat. Ne vereantur igitur id agendo necessaria vitæ amittere: *Qui enim hoc fecerit* .... peroptime ait Sanctus Pontifex, *omnis locus eum suscipiet: Domini enim est terra, & plenitudo ejus.*

Charitas quomodo operetur temporibus perturbationum & schismatũ. *Ibid. n. 54.*

III. Ut ostendat S. Clemens, impossibile haud quaquam esse quod superius docuit, exempla profert Gentium, ac narrat, multos Reges ac Principes extitisse ex Gentibus, qui seipsos morti tradiderunt, ut cives suo sanguine liberarent. Ait insuper: *Multos inter nos cognovimus, qui seipsos in vincula conjecerunt, ut alios redimerent. Multi seipsos in servitutem dederunt, & accepto pretio sui, alios cibarunt*. Egregia hæc perfectæ charitatis exempla præ oculis habeant Ecclesiæ Ministri, ac attente considerent.

Egregia Charitatis exempla. *Ibid. n. 55.*

(a) Genes. cap. 18. v. 27. (b) Job, cap. 14. v. 4.
(c) Exod. cap. 3. v. 11.

§. III.

ÆMULATIO.

TErtius articulus quoad mores, quem in S. Clemente observavi, est circa invidiam, seu æmulationem. Demonstrat Corinthiis, quod postquam huic passioni se toto animo dediderunt, procul absunt justitia & pax; unusquisque timorem Dei deserit, & in Fide illius excutit, nec in institutis præceptorum ejus ambulat, nec Christo decenter conversatur; sed unusquisque secundum pravas cupiditates suas incedit. Deinde post allata nonnulla ex Scripturis exempla, quibus morum depravationem omni tempore in hominibus inductam ostendit ex hoc vitio; ait, quod *propter æmulationem atque invidiam, quæ Ecclesiæ erant Fideles ac justissimæ columnæ, etiam usque ad mortem passi sunt persecutionem. Sic Petrus*, ait ille, *ob iniquam æmulationem, non unum, aut alterum, sed multos sustinuit labores; atque ita martyr effectus* (καὶ οὕτω μαρτυρήσας) *discessit ad debitum gloriæ locum. Propter æmulationem Paulus patientiæ præmium obtinuit, cum catenas septies portasset, vapulasset, lapidatus esset: præco factus in Oriente ac Occidente .... totum mundum docens justitiam, & ad Occidentis terminum veniens, & sub Principibus martyrium passus, ita e mundo migravit, atque in locum sanctum abiit, patientiæ magnum exemplar factus*. Locus iste attenta consideratione dignus est; 1°. enim expressum, & omni exceptione majus continet testimonium martyrii duorum Principum Apostolorum, SS. scilicet Petri ac Pauli. 2°. tradit, postremum hunc Apostolum, ad fines usque Occidentis migrasse; quibus verbis, ut animadvertit Abbas Fleury designari posset Sancti hujus Apostoli iter in Hispaniam. De hoc autem judicium apud Criticos esto, id enim perpendere, in finem nobis in isto Opere propositum non tendit.

Effectus Æmulationis. *Epist. 1. num. 4.* — Persecutio Sanctorum effectus Æmulationis. *Ibid. n. 5.* — SS. Apostoli Petrus & Paulus ex impiorum æmulatione Martyres occubuerunt. *Ibid.*

§. IV.

SÆCULUM PRÆSENS, AC FUTURUM.

EN aliqua loca in secunda Epistola ad Corinthios, quæ ad mores pertinent. Auctor hic hortatur Corinthios, ut terrena omnia despiciant, & cœlestia solummodo concupiscant. Validissima, quam affert ratio, ut illos ad id peragendum moveat est, *Quandam illa possidere concupiscimus*, (terrena scilicet) *excidimus a via justa*. Inde vero infert, quod præsens sæculum & futurum sunt duo inimici, quia sæculum præsens prædicat adulterium, corruptelam, avaritiam, & fraudem; futurum vero istis renuntiat. *Porro hoc sæculum & futurum sunt duo inimici .... Non ergo possumus*, concludit ipse, *amborum amici esse. Oportet autem ut illi valedicentes, hoc utamur*. Veritas hæc satis firma est ac gravissima; & si probationibus indigeret, unum sufficeret in medium afferre Salvatoris oraculum; Nemo servus potest duobus Dominis servire (e).

Contemptus hujus sæculi, & amor futuri. Non possumus amborum amici esse. *Epist. 2. n. 5. & 6.*

II. Quoad futurum sæculum Auctor iste tradit id, quo deberemus vehementissime commoveri; scilicet quod non intrabimus in Regnum Dei, nisi purum & immaculatum servaverimus nostrum baptisma, hoc est, nisi nostram baptismi innocentiam servaverimus, aut nisi per pœnitentiam impetraverimus remissionem lethalium, quibus eam maculavimus: *Nos nisi baptisma purum & immaculatum servaverimus, qua confidentia intrabimus in regiam Dei?* A terribili hac veritate, quæ evidenter probat necessitatem perseverandi in christiana justitia, sumpta occasione stimulos nobis addit ut certamen ineamus cum hostibus nostræ salutis. *Nos igitur certemus*, ait ille, *ut omnes coronam reportemus .... & si non possumus omnes coronari, saltem prope coronam simus*. Postrema hæc verba maximam afferre debent consolationem iis haud satis firmis Christianis, qui perfectam nequeunt de vehementibus passionibus victoriam reportare, licet omni conatu in id tendant. Ut autem efficacius ad hoc certamen nos moveat, tradit, quod Deus concedit nobis temporalis hujus vitæ tempus, ut pœnitentia ducamur; quippe hoc tantummodo tempus pro pœnitentia habemus; postquam enim e mundo exivimus, ait ille, non amplius possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere. Vult ergo, ut quamdiu id nobis Deus tribuerit, totis viribus conemur nostri baptismi munditiem servare, aut maculas per peccata inductas detegere.

Periculũ amittendi gratiam Baptismi. *Ibid.* — Spirituale certamen hujus vitæ. *n. 7.* — Post hanc vitã nullum pœnitentiæ tempus. *num. 8.*

III. Re-

(d) Exod. cap. 32. v. 32.
(e) Luc. cap. 16. v. 13.

I. SÆCULUM.

III. Remanet modo, ut antequam Doctrinæ Sancti Clementis tradendæ finem imponam, quemdam in medium afferam primæ ejus Epistolæ locum, unum ex iis, quem in S. Clemente non amat Photius. Locus est ille, ubi S. Pontifex quosdam supponit post Oceanum mundos: *Oceanus*, inquit ille, *hominibus impermeabilis, & qui post ipsum sunt mundi, eisdem Domini dispositionibus gubernantur*. At articulus ille nullis quoad nos difficultatibus scatet, cum nobis modo certo innotescat id, quod veteribus caligine obductum erat. Cæterum, Origenes, qui locum hunc affert (*a*), contendit, Sanctum hunc Pontificem hic loqui de his, quos communiter Antipodas vocamus: *Meminit sane Clemens*, inquit iste Pater, *etiam eorum, quos Græci Antichthonas* (Ἀντιχθόνας) *nominant .... cum ait: Oceanus intransibilis est hominibus, & hi qui trans ipsum sunt mundi &c.* Si res ita se habet, nulla amplius remanet ibi difficultas. Interim gradum faciamus ad exponendam Doctrinam S. Ignatii Episcopi Antiocheni, & Martyris.

Mundi post Oceanum. Epist. 1. num. 20.

(*a*) Lib. 2. Princip. cap. 3.

DOCTRINA SANCTI IGNATII EPISCOPI ET MARTYRIS.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

II. SÆCULUM.

Ex tot Epistolis, quæ sub nomine S. Ignatii in publicam lucem prodiere, septem solummodo absque ulla controversia vetusto huic Antiocheno Episcopo sunt adscribendæ. Prima est ad Ephesios; secunda ad Magnesianos; tertia ad Trallianos; quarta ad Romanos; quinta ad Philadelphenos; sexta ad Smyrnæos; septima, quæ est postrema, ad S. Polycarpum. Quæ suppostitiæ sunt, octo numerantur; prima est ad Mariam ex Cassobelis; & in hac respondet ad quamdam epistolam Mariæ ejusdem ad se, ut supponunt qui id tradunt, scriptam; secunda est ad Tarsenses; tertia ad Antiochenos; quarta ad Heronem Diaconum ejusdem Ecclesiæ, & qui deinceps Episcopus eidem Ecclesiæ præfuit; quinta ad Philippenses; sexta ac septima ad S. Joannem Evangelistam; octava tandem ad Mariam Virginem, Redemptoris nostri Genitricem. Hæ sunt Epistolæ veræ ac suppositiæ, quæ sub nomine S. Ignatii Episcopi Antiocheni habentur, & quas Cotelerius nobis exhibet in suo secundo volumine Patrum primi ac secundi sæculi. Textus Græcus harum epistolarum utriusque generis apud nos extat, si tres postremas inter suppositias excipias, quarum quædam latina versio tantum remansit; si tamen Græco sermone fuerunt unquam conscriptæ.

Septem illarum Epistolarum, quæ genuinum sunt magni Antiocheni Episcopi opus, debitores præcipue sumus Divo Polycarpo Episcopo Smyrnensi, qui eodem S. Ignatii ævo floruit: Sanctus enim iste Smyrnensis Episcopus omni sollicitudine collegit omnes illas Epistolas, ut testatur ipse in sua Epistola ad Philippenses, in qua includebantur illæ Divi Ignatii: *Epistolas sane Ignatii*, inquit ille (1), *quæ transmissæ sunt nobis ab eo .... transmisimus vobis .... quæ sunt subjectæ huic Epistolæ; ex quibus magnus erit vobis profectus; continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem*. Ex hisce notis dignoscitur, septem Epistolas, de quibus agimus, illas easdem esse, de quibus loquitur S. Polycarpus, cum omnes, nulla excepta, fidem ac patientiam heroicam spirent, & ad fidelium ædificationem conducant.

Cum autem S. Episcopus non loquatur ea perspicuitate, qua opus fuisset, nec ex eo eruatur, quænam sint Epistolæ, quarum meminit in sua ad Philippenses; & cum ibi allatæ notæ aptari optime possint aliis Operibus, quæ non conscripsit Sanctus Antiochenus Episcopus, hinc ingenue fateri cogimur, quod testimonium superius positum, parum concluderet in favorem septem Epistolarum S. Ignatii, si hoc unico testimonio uteremur, & in promptu non adessent alia innumera, quæ ex certitudine, qua major desiderari nequit, id ostendunt. habentur autem hæc testimonia expresse in S. Irenæo (2), in Origene (3), Eusebio (4), S. Athanasio (5), S. Hieronymo (6), Auctore Tractatus *De uno Legislatore &c.* Inter Opera S. Joannis Chrysostomi (7), in Theodoreto (8), Gilda (9), Monaco Jovio (10), Ephrem Patriarcha Antiocheno (11), Antioco (12) & aliis Scriptoribus, qui posteriores fuerunt, quorum Dominus Cotelerius plurimos textus affert; sed horum Auctorum loca in margine adnotasse sufficiat; cum possit quisque ea per extensum videre in ejusdem Cotelerii secundo volumine.

Nulli dubium esse potest, quin maximam percipient lætitiam quotquot sunt inter Catholicos Theologi (13), hanc testimoniorum nubem habentes, quæ plenissimam fidem conciliant septem D. Ignatii Epistolis, ex quibus, utpote Doctrina quæ primis sæculis vigebat, & Apostolorum Traditione suffultis, validissima eruuntur arma adversus errores nostris hisce temporibus per Catholicam Ecclesiam grassantibus. Quis autem a lacrymis se temperate posset dum videt quod nonnulli nostri ævi Hæretici respuunt harum Epistolarum auctoritatem, temere autumantes, jam in aperto esse, immo evidenter constare, has Epistolas falso adscribi

magno

(1) Epist. ad Philippen. num. 23.
(2) Lib. adversus Hæreses cap. 28.
(3) Prolog. sup. Cantic. Et Homil. 6. in S. Luc.
(4) Lib. 3. Hist. Ecclesiast. cap. 36.
(5) Epistola Synodorum Arimin. & Seleucien. tom. 2.
(6) Catalog. Script. Ecclesiast. Et alibi.
(7) Inter Opera S. Joann. Chrysost. tom. 6.
(8) 1. 2. & 3. Dialogo.
(9) Castig. Cleri Britanniæ.
(10) Lib. 7. OEconomiæ, sive Verbi Incarnati cap. 32. in Photio cod. 222.
(11) Lib. 3. Leg. sacrar. Antioch. Ibid. cod. 228.
(12) Homil. 124.
(13) Tom. II. Veterum Patrum, pag. 4.

II. SAECULUM.

magno Ignatio Episcopo Antiocheno. Iis rationibus ab incredulitate super hunc articulum se purgare conantur, quæ nullam unquam probationum vim apud illos obtinebunt, qui easdem rationes serio, & nullo partium studio ducti perpendent. Ad summum levium conjecturarum fines non excedunt; & æque facile est Hæreticis illas proponere, ac Catholicis illas ad nihilum redigere. Qui hæc super re certiores fieri cupiunt consulant Dominum Dupin (14), Dominum Tillemontium (15), P. Alexandrum (16), & alios Criticos, qui prætensis hisce difficultatibus responderunt; præcipue vero doctum adeat Pearson (17) in eruditis suis Dissertationibus super hoc data opera concinnatis, licet Hæreticus & ipse sit neutiquam autem ac ejus sodales infensissimus veritatis hostis.

Ad cæteras vero octo Epistolas S. Ignatio adscriptas quod attinet, ex duabus præcipue rationibus illas ut supposititias habemus. Eruitur prima ex silentio omnium veterum Patrum; qui ne unum quidem de istis verbum habent, licet loquantur de aliis septem, ut superius innuimus, Et quidem mirum esset, Eusebium & S. Hieronymum, qui catalogum Epistolarum hujus Sancti Episcopi confecerunt, non meminisse illarum octo Epistolarum, si eorum ævo extitissent. Secunda eruitur ratio ex attento examine instituto super stylum harum Epistolarum, & super Doctrinam ibi traditam. 1°. Enim differentia styli inter his octo, & septem illas adinventa est; quippe in illis octo quas supposititias dicimus, stylus est humilis, inutiles imaginationes continent, verbis ludit earum Auctor, qui sane defectus nullibi in genuinis septem S. Ignatii Epistolis adinveniuntur. 2°. Nonnulla ibi notata sunt, quæ S. Ignatii ævo convenire nequaquam possunt: sermo enim ibi est, exempli caussa, de Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus & Ostiariis (18), cum tamen nemo ignoret, horum minorum Ordinum institutionem iis temporibus consignandam esse, quæ S. hunc Antiochenum Episcopum subsecuta sunt; & illius ævo de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis unice verba fieri consuevisse. Meminit etiam (19) jejunii quartæ & sextæ feriæ per annum, & jejunium vetat in quolibet die Sabbati, uno excepto Sabbato hebdomadæ Majoris. Quæ omnia quidem longe distant ab antiquitate Sancti hujus Pontificis.

Verisimile utique est, S. Ignatium plures quam septem conscripsisse Epistolas, & animum inducere nequeo ut credam, ad dilectam Antiochenam Ecclesiam Epistolas illum non dedisse, illum inquam, qui cæteras obtestabatur Ecclesias, ut de illa sollicitæ essent. Num vero inferri exinde potest, octo Epistolas in controversiam positas, genuinum esse illius Opus? Num quidquam inferri posset in favorem illius, quæ est ad Antiochenos? minime gentium, Etenim præter quam quod altum est apud Veteres de illa silentium, constat aliunde, nonnulla ibi referri, quæ veri S. Ignatii ævo congruere nequeunt: siquidem in ista præcipue sermo est de Subdiaconis, & cæteris inferioribus Clericis. Dicamus ergo oportet, posito quod Sanctus hic Episcopus alias, præter septem, conscripserit Epistolas, inauspicato periisse istas, non secus ac alia primævæ antiquitatis monumenta. Si quis autem absolute velit, illas octo, quas inter supposititias recensemus, a S. Ignatio fuisse conscriptas, inficiari saltem nequit, vehementer corruptas fuisse, ac proinde nullius esse auctoritatis: quod sat superque est, ut me solutum censeam ab afferendo aliquo earum textu in hoc Opere, in quo nihil apocriphum, nihil non approbatum ab eruditis contineri debet. Sufficiat hæc præmisisse Doctrinæ S. Ignatii mox tradendæ.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA.

§. I.

SCRIPTURA SACRA.

Auctoritas Scripturarum Veteris Testamenti. Epist. ad Philadel. num. 5.

INter cæteras veritates attenta consideratione dignas, quas tradit Sanctus iste Episcopus, habetur 1°. quod Fideles venerari debent Sacras Scripturas tam Veteris, quam Novi Testamenti. En quæ docet circa vetus Testamentum. Diligamus Prophetas (ad Philadelphenos sic loquitur), ut qui Evangelium Jesu Christi annuntiarint, sperantes in eum, eumque (Jesum Christum) expectantes, & per ipsum salutem consecuti, a Jesu Christo testimonium adepti, in Evangelio spei communis. Hæc adducit argumenta, ut ostendat debere nos maxima veneratione prosequi sacros Auctores Veteris Testamenti: sed ulterius progreditur verba faciens de Evangelio, & de Apostolorum Scriptis, declarat enim, quod ad Evangelium ipse confugit, tamquam ad carnem Jesu Christi, & ad Apostolos, velut ad Ecclesiæ Presbyterium, (scilicet veluti ad Doctrinam illorum, qui primi Ecclesiam fundaverunt). Obsecro itaque vos, ait insuper ad Philadelphenos, ut nihil per contentionem faciatis, sed juxta Christi disciplinam. Audivi enim quosdam dicentes: Nisi Evangelium invenero in Archivis, (hoc est in vetustis Scripturis), non credo. Mihi autem, addit S. Ignatius, illibatum est Archivum Crux ejus, & mors, ac resurrectio ejus, & fides in eum. Et paullo inferius habet: *Eximium autem quiddam habet Evangelium; nimirum Adventum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, Passionem ipsius, & Resurrectionem*: & paucis interjectis, ait, *Evangelium vero perfectio est incorruptionis*. Quis non videt in variis hisce textibus venerationem S. Ignatii erga Divinas Scripturas? Attamen major est ejus veneratio pro Evangelio, & Scripturis Apostolorum, ut innotescit ex differentia quam statuit inter Testamentum vetus & novum, & quia primas huic præ alio concedit.

Auctoritas Evangelii, & Scripturarum Apostolorum. Ibid.

Ibid. n. 8.

Ibid. n. 9.

§. II.

TRADITIO.

Auctoritas Traditionis.

ETsi nihil legerim in Epistolis S. Ignatii, quod formaliter respiciat auctoritatem Traditionis; nihilominus aliunde constat, quod inter essentialia documenta, quæ Sanctus iste Episcopus communicabat Ecclesiis omnium Urbium, per quas transibat in suo itinere Romam versus, illis super omnia commendabat, ut tenaciter inhærerent Traditioni Apostolorum, quas quidem Traditiones necessarium ducebat scriptis mandare, ut tutius ad omnem posteritatem pervenirent. *Hic Ignatius*, sic loquitur Eusebius (a), *cum per Asiam sub accuratissima satellitum custodia duceretur, singularum nihilominus Civitatum, quas ingrederetur, Ecclesias sermonibus & cohortationibus suis confirmans .... hortatus est, ut Apostolorum Traditionibus tenaciter inhærerent; quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam, testimonio suo confirmatas, scriptis mandare necessarium duxit*. Meridiano Sole clarius est, de Traditione non scripta hic verba fieri, quoniam Eusebius tradit, Sanctum Antiochenum Episcopum, *scriptis mandare*

(14) Tom. I. Biblioth. pag. 113. & seqq. usque ad 128.
(15) Tom. II. Hist. Ecclesiast. in notis super S. Ignatium.
(16) Dissert. 23. sup. Histor. Ecclesiast. tom. 2. *in Folio*.
(17) Patres, qui temporibus Apostolor. floruerunt Coteler. tom. 2.
(18) Epist. ad Antiochenos.
(19) Epist. ad Philippen.

(a) Eusebius Lib. 3. Histor. Ecclesiast. cap. 36.

II. SÆCULUM.

manдare —

mandare necessarium duxisse, ut tutius ad posteros pervenirent: quod sane dici nequit de Doctrinalibus scriptis consignatis.

§. III.

ECCLESIA.

Unio Fidelium inter seipsos. Epist. ad Ephes. n. 4.

I. Mira sunt quæ scribit Sanctus Episcopus de Ecclesia, ac ejus Ministris. Quoad Ecclesiam, illius Unitatem præcipue urget. In sua ad Ephesios Epistola ait: *Sed & vos singuli unus Chorus estote, ut consoni per concordiam, melos Dei recipientes in Unitate, canatis voce una per Jesum Christum Patri, ut & vos audiat, & agnoscat, ex iis quæ operamini, membra esse vos Filii ipsius*. In Epistola sequenti docet Magnesianos, ut una simul orent; *Una sit oratio, una deprecatio, una mens, una spes in charitate, in gaudio inculpato*. Omnes velut unus, ait insuper ad eosdem, in templum Dei concurrite, velut ad unum altare, velut ad unum Jesum Christum, summum Sacerdotem Dei ingeniti. Hortatur etiam illos, ut mutuo seipsos revereantur. *Omnes vos mutuo revereamini, & nemo secundum carnem spectet proximum; sed in Jesu Christo vos invicem semper diligite*. In Epistola ad Philadelphenos vult, ut Fideles participent de una eademque Eucharistia: *Operam igitur detis, ut una Eucharistia utamini*; Una enim est, ait ille, caro Domini nostri Jesu Christi, & unus illius Sanguis, qui pro nobis effusus est; unum altare omni Ecclesiæ, ac unus Episcopus, *cum Presbyteris, & Diaconis conservis meis*. Tandem in Epistola ad S. Polycarpum ait, ad Smyrnenses verba dirigens: *Collaborate vobis mutuo, una certate, una currite, compatimini, una dormite, una exurgite*. Hanc unionem S. Ignatius Fidelibus commendabat: sed nihil magis desiderari debet nostris hisce temporibus, quam ut reviviscat spiritus iste charitatis & concordiæ, quo primitivæ Ecclesiæ Fideles ducebantur.

Epist. ad Magnes. num. 7.
Ibid. n. 6.
Epist. ad Philadel. num. 4.
Epist. ad S. Polycarp. n. 6.

Unio fidelium cum propriis Pastoribus. Epist. ad Ephes. num. 4.

II. Nec sat illi est inflammare Fideles ad unionem inter seipsos: vult insuper, ut perfecte concurrant in suorum Episcoporum sententiam, illos sequantur, illos audiant, illos diligant, ac venerentur. *Decet vos*, ait ille ad Ephesios, *in Episcopi sententiam concurrere, quod & facitis* .... Et quanto taciturniorem videritis Episcopum, tanto magis eum revereamini: Quemcumque enim Paterfamilias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus, ut illum ipsum qui misit: *Manifestum igitur est, quod Episcopum respicere oportet, ut ipsum Dominum*. Lascivi homines, & qui vitæ humanæ deliciis sunt dediti, revereri nequeunt in propriis Episcopis, nisi splendorem, exteriotemque apparatum; pii vero fideles aliter contemplantur illos, quos sciunt tenere locum ipsius Dei super terram. Sed & vos decet, ait insuper, ad Magnesianos loquens, non contemnere ætatem Episcopi, verum omnem impertiri illi reverentiam, quemadmodum novi facere sanctos Presbyteros, non respicientes ad eam quæ videtur adolescentiam, sed ad prudentiam in Deo: sive, ut melius dicam, non Episcopo se subjiciunt, sed Patri Jesu Christi, qui est omnium hominum Episcopus. Et paulo inferius ait: Quemadmodum Dominus per seipsum, aut per suos Apostolos sine Patre nihil fecit; sic nec vos sine Episcopo & Presbyteris. *Ubi autem est Pater*, inquit Sanctus hic Præsul ad Philadelphenos, *eodem ut oves sequimini: Quotquot enim Dei & Jesu Christi sunt, hi sunt cum Episcopo*. Et in Epistola ad Smyrnenses vult, ut omnes ita inviolabiliter sequantur Episcopum, sicut Christus Patrem: *Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem. Ubi comparuerit Episcopus*, habet etiam, *ibi & multitudo sit: quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi Catholica est Ecclesia. Qui honorat Episcopum, a Deo honoratus est; qui clam Episcopo aliquid agit, diabolo præstat obsequium*. Omnia hæc pulcherrima loca, & innumera alia, quæ afferre possem, sed prætereo ne Lectorem tot repetitionibus defatigem; omnia hæc loca, inquam, evidentissime venerationem comprobant, qua olim fideles prosequebantur sanctos Ecclesiæ Pontifices. Et si hodie diversimode se gerunt Christiani erga Pontifices; si nunc desideratur in fidelibus, & in ipsis etiam Ecclesiæ Ministris hæc subjectio, hæc dependentia, hæc veneratio, quam ita vehementer commendat Sanctus Antiochenus Episcopus; ex eo id repeti debet, quod notabiliter primitivorum sæculorum fides imminuta est, aut quod mirum in modum ignoretur dignitas & excellentia characteris Episcopalis.

Ibid. n. 6.
Epist. ad Magnes. num. 3.
Ibid. n. 7.
Epist. ad Philadel. num. 3.
Epist. ad Smyrn. num. 8.
Ibid. n. 9.

III. Difficile autem non est iis, qui in hac ignorantia versantur, veritatem aspicere: S. enim Ignatius eorum oculos super hoc articulo aperit. Hortor vos, ait ille ad Magnesianos, ut studeatis in Dei concordia omnia agere; *Episcopo præsidente Dei loco* (vobis convenientibus in unum), *& Presbyteris loco Senatus Apostolici, & Diaconis mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi*. Et in Epistola ad Smyrnæos non solum vetat in genere Fidelibus aliquid peragere quod Ecclesiam respiciat, sine Episcopi consensu; sed singulatim quædam enumerat, quæ magis particulariter Episcopi præsentiam requirunt, vel ad minus ejus approbationem, sicuti est celebratio Baptismi, & Eucharistiæ. *Rata*, ait ille, *Eucharistia habeatur illa, quæ sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit*: & paucis interjectis: *Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque Agapen celebrare; sed quodcunque ille probaverit, hoc & Deo est beneplacitum, ut tutum ratumque sit quodcunque agitur*. Tandem in Epistola ad S. Polycarpum habet: *Nihil sine tua voluntate fiat, atque tu quidquam sine Dei voluntate agas*. Insuper non permittit sponsum & sponsam conjugium inire sine Episcopi consensu: *Decet vero ut sponsi & sponsæ de sententia Episcopi conjugium faciant, quo nuptiæ sint secundum Dominum, non secundum cupiditatem*. Quisque videt, quænam consequentia pro præeminentia Episcoporum ex allatis locis possit facile deduci; eruitur enim ex iis textibus, maximam fuisse in Ecclesia Episcoporum auctoritatem, & eorum dignitatem longe superasse dignitatem simplicium Presbyterorum. Cum autem S. hic Pontifex Antiochenus tantum extollit Episcoporum dignitatem, non ideo deprimere vult dignitatem Presbyterorum simplicium, & Diaconorum, quippe semper cum veneratione de iis loquitur, eos vocans suos cooperatores ac Confratres, ut superius vidimus: vult præterea, ut Fideles revereantur illos, non secus ac reverentur Episcopos: *Presbyteros autem* (*revereantur*) *ut consessum Dei, & ut conjunctionem Apostolorum: Diaconos, ut mandatum Jesu Christi*; hoc est ut Ministros Jesu Christi, in Ecclesia de ejus mandato positos. Sine his, ait S. Ignatius, loquens de Presbyteris & Diaconis, sicuti etiam & de Episcopis, Ecclesia non consistit: *Sine his Ecclesia non vocatur*.

II. SÆCULUM.

Auctoritas Episcoporum in Ecclesia. Epist. ad Magnes. n. 6. Epist. ad Smyrn. n. 8.
Epist. ad S. Polycarp. num. 4.
Epist. ad Trallian. num. 3.

Dignitas Diaconatus. Ibid. num. 2.

IV. Nec mirum videbitur, S. Ignatium sollicitum esse in exigenda tanta pro Diaconis in particulari veneratione, si attente ea perpendamus, quæ tradit ipse de eorum Ministerio. 1. enim eos vocat Ministros mysteriorum Jesu Christi: *Oportet autem*, ait ille, *& Diaconos mysteriorum Jesu Christi Ministros* δεῖ καὶ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Ἰησοῦ Χριστοῦ, *omnimodo omnibus placere*. 2. vetat eos considerare sicuti simplices Ministros ciborum & potuum, sed vult ut considerentur tanquam veri Ministri Ecclesiæ Dei: *Non enim ciborum & potuum Ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei Ministri* οὐ γὰρ βρωμάτων καὶ ποτῶν εἰσὶν διάκονοι, ἀλλ' ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται. Si inter Novatores, qui auctoritatem Epistolarum S. Ignatii fatentur, perplexi erunt in tuenda falsa opinione quam tenent circa Ministerium Diaconorum primitivæ Ecclesiæ; & quid reponere possint verbis Sancti Antiocheni Episcopi modo allatis, ignoro. Quidquid autem dicant, ex illis S. Ignatii verbis eruitur, Diaconatus ordinem, primis Ecclesiæ sæculis, immo temporibus etiam Apostolorum, Sacris Ordinibus accensitum esse, quippe tunc temporis sancta erant ejus munera, sicuti est ministrare divina mysteria: *Mysteriorum Jesu Christi Ministros*. Dicant ergo, quantum lubet, Hæretici, Diaconos ab ipso ortu fuisse tantum Ministros ciborum & potuum; ego autem Divo Ignatio in hac re inhærere optimum duco; Divo Ignatio, inquam, qui erat ipsorum Apostolorum Discipulus, & illorum temporum ministeria probe calebat.

Adversus Hæreses. Epist. ad Ephes. num. 16.

V. Antequam huic de Ecclesia doctrinæ tradendæ finem imponamus, videamus etiam quid Sanctus iste Episcopus de Hæreticis sentiat, & de Schismaticis. Vocat statim Hæresim tetrum odorem doctrinæ diaboli: *Non ungamini*, ait ille ad Ephesios, *tetro odore doctrinæ Principis hujus sæculi*. Declarat perspicue in eadem Epistola, & in eodem loco, quod Hæreticos manet pœna æterna in inferno, eo quia corruperint fidem Dei, pro qua Jesus Christus crucifixus est: *Si autem ii, qui secundum carnem hæc operati sunt* (loquitur de illis, qui mulieres corrumpunt) *morte sunt affecti; quanto magis, si quis fidem Dei prava Doctrina corrumpat, pro qua Jesus Christus crucifixus est. Talis inquinatus factus*, prosequitur ipse, *in ignem inextinguibilem ibit*: quod æque de illo docet, qui illum audit, *Similiter & qui audit ipsum. Fugite ergo*, elata voce clamat ad Trallianos, *fugite malas propagines, quæ gignunt mortiferum fructum, quem si quis gustarit, continuo moritur: isti enim non sunt plantatio Patris*. Obsecrat etiam ipsos fideles per charitatem Jesu Christi, ut caveant a veneno hæresis, quam vocat alienam herbam (*aliena herba*), *mortiferum pharmacum* ..... *quod qui ignorat, libenter cum voluptate*

Epist. ad Trallian. num. 11.
Ibid. n. 6.

ptate

prae noxia mortem accipit. Illico autem eis præscribit convenientia remedia, ne laqueum accipiant animabus suis. Primum est, ut caveant a superbia & præsumptione; *Si inflati non fueritis*. Secundum, ut inseparabiliter adhæreant Jesu Christo: *Et indivulsi manseritis a Deo Jesu Christo*. Tertium, unio cum propriis Episcopis: *Et Episcopo*. Quartum, ut teneant doctrinam Apostolorum, quæ est doctrina Ecclesiæ; *Et præceptis Apostolorum*. Hæc quidem tueri valent a veneno Hæresis, & nemo est inter Hæreticos, qui quatuor has essentiales regulas non transgrediatur. Tandem Sanctus Antiochenus Episcopus non solum vetat Smyrnæis illos recipere, ac cum illis familiariter versari, sed vult insuper, ut eos fugiant, si fieri potest: eos autem eodem loco monet, ut pro iis orent, si quo modo pœnitentiam agant; quorum conversionem admodum difficilem fatetur: *Quod admodum difficile est. Hujus autem potestatem*, concludit, *habet Jesus Christus, vera nostra vita*.

Epist. ad Smyrn. num. 4.

VI. Quoad Schismaticos suam mentem aperit S. Ignatius dum dicit, sicuti superius vidimus, quod quotquot Dei, & Jesu Christi sunt, hi sunt cum Episcopo, ex quo necessario sequitur, Schismaticos, qui non sunt cum Episcopo, Dei, & Jesu Christi non esse. Fratres, ait insuper, Fratres, ne erretis: *Si quis Schisma facientem sectatur, Regni Dei hæreditatem non consequitur*. Cum interessem, addit ille, locutus sum magna voce: non meus est sermo, sed Dei: Episcopo attendite, & Presbyteris, & Diaconis .... Unitatem amate .... *Omnibus igitur pœnitentibus remittit Deus, si resipiscant in unitatem Dei, & Episcopi consessum*. Nullum ergo datur peccatum absolute veniæ expers, juxta S. Ignatii Doctrinam. Sed ad alia gradum faciamus.

Adversus Schismaticos. Epist. ad Philadel. n. 2. num. 3.

num. 7.

§. IV.

TRINITAS DIVINARUM PERSONARUM.

Epist. ad Magnes. num. 13.

DUo in Epistola ad Magnesianos occurrunt loca, in quibus fit mentio de SS. Trinitate. In primo hæc leguntur verba: Studete, ut confirmemini in dogmatibus Domini, & Apostolorum; quo cuncta quæ facitis, prospere succedant .... in Filio, & Patre, & Sancto Spiritu. ἐν υἱῷ, καὶ πατρὶ, καὶ ἐν πνεύματι. In secundo S. Ignatius docet Magnesianos, ut propriis Episcopis se subjiciant, sicuti Jesus Christus, prout homo, subjectus est Patri suo, & Apostoli Jesu Christo, & Patri, & Sancto Spiritui: *Subjecti estote Episcopo, ait illis, ut Jesus Christus Patri secundum carnem* κατὰ σάρκα *& Apostoli Christo, & Patri, & Spiritui* καὶ οἱ ἀπόστολοι τῷ Χριστῷ, καὶ τῷ πατρὶ καὶ τῷ πνεύματι. Obiter observandum est, S. Ignatium hic loqui de subjectione Jesu Christi, prout homo est, sive secundum carnem κατὰ σάρκα. Ex hoc loquendi modo compertum habemus, Sanctum hunc Episcopum agnovisse in Persona Salvatoris proprietatem quamdam humanæ nostræ naturæ superiorem, secundum quam nec Patri subjicitur, nec Patre inferior est; hæc autem esse nequit nisi Divinitas; quippe per hanc solummodo nequit Patri subjici.

§. V.

DIVINITAS VERBI.

QUod Jesus Christus sit verus Deus, veritas est, quam Sanctus iste Præsul certo supponit, sicuti eruitur ex phrasibus quibus utitur dum de illo loquitur: ait enim ad Ephesios: *Deus autem noster Jesus Christus* ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, *in utero gestatus est a Maria, juxta dispensationem Dei, ex semine Davidis, ex Spiritu autem Sancto*. In alio autem ejusdem Epistolæ loco hæc docet: *Medicus autem unus est, & carnalis & spiritualis; genitus & ingenitus, seu factus & non factus* γεννητὸς καὶ ἀγέννητος *in homine existens Deus* ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεὸς, *in morte vita vera; & ex Maria, & ex Deo; primum passibilis, & tunc impassibilis*. Maximam in his verbis energiam quis non miretur? ideoque nulla indigent explicatione. Animadvertat hic oportet Lector, latinam hanc phrasim (*seu factus, & non factus*) in originali textu desiderari; hæc enim verba absque dubio posita sunt, ut ego reor, in latina versione, ad explicandas has græcas voces, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, quæ sumptæ in rigore grammaticali, & sejunctæ ab

Divinitas Jesu Christi, & divina Maternitas Sanctæ Virginis. Ep. ad Ephes. num. 18. num. 7.

hac interpretatione illis data, in pessimo sensu intelligi possent. Cæterum omnibus innotescere debet, duo hæc loca æque pugnare pro Divinitate Salvatoris, pro Unitate ejus Personæ, pro duabus ejus Naturis, ac pro Divina Mariæ Maternitate.

§. VI.

INCARNATIO.

EXigit ordo, ut modo ea in medium afferamus loca, quæ Incarnationem respiciunt. Habe nunc quæ majori animadversione mihi digna visa sunt. Obturate igitur aures vestras, scribit Sanctus iste Episcopus ad Trallianos, cum vobis quispiam loquitur sine Jesu Christo, Filio Dei; qui natus est ex David, qui ex Maria vere genitus est & ex Deo; qui vere edit ac bibit; crucifixus ac mortuus est sub Pontio Pilato; vere autem, & non sola opinione, crucifixus ac mortuus est, videntibus cœlestibus, terrestribus, & subterraneis; ac intra triduum resurrexit, suscitante illum Patre. *Si vero*, paucis interjectis prosequitur, *ut quidam Athei, hoc est infideles, ajunt, ipsum secundum apparentiam esse passum, ipsi secundum apparentiam existentes; ego quid vinctus sum? & cur opto cum bestiis depugnare? Frustra itaque morior. Profecto*, addit insuper, *mendacia de Domino non confingo* ἄρα οὐ καταψεύδομαι τοῦ Κυρίου. Fugite ergo, concludit ipse de Phantasticis loquens, fugite malignas has stirpes, quæ gignunt mortiferum fructum, quem si quis gustarit, continuo moritur. In Epistola ad Smyrnæos repetit S. Ignatius, quod Jesus Christus *vere passus est, sicut & vere seipsum suscitavit* καὶ ἀληθῶς ἔπαθεν, ὡς καὶ ἀληθῶς ἀνέστησεν ἑαυτόν. Et infra habet: Ego & post resurrectionem eum in carne novi, & credo esse. Et quando ad eos, qui cum Petro erant, venit, inquit ipsis: apprehendite, palpate me & videte, quod non sum Dæmonium incorporale: & confestim ipsum tetigerunt, atque crediderunt, convicti carne ipsius & spiritu. Propterea hoc etiam mortem contempserunt; supra mortem vero inventi sunt. *Post resurrectionem autem cum illis comedit & bibit, ut carnalis*, ὡς σαρκικὸς *quamvis spiritualiter unitus Patri*. Mirari igitur non debemus, S. Ignatium tam vehementer deprædicare veritatem Incarnationis, cum error oppositus valde obtinuerit temporibus etiam Apostolorum, sicuti expresse testantur Tertullianus (*a*), ac D. Hieronymus (*b*), necnon eruitur a prima D. Joannis Epistola (*c*). Non unus est inter veteres (*d*), qui hujus erroris auctorem facit Simonem Magum; & Docitarum, Apparentium nomine donabantur, qui huic errori adhærebant. Phantastici pariter appellabantur, quia docebant, Mysteria humanitatis Salvatoris, tantum apparenter operata fuisse. Hæresis hæc communis erat omnibus Gnosticis, sicuti animadvertit Dominus Tillemontius (*e*) post Pearsonium (*f*) & Bullum (*g*).

Veritas Incarnationis, & mortis Salvatoris. Epist. ad Trallian. n. 9.

Ibid. n. 10.

Epist. ad Smyrn. num. 2.

num. 3.

§. VII.

EUCHARISTIA.

I. ETiam de Eucharistia tradunt nonnulla D. Ignatii Epistolæ. Declarat 1o., divinum hunc cibum esse quoddam remedium, quod producit immortalitatem: φάρμακον ἀθανασίας, *pharmacum immortalitatis*, glorioso hoc nomine illud Divinum Sacramentum appellat: Statimque addit, quod Sacramentum hoc *est Antidotum ne moriamur, sed vivamus semper in Jesu Christo*. Magnificæ hujusmodi phrases in Auctore tam vetusto, sicuti est D. Ignatius, summam evidenter ostendunt venerationem, qua colebantur divina hæc Mysteria primis Ecclesiæ temporibus. 2o. Sanctus Præsul exprobrat alibi Docitis sive Phantasticis, quod *ab Eucharistia & oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit*, εὐχαριστίας .... ἀπέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν τῇ χρηστότητι ὁ πατὴρ ἤγειρεν. Verba hæc certum reddunt testimonium de præsentia reali Corporis Jesu Christi in Sanctissimo Altaris Sacramento. Et revera quid clarius quid certius dici potest pro hac veritate nostris hisce diebus in controversiam posita, iis quæ hic docet S. Ignatius; videlicet

Eucharistia producit immortalitatem. Ep. ad Ephes. num. 20.

Præsentia realis Corporis Jesu Christi in Eucharistia. Epist. ad Smyr. num. 7.

(*a*) Lib. Præscript. cap. 33.
(*b*) Adversus Luciferianos, cap. 8.
(*c*) Epist. 1. cap. 2.
(*d*) S. Irenæus Lib. 1. adversus Hæreses, cap. 20. *Concordantia SS. Patrum*, Tom. I.

(*e*) Tom. 1. Histor. Ecclesiast. pag. 43.
(*f*) In sua Dissertatione super Epistol. D. Ignatii, pag. 6.
(*g*) Pag. 191.

II. SECULUM.

cet Eucharistiam esse carnem Servatoris nostri Jesu Christi; illam eamdem carnem, quæ pro peccatis nostris passa est, & quam Pater postea suscitavit? Quomodo consociari possunt hujusmodi phrases cum sensu figurato Novatorum? Nunc igitur miretur nemo, si hos videat respuentes auctoritatem Epistolarum S. Ignatii, quarum doctrina eorum doctrinæ e diametro opponitur.

II. Omiseram afferre duo veteris hujus Patris loca circa Dogma. In primo S. Ignatius docet tria Mysteria Dæmonem latuisse & sunt, Mariæ Virginitas, ipsius Partus, & mors Domini: *Et principem hujus mundi latuit Maria Virginitas, & Partus ipsius, similiter & mors Domini; tria Mysteria clamoris, quæ in silentio Dei patrata sunt.* Secundus locus æternitatem Verbi respicit, ejusque generationem. Unus Deus est omnipotens, inquit S. Ignatius, qui seipsum manifestavit per Jesum Christum filium suum, *Qui est Verbum ipsius æternum, non a silentio progrediens.* ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών. Ea postremis his verbis caussam arripiunt Novatores respuendi auctoritatem hujus Epistolæ: putant enim verba hæc prolata esse adversus Valentini errorem de origine Verbi; quæ quidem hæresis cum post S. Antiochenum Episcopum exorta sit, concludunt inde, has phrases ipsi adscribi non posse. Qui S. Ignatii Epistolas tuentur, multipliciter respondent futili huic difficultati. Reponunt aliqui, Valentinianos utique docuisse, Verbum a silentio egressum fuisse, sed primos id non tradidisse; cum Simon Magus erroris hujus antesignanus habendus sit, prout refert Eusebius (a). Negant alii absolute, Valentinum, aut ejus Discipulos unquam id docuisse, quoniam in cerebrosa eorum imaginatione Verbum descendebat a Spiritu, & a Veritate. Aliter etiam solvitur hæc difficultas, sed, ut mihi videtur, & ut videtur etiam Domino Du-Pin (b) melior solutio est, si asseramus, S. Ignatium in loco superius allato non respicere hæresim Valentinianorum, immo nullam aliam Hæresim; sed id unice in animo sibi proposuisse, ostendere scilicet, quod cum Verbum sit æternum, sicuti aperte idipsum ille ostendit, non progreditur a silentio, sicuti verbum hominis. Eo magis hæc responsio mihi arridet, quo video S. Ignatium leviter attingentem hunc articulum, & nihili sollicitum in refutando errore, quem adversarii contendunt impugnare voluisse. Verisimile autem non est, S. Ignatium totis viribus non pugnasse pro veritate, si aliquem cognovisset Hæreticum huic errori adhærentem; videmus enim, eum in suis Epistolis, quando se præbebat occasio, refellere omnes veteres hæreses studuisse.

Tria Mysteria quæ Dæmonem latuerunt. Epist. ad Ephes. num. 19.

Æternitas Verbi. Ep. ad Magn. num. 8.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

§. I.

JUDAISMUS.

QUæ in D. Ignatii Epistolis pulchriora, & majori consideratione digna adinveniuntur circa Mores puncta, sunt sequentia. 1°. Sanctus Episcopus insurgit vehementer adversus quosdam sui ævi Christianos, qui Judaismo inhærebant, & aperte declarat, hujusmodi homines sic vivendo fateri, se non recepisse illam gratiam, quæ Christianos efficit: *Si namque*, ait ille, *juxta legem Judaicam vixerimus, confitemur nos gratiam non accepisse.* Ideo enim, addit ipse Infelius, discimus vivere ut Christiani, quia Jesu Christi sumus Discipuli: *Qui enim alio nomine vocatur præter hoc, non est Dei.* Abjicite ergo, concludit ipse, malum, vetus, & putridum fermentum gratiæ ..... *Absurdum est*, addit insuper, *Jesum Christum profari, & judaizare.* In alia Epistola tradit, consultius fore alicujus Judæi doctrinam sequi, si in favorem Religionis Christianæ loqueretur ille, quam alicujus Christiani, qui judaizare doceret. Si neuter autem de Jesu Christo loquitur, vult ut habeantur veluti columnæ sepulcrales, quibus mortuorum hominum nomina duntaxat inscripta sunt. Constat ex hisce, S. Ignatium permissam credidisse tunc temporis observantiam Mosaicæ legis.

Contra Christianos Judaizantes. Epist. ad Magnes. num. 8. num. 9. num. 10.

Epist. ad Philadel. num. 6.

§. II.

FIDUS.

DE Divina hac Virtute verba faciens S. Ignatius, dicit hanc esse principium vitæ spiritualis, sicuti charitas est finis: *Principium quidem vitæ fides; finis vero charitas.* Nemo qui fidem repromittit, ait insuper, peccare debet, nec qui charitatem possidet, odisse fratrem: sicut enim ex fructu arbor agnoscitur, sic qui profitentur se Christi esse, ex iis quæ faciunt cognoscuntur. Docet etiam, quod *Carnales spiritualia exercere nequeunt, neque spirituales carnalia.* Declarat Ephesiis, quod omnia quæ agebant secundum carnem, spiritualia efficiebantur in ipsis; cujus rei rationem illico dat dicens, quod omnia agebant in Christo Jesu: *Quæ vero & secundum carnem agitis, ea spiritualia sunt: in Jesu enim Christo omnia agitis.* Absit ut quisquam putet, ex puritate intentionis prava opera posse sanctificari. Ab hoc tradendo longe aberat S. Ignatius, & hoc unum docere vult, ea unione actionum nostrarum cum actionibus Jesu Christi, meritum communicari operibus nostris, non solum si optime sint, sed etiam si indifferentes.

Fides principium vitæ spiritualis. Epist. ad Ephes. num. 14.

Modus communicandi spiritualitatem operibus nostris. Ibid. num. 8.

§. III.

CHARITAS.

SAnctus hic Præsul monet Ephesios, ut orent pro conversione Infidelium. Permittite eis, inquit ille, a vobis erudiri: Sitis vos adversus iram eorum humiles; & Domini imitatores estote: *Unusquisque majorem injuriam patiatur, unusquisque defraudari se sinat; unusquisque contemni.* Ex charitate distingui debent, docet ipse, veri fideles ab iis, qui tales non sunt. Et in Epistola ad Magnesianos habet: *Quemadmodum enim sunt numismata duo, alterum quidem Dei, alterum autem mundi; unumquodque etiam ipsorum characterem habet proprium impositum. Infideles, mundi hujus; Fideles autem, in Charitate, characterem Dei Patris per Jesum Christum.* Statimque addit, quod si non sumus parati mori ad imitandam passionem Jesu Christi, vehementer timere debemus, ipsius vitam non esse in nobis: *Per quem Jesum Christum, nisi propensa nobis est voluntas mori in ipsius passionem, nec vita ipsius in nobis est.* Veritates istæ, terribiles utique sunt, & fateri oportet, in parvo numero adinveniri hodie veros fideles, ac veros Christianos, qui ex charitate erga Salvatorem ad mortem subeundam sint parati.

Character veri Christiani. Ep. ad Magn. num. 5.

Verus Christianus paratus esse debet mortem subire pro Jesu Christo. Ibid.

§. IV.

ORATIO PUBLICA.

ATtentis consideratione dignum est quod docet S. Ignatius de Oratione publica. Nemo erret, ait ille ad Ephesios; nisi quis intra altare sit, privatur pane Dei: *Si enim unius atque alterius precatio tantas vires habet, quanto magis illa, quæ Episcopi est, & totius Ecclesiæ. Qui igitur in conventum non venit, hic jam superbia elatus est, & seipsum separavit atque judicavit.* Date itaque operam, ait insuper ad eosdem Ephesios, ut crebrius congregemini ad gratias Deo agendas, illiusque gloriam: *Quando enim sæpius in idem loci convenitis, labefactantur vires Satanæ, & concordia vestræ fidei solvitur exitium quod ille infert.* Si gravissimæ hujusmodi veritates profunde insculptæ essent in mentibus Fidelium nostrorum temporum, nentiquam innumeros conspiceremus, qui absque legitima caussa, & contra verum Ecclesiæ spiritum, Sacrosancto Missæ Sacrificio, & Divinis propriæ Parœciæ Officiis, ac si immunes essent, nequaquam intersunt. Si autem maximæ utilitates, quæ Fidelibus obveniunt a Christianis hisce conventibus eos non tangunt, movere saltem deberent pericula, quibus exponuntur, dum seipsos ab illis segregant.

Utilitates Orationis publicæ. Epist. ad Ephes. n. 5.

Ibid. n. 13.

§. V.

OBLIGATIONES EPISCOPORUM.

NEc Fidelibus solummodo nulla ecclesiastica dignitate insignitis rationem ostendit Divus Ignatius, qua se gerere debent ut ambulent vias Domini justas; sed Episcopos insuper varias docet obligationes, quibus ex proprio Ministerio obstringuntur. Hæc enim habet ad S. Polycarpum: Tuere locum tuum in omni cura

Epist. ad S. Polycar. num. 1.

(a) Lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 9.

(b) Tom. 5. Biblioth. pag. 119.

II. SÆCULUM.

cura carnali & spirituali; Unitatis curam habe, qua nihil melius; Omnes perfer, omnes tolera per Charitatem; Cunctorum ægrotationes porta, sicut perfectus Athleta: Ubi plus laboris; magnum lucrum est. Bonos Discipulos si amaveris, nulla tibi est gratia: potius pestilentiores, in mansuetudine subjice: Non omne vulnus eodem emplastro curatur: (num. 2.) *Vehementiores morbi accessiones superfusionibus seda.* (num. 3.) *Sta firmus*, (loquitur semper S. Ignatius) *ut incus quæ percutitur.* Viduæ non negligantur: post Dominum tu earum curator esto. (num. 4.) Nihil sine sua voluntate in Ecclesia fiat; neque tu quidquam sine Dei voluntate agas: *Crebrius conventus fiant: nominatim omnes inquire.*

§. VI.

HUMILITAS.

Profunda Humilitas S. Ignatii. *Epist. ad Ephes. n. 3.*

I. PRofundam fuisse Sancti Antiocheni Episcopi Humilitatem, ex ejusdem Epistolis clare conjicimus. In Epistola ad Ephesios aperte eis declarat, quod illis non præcipit, quasi sit aliquid; quamvis enim, inquit, vinctus sim in nomine Jesu Christi, necdum tamen perfectus sum in Jesu Christo: nunc incipio, addit insuper, discipulus esse, & alloquor vos ut condoctores meos. (*Epist. ad Magnes. num. 12.*) Tametsi enim, scribit ad Magnesianos, vinctus sim in nomine Jesu Christi, comparandus tamen non sum uni vestrum, qui soluti estis: quin immo seipsum indignum reputat, ut inter Christianos recenseatur, licet Episcopus sit; & loquens de sua Antiochena Ecclesia ait: *Unde non sum dignus vocari.* Eadem habet in cæteris suis Epistolis: quapropter satis admirari non possumus profundam magni hujus Episcopi humilitatem, qui iis etiam se subjicit, quos veluti suos Discipulos, suosque in Christo Filios suscipere poterat. Mirum igitur est, quod audeant nostrorum temporum Hæretici Auctorem harum Epistolarum vanitatis insimulare, dum satis superque constat, se omnium minimum censuisse. Cui autem fundamento innititur falsa hæc criminatio? dicere erubesco: hisce ex Epistola ad Trallianos excerpis verbis: *Multa sapio in Deo*; & his aliis: *Numquid non possum cœlestia scribere vobis?* Sufficiunt hæc malignis istis Censoribus, ut hunc Auctorem, cujus modestiæ partes suscepimus, veluti superbum traducant; & inde inferant, differre hunc a magno Antiocheno Episcopo, conscientiæ enim sibi ducunt talis modi phrases illi tribuere.

Objectio, sive calumnia Hæreticorum contra humilitatem Auctoris harum Epistolarũ. *Epist. ad Trallian. num. 4.*

II. Quis autem non miretur, hos viros, qui aliunde se Criticos, & acri judicio pollentes venditant, hoc in casu a recto judicandi tramite deflectere, nec velle in eadem Epistola, quam nobis objiciunt, totum id attendere, quod propositam objectionem omnino diluit. Si serio perpendissent primum textum, illico legissent hæc verba quæ subsequuntur: (*Ibid. n. 4.*) *Sed meipsum metior, ne gloriando peream.* Quamquam in iis, (addit ipse) quæ Dei sunt, corroboratus sim; attamen plus mihi timendum est, nec animus illis intendendus, qui frustra me inflant: *Qui enim me laudant, flagellant me. Nam diligo quidem pati; sed nescio, an dignus sim.* Anne possunt verba hæc aptari homini vano, elato? . . . . Quoad secundum textum, en quæ habeat noster Auctor duabus interjectis lineis post verba ab (num. 5.) adversariis in medium allatis: *Etenim ego, non propterea quod vinctus sum, & cœlestia intelligere possum . . . . propter hoc jam & Discipulus sum: multa enim nobis desunt, ne a Deo absimus.* Habet etiam ad calcem ejusdem Epistolæ, se ultimum esse omnium Fidelium Antiochenæ suæ Ecclesiæ: *Cum sim eorum ultimus:* & seipsum in periculo versari fatetur amittendæ coronæ gloriæ, quam Deus illi paraverat: *Etiamnum in periculo versor.* Falso igitur, immo & malitiose rigidi isti Censores profundam egregii Auctoris harum Epistolarum auctoritatem lædere ausi sunt. Et si passi sunt scandalum ex duobus allatis textibus, magis excandescere deberent elatiora legentes in secunda D. Pauli Epistola ad Corinthios (*a*): ibi enim seipsum magis celebrat Sanctus Apostolus, quam hic Sanctus Antiochenus Episcopus. Sed de his satis.

Hujus calumniæ refutatio.

§. VII.

FERVENS TORMENTORUM DESIDERIUM.

Fervens tormentorum desi- derium in D. Ignatio. *Epist. ad Roman. num. 2.*

I. TAndem fervens admirabitur quicumque hæc legerit D. Ignatii desiderium pro tormentis. Heroicam hanc virtutem præcipue in Epistola ad Romanos ostendit. Deprecatus Deum, ait S. hic Martyr, obtinui ut viderem divinam vestram faciem; sicut & plurimum, ut hoc consequerer, expetebam. Vinctus enim in Christo Jesu, spero me salutaturum vos, si Voluntas sit ut dignus judicer ad metam pervenire. Exordium enim constitutum est bene, si modo gratiam consequar, ut sortem meam ad finem usque sine impedimento percipiam. Metuo enim charitatem vestram, ne ipsa me lædat. Vobis enim facile est quod vultis facere: mihi vero difficile est Deum assequi, si vos mihi non peperceritis, prætextu carnalis amicitiæ. Dominus Abbas Fleury sic vertit: si vos me non servatis: At hoc æque contrarium est latinæ versioni, ac græco Originali, in quibus hæc habentur verba ἐὰν ὑμεῖς μὴ φείσησθέ μου. *Si vos mihi non peperceritis.* (num. 2.) *Plus autem mihi tribuere non potestis, quam ut immoler Deo.* Eruitur hinc, ait Dominus Abbas Fleury (*b*), S. Ignatium timuisse, ne Christiani qui Romam incolebant, propriam interponerent auctoritatem, ut eum a supplicio liberarent. Incredibile autem est, Christianos tunc temporis, quantalibet donarentur auctoritate, potuisse efficere, quominus sequeretur effectus sententiæ ab Imperatore ipso latæ; aut potuisse ejusdem sententiæ rescissionem obtinere a Trajano, qui, ut animadvertit Dominus de Tillemont (*c*), tunc verosimiliter Orientem incolebat, ibique maximi momenti bellum gerens detinebatur. Dicerem igitur potius cum erudito hoc Scriptore, S. Ignatium metuisse solummodo, ne Romani propriis precibus obtinerent a Deo, ne feræ, quibus projici debebat, ei nocerent, sicuti quibusdam Martyribus evenisse narrat Sanctus idem Episcopus, & ex Ecclesiastica Historia erudimur. Hoc in casu, addit Dominus de Tillemont, facili negotio studuisset populus vitam venerabili huic seni impetrare, quem prodigiis Cœlum ipsum tutatus esset: populus siquidem in iis circumstantiis sæpe ejusmodi gratias obtinebat.

II. Prosequitur S. Ignatius verba habens semper ad Romanos: Solum petite mihi vires & intus & foris, (num. 3.) ut non modo dicam, sed & velim, ut non tantum dicar Christianus, sed & inveniar . . . . Obsecro vos, ne intempestiva benevolentia erga me sitis: (num. 4.) *Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci.* Frumentum sum Dei, dentibus bestiarum molar, ut mundus panis Dei inveniar: *Blanditiis demulcete potius feras, ut mihi sepulcrum fiant, & nihil de corpore meo relinquant, ne, cum obdormiero, molestus cuiquam inveniar.* Tunc autem ero verus Jesu Christi discipulus, quando mundus nec corpus meum videbit. Deprecemini Dominum pro me, ut per hæc organa (*feras*) Deo efficiar hostia. Non ut Petrus & Paulus præcipio vobis: Illi Apostoli Jesu Christi erant; ego vero minimus: illi liberi, utpote servi Dei; ego vero etiamnum servus: *At si passus fuero, libertus fiam Jesu Christi, & resurgam liber.* Et paulo post, Utinam, (num. 5.) inquit, fruar bestiis mihi paratis; quas & blanditiis demulcebo, ut citius me devorent; non ut quosdam veritæ non attigerunt: *Sed & si ipsæ volentem nolint, ego vi adigam.* Ignoscite mihi: quid mihi . . . . utile sit ego novi: Melius est mihi emori propter Jesum Christum, quam imperare finibus terræ . . . . Illum quæro, qui pro (num. 6.) nobis mortuus est, & resurrexit . . . . Ignoscite mihi, fratres, ne impedimento sitis, quominus ad vitam perveniam: Jesus enim est vita Fidelium. Ne me velitis mori: mors namque est, vita sine Christo . . . . Prin- (num. 7.) ceps hujus Sæculi sapere me vult, & voluntatem quam erga Deum habeo, corrumpere. Nullus itaque vestrum qui præsentes estis opituletur illi: potius mei sitis, idest Dei . . . . Neque si ego præsens vos obsecrem, obtemperetis; verum his potius credite, quæ vobis scribo: *Vivens enim scribo vobis, amore captus moriendi: Meus amor crucifixus est* . . . . Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus hujus vitæ; panem Dei volo, panem cœlestem, panem vitæ, qui est Caro Christi Filii Dei; ac potum volo, sanguinem illius, qui est charitas incorruptibilis, &c.

III. Eccui mirum non videbitur, tantam in hoc Sancto Episcopo adinveniri fidem, animum a sæculo ita distractum, charitatem in Deum tam eximiam, tam ardens martyrii desiderium? Quis nostrum experitur in seipso ineffabiles has Divini Amoris motiones, quibus vir hic Apostolicus urebatur? Quis imitari satagit, prout oportet, pulcherrima hæc virtutis exempla? Utinam sacer iste ignis accenderetur in cordibus nostris; vel saltem salutari suffunderemur confusione, nostram considerantes ignaviam, nostramque imbecillitatem; & tandem aliquando perfectæ humilitatis sensus sequeremur, qui tam apte in præsenti nostrarum imperfectionum statu nobis conveniunt.

IV. Do-

(*a*) II. ad Corinth. cap. 12.
(*b*) Tom. I. Histor. Ecclesiast. pag. 356.

(*c*) Tom. II. Histor. Ecclesiast. pag. 219.

II. SAECULUM.

IV. Dominus de Tillemont (a) animadvertit hic, stylum hujus Epistolæ tam fervidum esse, quantum objectum ejusdem est extraordinarium; & in tota Ecclesiæ Traditione nihil fortasse adinveniri, quod æque dignum sit illo veritatis ac amoris Spiritu, qui loquitur in Martyribus. Idem habetur styli fervor in aliis D. Ignatii Epistolis; & asserere possumus, ejus stylum sequi potius flagrantissimam Sancti Martyris charitatem, quam Grammaticæ regulas; & nequaquam posse ejus linguam magnitudinem suarum cogitationum elicere. Inter hæc autem elevatio quædam apparet, quædam vis, singularis quædam pulchritudo, ut in dubium revocent nonnulli eruditi, adeo egregias Epistolas primis Ecclesiæ temporibus concinnatas esse. Profundo sensu donantur omnes, & attenta meditatione opus est, ut recte intelligantur.

(a) Tom. II. Histor. Ecclesiast. pag. 219.

DOCTRINA
SANCTI POLYCARPI
EPISCOPI SMYRNENSIS, ET MARTYRIS.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

ETsi doceat S. Irenæus in quadam Epistola (1), cujus aliqua fragmenta habemus in Eusebio, S. Polycarpum plures conscripsisse Epistolas non tantum ad Ecclesias Smyrnensi suæ Ecclesiæ proximas, sed etiam ad peculiares aliquos Christianos; certum nihilominus est, unam solummodo apud nos extare hodie Sancti hujus Episcopi Epistolam, quæ est ad Philippenses: licet temporis injuria nonnulla in textu Originali deficiant, quæ feliciter in quadam veteri latina versione habemus. S. Irenæus, Eusebius, S. Hieronymus, Photius, ac S. Maximus expressim hujus Epistolæ mentionem faciunt, eamque citant sub nomine S. Polycarpi Episcopi Smyrnensis; ita ut de hoc dubitare nemo possit, quin erroris insimulet veteres istos auctores, qui firmiter constanterque illam ei adscribunt. S. Irenæus veluti omni sua parte absolutum opus hanc nobis exhibet (2). Eusebius (3). Aliqua profert ejusdem loca, quæ quasi de verbo ad verbum adinveniuntur in illa, quam hodie habemus. S. Hieronymus (4) eam vocat valde utilem; hancque etiam suo ævo legi consuevisse asserit in Ecclesiis Asiæ. Photius (5) ingenuitatem ac simplicitatem in illa admiratur, & fatetur, illius auctorem eo modo locutum esse, quo veteres loquebantur Scriptores Ecclesiastici. S. Maximus dum illius meminit, ejus auctorem divinum vocat, ὁ θεῖος Πολύκαρπος ait ille in suis Scholiis super S. Dionysium Areopagitam (6). Epistola hæc brevissima est, & nihil ferme aliud continet, quam præcepta, consilia, & adhortationes; quæ omnia ex Sacra Scriptura, quam sæpe ibi citat, excerpta sunt; & veritates circa Mores fere semper tradit. Aliquid vero notabilius circa Dogma adinvenitur in Actis Martyrii S. Polycarpi, concinnatis a fidelibus ipsis suæ Ecclesiæ, qui testes oculati fuerunt ejus passionis. Sub unico titulo omnia in medium afferemus, quæ animadversione digna visa sunt in utroque opere; & S. Polycarpo tribui posse credimus Doctrinam fidelium sibi subjectorum, cum probabile non sit, eos aliter a proprio Episcopo aut quoad Dogma, aut quoad Mores sensisse.

PUNCTA DOGMATICA.

I. QUoad Dogma eruimus 1°. a S. Polycarpo, quod quidem ipse didicerat ab Apostolo (a), gratia Dei nos esse salvatos, & salutem non ex nostris operibus bonis, sed ex pura Dei voluntate per Jesum Christum nos consequi: *Gratia estis salvati*, ait ille, *non ex operibus, sed voluntate Dei per Jesum Christum*. χάριτί ἐστε σεσωσμένοι οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλὰ θελήματι Θεοῦ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Hæc Doctrina, inquiesiam, perfecte conformis est Doctrinæ Apostoli, qui idem docet in sua ad Ephesios Epistola, & alibi etiam; sed necessitatem ac efficaciam bonorum operum minime lædit; hanc quippe necessitatem, ac efficaciam vehementer commendat S. Polycarpus in sua Epistola. 2°. Sanctus ille Episcopus docet post D. Joannem Apostolum (b), quod qui non confessus fuerit, Jesum Christum in carne venisse, Antichristus est. Addit insuper, quod *qui non confessus fuerit Martyrium Crucis*, videlicet qui non fatetur, Jesum Christum vere passum & mortuum esse, *ex Diabolo est*, & qui eloquia Domini traduxerit ad desideria sua, dixeritque neque resurrectionem, neque judicium esse; *hic primogenitus est Satanæ*. Hæc præcipua sunt, quæ in S. Polycarpi Epistola perlegi quoad Dogma.

Nostra salus ex gratia, & voluntate Dei. *Epist. ad Philip. num. 1.*

Realitas Passionis, & Resurrectionis Jesu Christi. *Epist. ad Philip. num. 7.*

II. Quoad Acta vero ejus Martyrii, excellens 1°. ibi habemus testimonium pro Divinitate Jesu Christi, & Latriæ cultu semper ab Ecclesia illi tributo. Mortuo Polycarpo urgebant Judæi, ut corpus Sancti hujus Martyris combureretur, ne reliquiæ ejus, ajebat eorum unus Nicetas nomine, a Christianis auferrentur, & relicto Crucifixo, hunc colere inciperent: *Ignari* (notat Auctor Actorum Martyrii S. Polycarpi), *quod nec Christum unquam derelinquere poterimus, qui pro salute omnium, qui in toto mundo salvi fiunt, passus est .... nec alium quemquam colere. Illum siquidem* (*Christum*) addit ille, *utpote Filium Dei adoramus: Martyres vero tamquam Domini discipulos & Imitatores, merito diligimus, propter illorum erga suum Regem ac Magistrum benevolentiam eximiam*. Hæc est igitur vera differentia, quam ab initio Ecclesia observavit, observabitque semper inter Jesu Christi, & Sanctorum cultum. Latriæ cultum Salvatoris tribuit; eum adorat ut Filium Dei, & ut verum Deum, sicuti est Pater: erga Sanctos vero ejus pietas limitibus coarctata est, eos diligit, honorat, reveretur uti Discipulos illius, qui objectum est suarum adorationum. Hæc

Cultus Latriæ Salvatori tributus. *Act. Martyr. S. Polycarp. num. 17.* Honor Martyribus tributus differt ab hoc cultu. *Ibid.*

(1) Epist. ad Florin. Lib. 5. Histor. Ecclesiast. Eusebii cap. 20.
(2) Lib. 3. adversf. Hæref. cap. 3.
(3) Catalog. Scriptor. Ecclesiast.
(4) Lib. 3. Hist. Ecclesiast. cap. 36. & Lib. 4. c. 14.
(5) Cod. 126. Biblioth.
(6) In Scholiis super septimam Epistolam S. Dionysio Areopagitæ adscriptam.
(a) Ad Ephesios, cap. 2. vers. 8. & 9.
(b) 1. Joann. cap. 4. vers. 3.

II. SÆCULUM.

Hæc est Ecclesiæ fides, hic est verus ejus cultus, quidquid in contrarium dicant ii, qui ab ejus communione sunt divisi, quasdam prætendentes superstitiones, quas per calumniam ei objiciunt.

Veneratio Sanctoru, & eorum Reliquiarum. Ibid. n. 18.

III. Auctor Actorum, narratione peracta Martyrii S. Polycarpi, statim addit: *Atque ita nos postea, ossa illius gemmis pretiosissimis exquisitiora, & super aurum probatiora, tollentes, ubi decebat, deposuimus. Quo etiam loco, nobis, ut fieri poterit, congregatis, in exultatione & gaudio, præbebit Dominus natalem martyrii ejusdem celebrare, cum in memoriam eorum, qui certamina pertulerunt, tum in venturorum hominum exercitationem & alacritatem.* Ex his primo constat, quisnam esset cultus, quem tunc temporis Christiani præbebant Martyribus. Eorum Reliquias colebant; tam splendide eas colligebant, ac si gemmæ fuissent pretiosiores, aut purissimum aurum; decoro loco ponebant; ibique cum exultatione & gaudio anniversariam diem eorum Martyrum celebrabant, quæ omnia Novatores impugnant. 2°. Hunc sibi proponebant in hisce solemnitatibus finem, scilicet non solum ut colerent memoriam Sanctorum, quorum pugnam ac victoriam summis laudibus extollebant; verum etiam ut fideles ad eorum imitationem accenderent, atque ad martyrium. Idipsum etiam nostris hisce temporibus intendit Ecclesia in cultu quem Sanctis tribuit, & per suos Ministros omnibus manifestat, quod *Summæ Religionis est imitari quod colimus.*

Martyrum Constantia comprobat, Deum ipsis gratia sua adfuisse. n. 2.

IV. Quid crederent Philippenses de efficacia & vi gratiæ Salvatoris, eruitur ex constantia Martyrum illorum temporum. Tradunt ipsi, quod qui aderant miserabantur ac plangebant dum eorum tormenta conspiciebant: *Ipsi vero eo fortitudinis venerant, ut nemo illorum vel strideret, vel ingemisceret: Omnibus ostendentes Martyres Christi, se tunc, dum torquerentur, a carne peregrinantes fuisse; aut potius Dominum ipsis adstitisse, & cum ipsis esse versatum.* Igitur ad gratiam Christi attendentes mundana tormenta spernebant, atque *frigidus ipsis videbatur*, ut legitur in iisdem Actis, *inhumanorum immitium ignis.* At Epistolam S. Polycarpi iterum præ manibus habeamus oportet, ut ejus Doctrinam circa mores tradere possimus.

PUNCTA MORALIA.

Obligationes Pastorum Ecclesiasticorum. Epist. ad Philipp. n. 6.

I. UT ab iis incipiamus, quos Presbyteros vocat, & sunt Ecclesiæ Pastores, 1°. vult, quod sint ad commiserationem proni; misericordes erga cunctos; aberrantia reducentes; visitantes infirmos omnes; non negligentes viduam, aut pupillum, aut pauperem; abstinentes ab omni ira, acceptione personarum, judicio injusto; longe recedentes ab omni avaritia; non cito credentes adversus aliquem; non severi nimium in judicio, *Qui sciant, nos omnes debitores esse peccati.* 2°. Quoad Diaconos, inculpati esse debent in conspectu justitiæ Dei: *Sicut Ministri Dei, & Christi, non autem hominum,* ὡς Θεοῦ καὶ Χριστοῦ διάκονοι καὶ οὐκ ἀνθρώπων, quod quidem ostendit, S. Polycarpum eos non habuisse veluti simplices cibi potusque ministros: Non calumniatores, non bilingues, nec avari; verum continentes in omnibus; misericordes, seduli, incedentes juxta veritatem Domini, qui factus est omnium minister. 3°. Viduæ, scilicet, juxta veterem loquendi modum, Diaconissæ debent esse circa fidem Domini prudentes, hoc est, inquirere non debent quæ earum captum superant; interpellare debent sine intermissione pro omnibus; ab omni calumnia longe recedere, & ab omni detractione, falso testimonio, avaritia, & omni malo, *Cognoscentes quod Altaria Dei sunt*, & quod ille omnia nostra conspicit, ac nihil eum latet, neque ratiociniorum, neque cogitationum, nec quidquam occultorum cordis. 4°. Vult quod uxores ament viros suos in omni Veritate, & diligant cunctos æqualiter in omni continentia, & erudiant filios suos in disciplina timoris Dei. Ad Juvenes quod attinet, præcipit ut in omnibus inculpabiles sint, ante omnia castitati consulentes, ac se ab omni malo refrenantes; quare subjici debent, addit ipse, Presbyteris & Diaconis, tamquam Deo & Christo. Virgines vero, tandem concludit, oportet in immaculata & casta conscientia vivere. 5°. S. Polycarpus tradit, quod *qui habet charitatem, longe est ab omni peccato.* 6°. quod *principium omnium malorum, est habendi cupiditas.* 7°. tandem gloriosissimum hoc testimonium Christianis sui ævi reddit: *Confido enim vos*, ait ad Philippenses, *bene exercitatos esse in sacris litteris, & nihil vos latet.* Maximo igitur pudore suffundi deberent nostrorum temporum Christiani, de quibus contrarium dici potest: cum æque ignorent res Religionis, ac primi Ecclesiæ fideles eas perfecte callebant.

Obligationes Viduarum, sive Diaconissarum. num. 4.

Obligationes Uxorum, Juvenum, & Virginum. n. 4. & 5.

Charitas longe est ab omni peccato. num. 3.

Avaritia omnium malorum radix. num. 4.

Eruditio veterũ fidelium. num. 12.

Non est permissũ sese sponte offerre Martyrio. Act. n. 1.

II. Antequam a S. Polycarpo recedamus, nonnulla loca Actorum ejus Martyrii hic afferenda sunt, quæ mores respiciunt. 1°. habetur ibi, nemini permissum esse seipsum tradere persecutoribus: animadvertunt siquidem Smyrnenses Christiani, Martyrium S. Polycarpi in hoc fuisse Evangelio conforme, quod seipsum periculo non exposuit; *Expectavit enim dum traderetur, sicut est Dominus*, ut nos etiam, inquiunt Acta, ipsius essemus imitatores, non solum nostra considerantes, sed & ea quæ ad proximos pertinent: *Charitatis quippe vera ac solida est*, addunt insuper, *non modo seipsum velle salvari, sed etiam omnes fratres.* Sed quid sentirent Smyrnenses super hoc articulo melius dignoscitur ex exemplo quod tradunt, cujusdam Quinti, qui ex Phrygia advenerat; quippe cum seipsum tormenti obtulisset, timore perculsus est cum vidisset bestias, & multis Proconsulis obsecrationibus exagitatus, juravit, ac sacrificium Diis obtulit: *Propter hoc igitur, Fratres mei*, scribunt fideles isti, *non probamus eos qui sponte sese offerunt; quandoquidem non ita docet Evangelium.* Verum utique est, Ecclesiam venerari memoriam aliquorum Sanctorum, qui seipsos Carnifici obtulerunt: at mirari debemus exempla ista, non imitari. 2°. Satis extolli nequit S. Polycarpi charitas, siquidem, ut in Actis ejus legitur, jussit apponi cibum & potum satellitibus qui eum ad mortem quærebant: *Statim igitur jussit ipsis tunc apponi cibum & potum, quantum vellent.* 3°. Nec minori digna est laude veneratio quam Proconsuli præstat, prout est sæcularis potestas: Te quidem sermone, ac ratione dignatus sum, ait illustris iste Martyr: *Edocti namque sumus, Principibus & Potestatibus a Deo ordinatis honorem, prout decet, qui nobis non officiat dare.* Hinc Sanctus iste Martyr longe aberat ab injuriis erga Judices, licet Christianos persequerentur. Inficiari non possumus, nonnullos Martyres injuriis Tyrannos affecisse; at exempla hæc peculiaria sunt, nec officiunt regulæ generali, qua tenemur honorem ac venerationem omnibus Potestatibus præbere. Tandem cum Proconsul Polycarpum urgeret, ut per genium Cæsaris juraret, & convicium faceret Christo, Sanctus senex hanc reposuit sententiam ejus pietate dignam, ac ejus adhæsione Jesu Christo: *Octoginta & sex anni sunt, ex quo servio ei, nec me ulla afficit injuria; & quomodo possum convicia dicere adversus Regem meum, qui salvum me fecit?*

num. 4.

Charitas S. Polycarpi. n. 6.

Honor a S. Polycarpo Principibus delatus. n. 10.

Ejus adhæsio Jesu Christo. num. 9.

DOCTRINA SANCTI JUSTINI

PHILOSOPHI ET MARTYRIS.

QUÆSTIONES PRÆMITTENDÆ.

IN tres distinctas classes dividi possunt Opera, quæ sub S. Justini Martyris nomine facta sunt publici juris. Prima exhibet Opera, quæ ab omnibus Sancto huic Martyri adscribuntur. Secunda illa continet Opera, quæ ejus nomine donari possunt, absque eo quod certo constet eum esse illorum Auctorem. Tertia tandem ea amplectitur, quæ S. Justino tribui nequeunt, quin notabiliter sanæ Criticæ & rectæ rationis Regulæ lædantur. Primæ classis Opera sunt duæ Apologiæ pro Christianis; Dialogus cum Tryphone Judæo; geminæ Orationes ad Gentiles, quæ sunt veluti cohortationes; si tamen verum est, duas has Orationes, illas esse, de quibus loquuntur Eusebius ac D. Hieronymus, & tandem Liber de Monarchia Dei. Duo sunt secundæ classis Opera; scilicet duæ Epistolæ, quarum una est ad quemdam Diognetum, de quo præter nomen omnia ignorantur; altera vero ad Zenam & Serenum, de quibus pariter, si nomina excipias, nil certi innotescit. Dominus Dupin (1) tradit, postremam hanc Epistolam non posse inter ea opera recenseri, quæ S. Justino adscribi possunt: id autem ita certo non constat, ut ille suadere contendit; & probationes quibus utitur, demonstrare non valent, Opus hoc constanter esse supposititium. Quod ille opponit, nonnulla ibi contineri, exempli gratia, quæ Monachis potius, quam hominibus in sæculo degentibus aptari possunt; valeret utique, si tempora nostris simillima respiceret: non valet autem dum loquitur de beatis illis temporibus, quando vita communis Christianorum in nihilo ferme ab accuratiori ac rigidiori Solitariorum vita differebat. Quidquid tamen de hoc sentiant Critici, nolo ego quidquam certi hac in re definire, ut item promissis in Præfatione hujus Operis. Tertiæ classis opera sunt Confutatio quorumdam Dogmatum Aristotelis; quinque Quæstiones, quas *Christianas* Auctor appellat, & quibus cum primum responderit ut Philosophus Paganus, illas dein responsiones refutat; Expositio Fidei circa Consubstantialitatem Sanctissimæ Trinitatis; & Collectio quædam Quæstionum ac Responsionum ad Orthodoxos. Vult Photius (2) S. Justinum certo postremum hoc Opus conscripsisse: nostri autem Critici non potuerunt usque modo id sibi ipsis suadere; & in Opere illo multa adinveniunt, quæ absolute temporibus Sancti hujus Philosophi non congruunt. Supervacaneum est Lectorem monere, me nihil allaturum esse excerptum a postremis his scriptis, utpote suppositītiis; afferam autem quæcumque in scriptis primæ & secundæ classis notabilia se mihi prodent. Plura Sancti hujus Martyris temporis injuria amisimus scripta, inter quæ ea præcipue dolemus, quæ concinnaverat ipse adversus Hæreses: hæc quippe ejus Operum portio, celebrior omnibus fuit in Ecclesia, ut tradunt veteres Ecclesiastici Auctores, & ex hac plus utilitatis adversus Hæreticos Christiani reportarunt. Affirmat Eusebius (3) S. Irenæum inter cæteros pluribus horum Operum locis uti, ut reipsa apparet ex paucissimis quæ habemus Sancti hujus Lugdunensis Episcopi scriptis; ut in Libro 4. adversus Hæreses, in quo hæc habet (4) καὶ καλῶς Ἰουστῖνος ἐν τῷ πρὸς Μαρκίωνα συντάγματί φησιν ὅτι αὐτῷ τῷ κυρίῳ οὐδ' ἂν ἐπείσθην ἄλλον Θεὸν καταγγέλλοντι παρὰ τὸν δημιουργόν, hoc est, Et bene Justinus in eo libro qui est ad Marcionem ait: Quoniam ipsi quoque Domino non credidissem, alterum Deum annuntianti, præter fabricatorem, & factorem, & nutritorem nostrum. Hoc vero scriptum, & alia hujusce generis periisse etsi dolere debemus; consolari nihilominus possumus ea perlegentes, quæ Divinæ Providentiæ beneficio ad manus nostras pervenerunt.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA.

Generale Compendium eorum, quæ continentur in S. Justino quoad Dogma.

EX iis quæ pertractat S. Justinus in Operibus suis, sequentia capita selegi, utpote magis convenientia fini mihi in hoc Opere proposito, & memorabilia magis in re theologica. 1°. Loco venit Sacra Scriptura. 2°. Ecclesia. 3°. Trinitas Divinarum Personarum. 4°. Divinitas & Incarnatio Verbi. 5°. Duo Testamenta. 6°. Baptismus & Eucharistia. 7°. Peccatum Originale; Necessitas Pœnitentiæ; Reprobatio Angelorum & Hominum; Liberum arbitrium; Necessitas Gratiæ & ejus efficacia, 8°. tandem Origo Dæmonum; Origo Paganismi; Sybillæ, Anima; Mundi interitus; & Error de Mille annorum Regno. Hæc sunt notabiliora Dogmatica puncta, quæ tradit S. Justinus. Modo singula percurremus, præmissam divisionem sequentes.

CAPUT PRIMUM.

SCRIPTURA SACRA.

Momenta credibilitatis pro Sacra Scriptura.

I. SAtietatem Lectori crearem, si omnia Sancti hujus Philosophi loca in medium afferre vellem, in quibus de Sacra Scriptura est sermo. Ut igitur ea rejiciam, quæ majorem merentur Theologorum attentionem; & aliquis in hac materia pertractanda ordo servetur, exordium ducam a vetustate S. Scripturæ, quam pius noster Auctor longe superare fatetur protanorum Scriptorum antiquitatem. Cum veri nihil, ait ille in prima sua Oratione ad Gentes, ex Magistris vestris de Religione disci possit; *Reliquum esse opinor, ut ad Majores nostros* (hoc appellat nomine sacros Scriptores) *revertamur, qui & Magistros vestros longo tempore antevertherunt.* Quod quidem non tantum auctoritate Sacrarum Scripturarum, quas non admittebant Gentiles, probare aggreditur; verum etiam profana Paganorum Scriptorum auctoritate: *Non enim ex divinis tantum Historiis nostris, prosequitur ipse, hæc probare aggredior, sed ex vestrarum etiam litterarum monumentis*

Antiquitas Sacræ Scripturæ.

Orat. 1. ad Gent. p. 8. & 9. Edit. Parisiens. ann. 1636.

(1) Tom. I. Biblioth. pag. 166.
(2) Cod. 125. Biblioth.

(3) Lib. 4. Hist. Eccles. cap. 18.
(4) Irenæus Lib. 4. advers. Hæres. cap. 6.

II. SÆCULUM.

numeraris; ut intelligatis, omnibus vestris sive Sapientibus, sive Poetis, sive Historicis, sive Philosophis, & Legislatoribus multo antiquiorem fuisse primum Religionis Doctorem, Mosen, sicuti nobis Græci declarant litteræ. Deinde comprobata hac veritate testimoniis nonnullorum profanorum Auctorum, sic concludit: *Hæc sunt, viri Græci, quæ de Mosis vetustate, externi & a Religione nostra alieni homines ..... tradiderunt.* Profundius nihil tradi potest historicis perquisitionibus, quibus hæc scatet S. Justini Dissertatio. In proprio fonte legi hæc possunt, cum omnia enarrare in hoc opere non valeam.

Unanimis Sacrorum Scriptorũ consensio. Ibid.

II. Nec minoris utilitatis est quod docet Sanctus iste Philosophus circa Scriptores Sacros, asserens quæ sequuntur: *Nihil de suis ipsorum cogitationibus & placitis docuerunt, minime ipsi mutuis dissensionibus invicem conflictantes .... quippe qui omnis contentionis studio, & factionum dissidio liberi, sicuti a Deo acceperunt, ita nobis doctrinam tradiderunt.* Tantam hujus veritatis persuasionem induxerat sibi S. Justinus, ut vel minimam horreret admittere in Sacrarum Scripturarum libris contradictionem. Si simpliciter ac citra malignitatem, ait ille in suo Dialogo cum Tryphone, ad Tryphonem ipsum loquens, (verba facit de hoc Isaiæ textu (*a*): Ego Dominus .... gloriam meam alteri non dabo; quem textum Judæus iste D. Justino objiciebat contra Divinitatem Salvatoris): Si simpliciter, ac citra malignitatem his verbis recitatis conticuisti, Trypho, nec ea præfatus quæ præcedunt, nec quæ consequuntur subjungens; *veniam mereris: Sin ea gratia id fecisti, quod existimaris in dubium orationem vocari posse ut dicerem adversari sibi invicem Scripturas; erras. Neque enim unquam hoc audebo vel in animum inducere, vel eloqui,* ὁ γὰρ τολμήσω ποτὲ, ἢ ἐνθυμηθῆναι ἢ εἰπεῖν. *Verum si qua Scriptura, quæ ejusmodi esse videatur, in medium proponatur; & obtentum eum habeat, quasi adversaria alteri sit: omnibus modis persuasum habens nullam Scripturam ab alia diversam esse* ἐκ παντὸς πεπεισμένος ὅτι οὐδεμία γραφὴ τῇ ἑτέρᾳ ἐναντία ἐστὶν *ipse me potius, quæ dicta sint, non intelligere fatebor: atque, ut illi qui Scripturas inter se non convenire suspicantur, idem mecum sentiant, persuadere contendam.* Confessio sane digna pietate, ac profunda tanti Philosophi doctrina! Confessio autem, quæ confundere deberet quosdam semi sapientes nostrorum temporum, qui malunt errorem adinvenire ubi error non est, immo nec haberi potest, quam seipsos, quales reipsa sunt, noscere.

Nulla admitti potest contradictio in Sacra Scriptura. Dialog. cum Tryphone. pag. 289.

III. Narrat S. Justinus in eodem Dialogo parum post initium, quod cum in agrum quemdam non remotum a mari quadam die profectus esset, ut plurima solitudine animum expleret, atque hominum vestigia vitaret, Senior quidam ante eum substitit, & suis sermonibus pietate ac sapientia refertis, eum omnino a Philosophia profana avocavit, tantumque inspiravit ardorem ad lectionem Sacræ Scripturæ. Quæ modo sequuntur, verba sunt illius Senioris, quibus eum affatus est, ut ad hanc lectionem efficaciter determinaret. *Hi soli*, ait ille ad Justinum, *quod in vero sit, & viderunt & hominibus renuntiaverunt, neque observantes, neque metuentes quemquam, neque gloria cupiditate victi: & quippe duntaxat sunt prolocuti, quæ audierunt & viderunt Spiritu Sancto repleti*: ἀλλὰ μόνα ταῦτα εἰπόντες ἃ ἤκουσαν καὶ ἃ εἶδον, ἁγίῳ πληρωθέντες πνεύματι. *Minime namque*, prosequitur Senior, *tum illi per demonstrationes scripta sua composuere: ut qui longissime supra omnem demonstrationem locupletes, & idonei fuerint veritatis testes. Porro & quæ evenerunt, & quæ eveniunt, necessitatem fidem afferunt assentiri iis, quæ ab illis sunt dicta: quin & propter virtutes, & miracula quæ edidere, ut eis crederetur, digni reperti sunt.* Hæc sunt igitur vera credibilitatis motiva, quæ in Scripturarum favorem adhiberi possunt, si quando convincendi sint infideles; earum videlicet antiquitas, quæ immensum superat vetustatem profanorum Scriptorum; earum perfecta unanimitas; integritas ac pietas Sacrorum Scriptorum; suarum prædictionum eventus: miracula ab ipsis patrata; & præcipue eximia hæc prærogativa, qua ad exclusionem aliorum Scriptorum donati sunt, ut scilicet Spiritu Sancto replerentur & id solum docerent, quod ab ipso immediate didicerant.

Ingenuitas sacrorum Scriptorũ. P. 224.

Illorum Prophetia & Miracula. p. 225.

IV. Divina hæc Sacræ Scripturæ inspiratio intima est & immediata juxta S. Justinum; qui docet proinde, Sacros Scriptores non potuisse nec naturaliter, nec humani ingenii viribus sublimes ac divinas illas veritates assequi, quibus eorum libri abundant, & indiguisse ipsos gratia Sancti Spiritus, qui in illis illapsus est: nec opus fuisse iis arte dicendi, ut divina eloquia conscriberent; sed sat fuisse ut seipsos puros præberent operationi Sancti Spiritus, qui eorum calamis usus est, veluti organis, per quæ divinas veritates nobis manifestaret: *Neque enim natura, vel ingenio humano res tam sublimes & divinas hominibus cognitione assequi est possibile: sed eo quod tum cælitus in viros sanctos descendit, gratuito opus est dono. Qui viri nihil indiguere arte dicendi, neque eis opus fuit, ut quidquam rixæ contentionisve agerent cupiditate; sed ut tantummodo puros seipsos divini Spiritus operationi præberent*, ἀλλὰ καθαροὺς ἑαυτοὺς τῇ τοῦ Θεοῦ παρασχεῖν ἐνεργείᾳ. *Atque ita*, prosequitur iste Pater, *divinum e cælo plectrum descendens, quasi instrumento quopiam cithara alicujus vel lyræ, viris justis utens divinarum nobis & cælestium rerum cognitionem revelavit*. ἵν' αὐτὸ τὸ θεῖον ἐξ οὐρανοῦ κατιὸν πλῆκτρον, ὥσπερ ὀργάνῳ κιθάρας τινὸς ἢ λύρας, τοῖς δικαίοις ἀνδράσι χρώμενον τὴν τῶν θείων ἡμῖν καὶ οὐρανίων ἀποκαλύψῃ γνῶσιν. Nihil mehercle aptius, certius nihil dici potest ad ostendendam divinam sacræ Scripturæ inspirationem. Utinam Scholastici ea tantum docerent, quæ tradit hic S. Justinus, iis prætermissis disputationibus, quæ supervacaneæ semper sunt, & plerumque auctoritati sacrorum librorum afficiunt.

Inspiratio immediata Sacræ Scripturæ. Oration. ad Gent. p. 9.

V. His præmissis, quæ de inspiratione Sacræ Scripturæ loquitur S. Justinus, nemini mirum videbitur, si maxima prosequitur ille veneratione divinos hos libros, & sæpe sæpius in suis Scriptis eorum auctoritate utitur; atque ita utitur, ait Dominus de Tillemont (*b*), ut videatur aliquando, non alia quam Scripturarum verba promere: & quia verebatur, eadem Scripturarum testimonia repetendo, fastidium auditoribus suis ac satietatem creare, sequentibus verbis quodam sui Dialogi loco se excusat: Ac nunc quidem si id vobis dixero, etsi sæpe eadem inculcavi, nihil tamen absurdi dicturum esse confido. Ridiculum enim fuerit Solem & Lunam videre, ac cæteras Stellas eamdem semper viam insistere, easdemque tempestatum vices reducere, rationum computatorem, si rogetur bis duo quot faciant, etsi sæpe dixerit, quatuor, non tamen idcirco desinere quatuor dicere, & alia ejusmodi, quæcumque certo asseverantur, eodem semper modo dici & asseverari: *Eum autem, qui ex Propheticis litteris cum aliis colloquendo verba fuciat, eas litteras posthabere, & non easdem Scripturas semper allegare; sed seipsum melius quidquam quam sanctas litteras, invenire & eloqui posse, existimare.* Innumeri sunt, qui, inconsiderate plerumque, eadem præsumunt.

Adhæsio S. Justini SacræScripturæ. Dialog. p. 312.

VI. Ut autem veneratio Sancti hujus Philosophi pro Sacræ Scripturæ libris magis innotescat; attendere sufficiat quæ exprobrat Judæis, eo quia plurima deleverint ac truncaverint Scripturarum loca, quæ Christum Jesum respiciebant: Sed minime mihi probantur, ait ille, Magistri vestri, qui septuaginta illos senes apud Ptolomæum Ægyptiorum regem recte interpretatos esse assentiri nolunt, sed ipsi interpretari aggrediuntur. Neque illud etiam vobis ignoratum velim, permultas Scripturas, ex quibus perspicue hunc ipsum, qui Cruci affixus fuis, & Deum, & Hominem, & crucifixum, & morientem prædicatum esse demonstratur, omnino ab eis ex illa interpretatione, quam senes apud Ptolomæum adornarunt, deletas fuisse. Tryphon D. Justino reponit, incredibile esse, Judæos id fecisse: S. Justinus autem respondens exaggerat hujus facinoris enormitatem: *Incredibile profecto videtur*, ait ipse, *magis enim horrendum, quam vituli anteferratio illa, quam in terris fecerunt, & quam liberorum dæmonis mactatorum sacrificium, aut Prophetarum ipsorum occisio.* Si quis scire cupit, quænam sint ea Scripturarum loca, quæ, prout tradit S. Justinus, aut deleta sunt a Judæis, aut corrupta, subjungimus modo. 1°. Locus ille Isaiæ: *Ecce Virgo concipiet*; corruperant quippe Rabbini hunc textum juxta S. Justinum, legentes *Ecce juvencula* pro ly *Ecce Virgo*. 2°. Quidam Esdræ locus, in quo mentio fit Paschatis: in latina versione hunc textum ita recitat S. Justinus: *Et dixit Esdras populo: hoc Pascha, Salvator noster & perfugium nostrum.* 3°. Illud Jeremiæ: *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, &c.* 4°. hic Psalmi 95. versiculus: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit*; cui versiculo contendit S. Justinus, Judæos ademisse hæc duo verba *a ligno*. 6°. Alius Jeremiæ locus, quem omnino delevisse Hebræos, auctor est Sanctus iste Philosophus; & sic se habet in ejusdem D. Justini scriptis: *Recordatus est Dominus mortuorum suorum ex Israele, qui obdormierunt in terra aggeris, &c.* Hæc sunt illa Scripturarum loca, quibus aut delendis, aut corrumpendis adlaborarunt Judæi, ut tradit S. Justinus, in odium Jesu Christi, ac ejus Religionis. Eorum autem

Scripturarum textus aut deleti, aut corrupti a Judæis juxta S. Justinũ.

(*a*) Cap. 42. vers. 8.

(*b*) Tom. II. Histor. Ecclesiast. pag. 391.

II. SÆCULUM.

tem quæ hac super re tradit hic S. Justinus me vadem non constituo, & addipulari malo communiori opinioni docenti, Judæos non solum sacras litteras non corrupisse, verum neque corrumpere potuisse, etsi voluissent.

VII. Sanctus noster Philosophus sic reverebatur Sacras Scripturas, ut non solum asserat, originalem textum Divino afflante Spiritu fuisse conscriptum; sed hoc privilegio donet etiam ipsam Græcam Versionem, quam vulgo Septuaginta Interpretum Versionem nuncupamus; ut facile colligitur ex portentosa, quam ipse narrat, hujus versionis historia. Hæc igitur habet. Cum Ptolomæus Philadelphius Ægypti Rex Bibliothecam Alexandriæ construxisset, eaque libris undique comportatis repleta, postea didicisset, antiquas historias hebraicis litteris scriptas diligenter asservari; cupidus hæc scripta cognoscendi, Septuaginta sapientibus viris græce & hebraice scientibus, quos Hierosolymis accersiverat, id negotii dedit, ut hos libros interpretarentur: Ut vero ab omni interpretatione liberi citius interpretationem conficerent, jussit illis, non in ipsa quidem urbe, sed septem ab ea stadiis, ubi Pharus ædificata est, tot cellulas, quot erant Interpretes, fieri, ut pro se quisque separatim interpretationem absolverent. Postquam autem cognovit, Septuaginta illos viros, non solum eadem sententia, sed iisdem etiam verbis usos esse, ac ne una quidem in vocula a mutuo consensu aberrasse, sed eadem iisdem de rebus scripsisse; tum stupore perculsus, ac pro certo tenens, non sine vi divina interpretationem confectam esse, omni illos quidem honore dignos, ut homines Deo charos, judicavit, & cum plurimis donis in patriam ire jussit. Hæc sunt quæ tradit S. Justinus de versione Septuaginta Interpretum; & ut septuaginta cellularum veritatem comprobet, ait, se earum reliquias ac rudera in Pharo conspexisse, quæ loci illius habitatores ei ostenderant, asserentes, a majoribus didicisse, illas esse reipsa ruinas cellularum, quas Rex Ptolomæus pro Septuaginta Interpretibus ædificari jusserat. Veritatis hujus historiæ vades facit Philonem, & Josephum cum pluribus aliis, quorum nomina recitare supervacaneum ducit.

Historia Versionis LXX. Interpretum a S. Justino relata. Orat. 1. ad Gent. P. 13.

VIII. D. Justinus primus est inter Patres, qui miram hanc narret historiam; hujus autem auctor non est ipse. Quidam Aristeas, regius, ut fertur, administer Ptolomæi, illam consarcinavit. Aliqui vero volunt, opus Aristeæ tributum, esse librum apocryphum, ab aliquo Judæo Hellenista exaratum. Aristobolus Judæus & Peripateticus Philosophus hujus historiæ meminit in quibusdam supra Mosen Commentariis, qui sub ejus nomine circumferuntur; dubium autem viget inter eruditos nonnullos circa genuinum horum commentariorum auctorem; quin immo nec sunt valde solliciti de hujus Scriptoris auctoritate, quem cum pseudo-Aristea comparant. Alii, qui hanc historiam ante S. Justinum narrant, sunt Philo, ac Josephus, Judæi ambo, quos Sanctus ipse Philosophus citat, ut supra vidimus. Sicuti vero ab Aristea & Aristobulo hauriunt isti quidquid afferunt hac in re; hinc majorem quam supra recensiti non obtinent apud Criticos auctoritatem. Ad severiorem Criticæ limam revocet Lector quæstionem hanc, quam magna animorum contentione pertractarunt plurimi inter eruditos, adeatque ex utraque parte pugnantes; cum non sit mei instituti controversiam hanc dirimere; & cum eo meliori modo quo fieri potest innumeri inter Criticos id peregerint. Stant pro affirmativa parte inter alios Usserius, ac VValton; pro negativa vero Scaliger, Henricus Hody Anglus, ac celeberrimus Dupin in erudita quadam Dissertatione, quam Bibliæ præmittit, & in alia Dissertatione, quam præmittit Bibliothecæ Auctorum Ecclesiasticorum.

IX. Sufficiat igitur hic animadvertere 1°. omnes veteres Patres, Eusebio ac D. Hieronymo exceptis, hujus historiæ veritati subscribere, sed in iisdem circumstantiis enarrandis omnes non convenire: de quo sane discrimine eos suo loco purgare conabor. 2°. Ignoratur ubinam didicerit S. Justinus id quod de septuaginta cellulis tradit: Aristeas enim harum non meminit, nec Aristobulus, nec Philo, nec Josephus: narrant econtra una eademque in aula septuaginta illos viros versionem illam perfecisse, & in ea concinnanda, colloquia insimul instituisse. Fateamur ergo oportet, D. Justinum super hoc articulo ab aliquo Alexandrino Judæo deceptum fuisse, ac nimium fidisse populari alicui traditioni: quod tamen non obstitit, quominus Patres, qui post eum floruerunt, huic circumstantiæ, veluti agnitæ veritati fidem præberent. Idem dicendum de portentosa in Septuaginta versionibus uniformitate, cum articulus hic, præcedenti innitatur; hoc est, prodigiosa non est hæc uniformitas, nisi septuaginta cellulæ vere extiterint. 3°. S. Justinus verba faciens iterum de eadem versione in prima sua Apologia, dicit, Ptolomæum Philadelphium, Herodem tunc Judæorum Regem per legatos rogavisse, ut libros Prophetarum ad se mitteret; ac iterum legatis missis ab eo petiisse, ut ad se mitteret qui hos libros in græcum sermonem transferrent. De duabus istis legationibus ne unum quidem verbum in Aristea, ac tribus aliis Scriptoribus, qui de hac versione ante S. Justinum sunt loquuti. Cæterum notabilis est anacronismus Herodem Regem ad tempora Ptolomæi Philadelphi referre, cum certum sit, Philadelphium hunc valde præcessisse Regem istum Judæorum. Hisce momentis expositis, in dubium revocandam esse dicimus illius historiæ veritatem; & ex fabulosa vetusti hujus patris narratione, quanti faceret ipse Septuaginta Interpretum Versionem, nullo negotio conjicimus.

Apolog. 1, pag. 72.

X. Duo vel tria S. Justini notabilia circa Sacram Scripturam testimonia afferenda adhuc remanent. In primo Divinam ostendit Græcis Dei providentiam supra Catholicam Ecclesiam in eo, quod Judæis inspiravit asservare sacros veteris Testamenti libros: *Nam quod etiam nunc*, ait Pater iste, *apud Judæos pietatis nostræ libri asservantur, divinæ id de nobis opus est Providentiæ*: hanc vero illico rationem dat hujus providentiæ: *Ne enim ex Ecclesia eos proferentes, occasionem, quasi suppositi a nobis aut corrupti sint, maledicis nos incessere volentibus, præbeamus: ex illorum Synagoga promimus, ut ex ipsis huc usque apud eos conservatis libris, ad nos nostrumque doctrinam a Sanctis viris edita jura liquido & manifeste pertinere appareat.*

Providentia Divina super Ecclesiam in conservatione librorum Veteris Testamenti. Apolog. 1. pag. 14.

XI. In secundo suppeditat nobis S. Justinus insignem Doctrinæ Servatoris ideam, hoc est Doctrinæ Evangelicæ: ait namque, Doctrinam hanc quamdam in se habere majestatem, ideoque quod eam severentur & ii etiam, qui vias perditionis ambulant, & jucundam experiuntur quietem qui in ea se exercent: *Timorem namque quemdam in se habet (Servatoris doctrina), & idonea est ad terrendos persuadendosque eos qui a recta transversim suas vias, & qui in ea se exercent, suavissima eis contingit quies.* Evenit id quotidie humilibus ac piis Christianis, qui cum necessariis dispositionibus Sanctum legunt Evangelium; & in seipsis illud Davidis comprobari persentiunt: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, semper mel ori meo! (a)

Efficacia Doctrinæ Evangelicæ. Dialog. p. 225.

XII. Postremus articulus respicit Sacræ Scripturæ intelligentiam, quam S. Justinus donum dicit Divinæ gratiæ. Veritatem hanc didicerat ipse ab illo seniore, cujus supra mentionem fecimus, qui in Dialogo cum Tryphone aperte dicit, illos solummodo posse Sacrarum Scripturarum sensum assequi, quibus Deus hanc gratiam fuerit impartitus: *Neque enim ab aliquibus perspiciuntur, præterquam si cui Deus, & Christus ejus concesserint intelligentiam.* Quam veritatem ita tuebatur S. Justinus, ut sibipsi divinam hanc gratiam agnosceret collatam: Scripturas vobis referam, habet ille ad Tryphonem, nec apparatum verborum ad solam artem ostentare volo; neque enim mihi est ejusmodi facultas: *Sed gratia dumtaxat a Deo, ut Scripturas ejus intelligam, data est. Num putatis, o viri*, ait insuper in eodem Dialogo semper cum Tryphone verba faciens, *nos unquam hæc in Scripturis intelligere potuisse, nisi voluntate Dei, ut ista intelligeremus volentis, gratiam accepissemus? Revelavit igitur nobis Christus omnia quæ ex Scripturis etiam per gratiam ejus accepimus.* Huc usque dicta satis superque sunt pro præsenti materia.

Sacræ Scripturæ intelligentia, Divinæ Gratiæ donum. Dialog. pag. 195.

pag. 280.

pag. 246.

pag. 316.

CAPUT SECUNDUM.

E c c l e s i a.

PAuca habet S. Justinus de Ecclesia, & duo tantum loca hoc in Opere referenda selegi. 1°. Sanctus iste Philosophus aperte fatetur Ecclesiæ Unitatem, & veluti Dei Filiam, ac Jesu Christi sponsam eam considerandam exhibet, postremas has duas proprietates comprobans illo Psalmistæ (b): Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui; & concupiscet Rex decorem tuum. Latina versio textus S. Justini habet: *Et quod in ipsum credentibus*, loquitur de Christianis, *quasi uni animæ, & uni Synagogæ, & uni Cœtui, verbum Dei, sicut Filiæ, Ecclesiæ, ex nomine ejus constitutæ...*

Ecclesia est Una, Filia Dei, & Sponsa Jesu Christi. pag. 287.

(a) Psalm. 118. vers. 103.

(b) Psalm. 44. vers. 11. 12.

sta ... prædicet, itidem aperte verba hæc annuntiantur, quæ sic habentur: Audi Filia, & vide, &c. 2. S. Justinus explicans illud Prophetæ Malachiæ: (a) ab ortu Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus &c. ostendit, veritatem hanc suo ævo comprobatam jam esse prodigiosa Evangelii propagatione: *Atque ne unum quidem*, ait ille, *est genus mortalium* οὐδὲ ἓν γὰρ ὅλως ἐστὶ τὸ γένος ἀνθρώπων, *sive barbarorum, sive græcorum, seu etiam aliorum omnium, quocunque appellentur nomine; vel Hamaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viventium Scenitarum ... inter quos per nomen crucifixi Jesu, supplicationes, & gratiarum actiones patri & fabricatori rerum omnium non fiant.* Hinc Ecclesia erat perfecte Catholica ab ipsis, ut ita dicam, incunabulis, & tunc etiam, quando magis eam persequebantur Judæi, & Gentes, & in ejus ruinam collatis viribus conspiraverant. Sane digitus Dei est hic, & sola Altissimi dextera opem ferre potuit huic in speciem imbecilli ædificio adversus procellas furentesque tempestates: &, quod majus est, inter has procellas, immentum proficiebat Ecclesia: *Sanguis Martyrum, semen Christianorum*. Hæc est una ex præcipuis demonstrationibus Divinitatis nostræ Religionis.

Ecclesia erat Catholica etiam ævo S. Justini. Dialog. p. 344.

CAPUT TERTIUM.

DE SANCTISSIMA TRINITATE DIVINARUM PERSONARUM.

I. GEmina tantum de primario hoc Religionis nostræ articulo proferam S. Justini loca. Primo sumpta occasione a calumnia, qua Atheismi arguebantur veteres Christiani, sic loquitur: Quia Dæmones istos non adoramus, ait ille de falsis Diis verba faciens; inde ortum ut athei appellaremur: atque atheos quidem nos esse confitemur, si de opinatis ejusmodi diis agatur; secus vero, si de verissimo illo, & justitiæ ac temperantiæ, ac cæterarum virtutum Patre, nulla admixto vitiositate Deo: *Verum hunc ipsum (Patrem) & qui ab eo venit ... Filium, & Spiritum propheticum colimus & adoramus:* ἀλλ᾽ ἐκεῖνόν τε (πατέρα) καὶ τὸν παρ᾽ αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα ... καὶ ... πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν. Tres Divinæ Personæ distincte hic designantur; & sicuti, juxta S. Justinum, nullum discrimen habetur in cultu tribus Divinis Personis a Christianis præstito, necessario inde fluit, Majores nostros credidisse, sicut & nos ipsi credimus, Sanctissimæ Trinitatis Consubstantialitatem; videlicet unam Naturam in tribus Personis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto.

Trinitas Divinarum Personarum. Apolog. I. pag. 56.

II. Loquitur pariter alibi in eadem Apologia de Augustissimo hoc Mysterio, & ait: *Atque atheos quidem, & sine Deo, impiosque nos non esse, qui conditorem hujus mundi colimus ... quæ sumus non fuit..... & Jesum Christum ... quod ipsius veri & singularis Dei Filium esse edocti sumus, secundo loco, ac Spiritum propheticum tertio ordine, &c.* Distinctio realis Divinarum Personarum hic pariter perspicue habetur, & de reali distinctione Personarum sermonem fieri in hoc textu, non vero de distinctione Naturæ, ex eo constat quod tradit hic, & in supra allato testimonio S. Justinus, Christianos scilicet tres has Personas adorare: Atqui tradit alibi, ut infra videbimus, fideles adorare unum Deum; igitur unum Deum adorabant in tribus distinctis Personis, ideoque unam eamdemque naturam in tribus personis: differentia ergo, quæ hic exponitur, est differentia Personalitatis. Alia possem S. Justini loca afferre, in quibus trium Divinarum Personarum meminit; sed supervacaneum id esset, & duo modo allata testimonia satis superque ostendunt quid de Mysterio augustissimo Sanctissimæ Trinitatis sentiret Sanctus Justinus.

Sequitur idem argumentū. Ibid. p. 60.

CAPUT QUARTUM.

DE DIVINITATE VERBI, ET EJUS INCARNATIONE

§. I.

DE DIVINITATE VERBI.

I. NOnnullæ in Patribus argumentum hoc pertractantibus occurrunt phrases, quæ explicatione indigent: hinc id peragere intendimus in hoc articulo quoad aliquas phrases S. Justini, qui subobscure aliquando loquitur, dum agit de primaria hac nostræ Religionis veritate. Antequam vero id exequamur, rectum rerum ordinem sequentes primum ea hujusce Patris loca afferemus, quæ aptius fidem nostram in hoc articulo firmare valent. Plurima possemus ex secunda Apologia depromere testimonia; at ne nimis progrediatur oratio, unum solummodo seligimus ex eadem secunda Apologia egregium testimonium, in quo S. Justinus, postquam demonstravit, Verbum, non vero æternum Patrem, Sanctis veteris Testamenti Patriarchis apparuisse, ac Moysi dixisse, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac. &c. Judæos arguit, quia apparitiones hujusmodi Patris personæ tribuebant; atque inde concludit, non agnovisse eos nec Patrem, nec Filium: Qui enim, addit ipse, Filium pro Patre sumunt, evidenter constat, quod Patrem non agnoscunt, & ignorant, hunc Universi Parentem habere Filium, *qui quod Verbum & primogenitus Dei sit, Deus etiam est.* ὃς λόγος καὶ πρωτότοκος ὢν Θεοῦ, καὶ Θεὸς ὑπάρχει. Quandoquidem igitur S. Justinus tradit, Jesum Christum esse Verbum Dei, ejus Unicum ac Primogenitum Filium, semper comprobat Divinitatem Verbi, cum qualitas hæc juxta illum, immo juxta ipsam etiam veritatem, necessario fluat a duabus supra recensitis. Innumera autem sunt loca, in quibus S. Justinus Servatorem vocat, Verbum, & Primogenitum Patris: Hinc in Operibus Sancti hujus Martyris habemus unde silentium imponamus iis, si qui essent, qui auderent orthodoxam ejus fidem hac super re labefactare.

Verbum est Deus una cum Patre. Apolog. II. pag. 96.

II. Unus sufficeret S. Justini cum Tryphone Dialogus ad veritatem hanc homini rationis compoti suadendam. Verba faciens ibi Sanctus ille Philosophus de Divina apparitione facta Jacobo in Bethel in terra Canaan ait, Verbum Sancto huic Patriarchæ apparuisse, & hoc ipsum Verbum, Deum appellari eo Geneseos loco, ubi hujus apparitionis fit mentio, & Deum reipsa esse, ac semper futurum esse: *Deus vocatur, & Deus est & erit*: Θεὸς καλεῖται, καὶ Θεός ἐστι, καὶ ἔσται. Eadem reperit quoad omnes ferme apparitiones in eo Dialogo allatas, & supponit semper, Verbum hominibus sub diversis speciebus apparuisse, locutum fuisse, interrogationes fecisse, responsa dedisse: & sicuti Sacra Scriptura apparitiones istas ipsi Deo tribuit: hinc S. Justinus semper concludit, Verbum esse Deum.

Sequitur idem argumentū. Dialog. p. 281.

III. Sanctus ille Pater probat insuper Divinitatem Verbi hoc Geneseos testimonio: (b) Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; & æternum Patrem hæc locutum fuisse Filio suo supponit, una cum Auctore Epistolæ D. Barnabæ adscriptæ; ac simul oppositam Rabbinorum hujus textus interpretationem rejicit. *Hoc ipsum, o Amici*, ait ille, *dixit Verbum Dei per Mosen, indicans nobis quem eodem intellectu Deum nominandum esse declararet, in creatione hominis hæc dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: Et ne depravantes*, addit insuper, *quæ diximus (Scripturæ) verba, illa afferatis quæ Rabbini vestri allegant, vel quod ad se ipsum (numero) locutus sit Deus, faciamus &c. ... vel quod ad elementa dixerit, faciamus; verba rursus alia a Mose prolata referam, ex quibus citra ambiguitatem certo ad aliquem, qui & numero alius, & rationalis sit, ipsum locutum esse, cognoscere possumus: Sunt autem hæc verba: & dixit Deus (c), Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis. Itaque*, loquitur semper S. Justinus, *quasi unus ex nobis dicens eum numerum eorum qui una essent*, καὶ ἀριθμὸν τῶν ἀλλήλοις συνόντων, *eum minimum duos indicavit.* Asserit insuper, æternum Patrem cum Angelis minime verba illa fecisse, sed cum proprio Filio, qui cum sit ejus progenies, ante creaturas omnes semper cum Patre fuit: *Haudquaquam namque in vero esse affirmaverim .... Angelis hoc dictum esse .... verum hæc ipsa revera a Patre edita progenies, ante creaturas omnes una, & cum ea Pater colloquitur.* Ecquis legere valet hæc S. Justini loca, quin illico fateatur orthodoxam ejus fidem circa Divinitatem Verbi, immo etiam circa ejusdem Consubstantialitatem? Dixi Divinitatem Verbi; eam siquidem ibi probare vult Sanctus iste Philosophus adversus Tryphonem, ut satis eruitur ex ipso textu. Dixi insuper ejusdem Consubstantialitatem, quia duo illa Sacræ Scripturæ testimonia in sensu S. Justini accepta, de sola Verbi Consubstantialitate intelligi queunt: Si enim Pater est, qui Filio proprio, proprio Verbo loquitur, ut contendit S. Justinus, necessario inde sequitur identitas naturæ in Patre & Filio; quæ sane significatur verbis illis, *ad imaginem & similitudinem nostram*; & hæc alia, *quasi unus ex nobis*. Identitas autem ista naturæ sive essen-

Ibid. p. 185

(a) Malach. cap. 1. vers. 11.

(b) Genes. cap. 1. vers. 26.
(c) Genes. cap. 3. vers. 22.

II. SECULUM.

essentiæ, illa est, quam nos, celeberrimi Concilii Niceni Patres sequentes, Consubstantialitatem appellamus.

Sequitur idem argumentū. Dialog. p. 288.

IV. Divinitatem Verbi probat iterum S. Justinus auctoritate Psalmorum, & allato, exempli caussa, aliquo ex Psalmo 44. versiculo, hæc habet: *Hisce, inquam, verbis, facis diserte est indicatum, adorandum eum nimirum esse, & Deum & Christum:* ὅτι γοῦν προσκυνητός ἐστι, καὶ Θεὸς, καὶ Χριστός. Similia infert etiam ex versiculis 7. & 8. Psalmi 18. Recordamini, ait ille ad Tryphonem, ejusque asseclas, aliis etiam ex verbis pariter a Davide pronuntiatis, futurum fuisse, ut Christus e summo cœlo progrederetur, ejusque in eadem loca indicari reditum: *Ut & Deum cœlitus profectum, hominemque inter homines factum cognoscatis:* ἵνα καὶ Θεὸν ἄνωθεν προελθόντα, καὶ ἄνθρωπον ἐν ἀνθρώποις γενόμενον γνωρίσητε. Objicit Trypho S. Justino, incredibile esse, immo impossibile, demonstrare, Deum hominem esse factum: *Rem enim*, inquiebat iste Judæus, *incredibilem, & prope impossibilem molires, Deum nasci & hominem fieri sustinuisse:* ὅτι Θεὸς ὑπέμεινε γεννηθῆναι, καὶ ἄνθρωπος γενέσθαι. Sanctus Philosophus egregie reponit: Si id humanis doctrinis, & argumentis aggrederer demonstrare, non æquum esset ut me ferretis: Si vero Scripturas easque tam multas in hanc dictas sententiam, ac sæpe easdem referens, rogo ut eas intelligatis; corde ad cognoscendam Dei sententiam ac voluntatem obduruistis: *Nam si dicta Prophetarum intellexissetis, non inficiari essetis ipsum esse Deum.* αὐτὸν εἶναι Θεόν. Fateor me ignorare, an aptius quidquam dici possit pro Verbi Divinitate, aut validius quidquam reperi ab illo sæculo in favorem primarii hujus fidei nostræ articuli; ab illo sæculo, inquam, quando veritas hæc licet omnibus aperte manifesta, in plenissimam tamen lucem nondum posita erat, sicuti per hæresim Arii contigit. Qui plura S. Justini loca circa hanc veritatem videre cupit, legat pag. 274. 275. & seqq. usque ad 279. deinde 281. & seqq. usque ad 287. insuper 302. 304. 305. & seqq. usque ad 358. Sed neque omnia loca, in quibus Sanctus iste Philosophus de hoc articulo loquitur, me significasse arbitror.

V. Etsi pulcherrima hæc loca pro Divinitate Verbi in D. Justino habeantur; fateri nihilominus oportet, nonnullas subobscuras phrases in ejus operibus adinveniri, quibus posset quis contra eandem hanc veritatem abuti. Primam ostendimus in hisce secundæ Apologiæ vocibus: Nos adoramus & colimus post Deum, Verbum hujus ejusdem Dei æterni & ineffabilis τὸν ἀπὸ ἀγεννήτου καὶ ἀρρήτου Θεοῦ λόγον μετὰ τὸν Θεὸν προσκυνοῦμεν καὶ ἀγαπῶμεν, quæ verba prima fronte videntur adimere Filio Dei eximiam qualitatem Consubstantialitatis cum Patre. Verum, hoc pacto interpretari nequit locus ille, nisi velimus S. Justinum contra S. Justinum loquentem inducere: constat enim ex iis quæ ex prima Apologia in medium protulimus, S. Justinum fateri, Filium Dei esse verum Deum: *Qui, quod Verbum*, ait ille, *& primogenitus Dei sit, Deus etiam est.* Tam perspicuus est textus iste, ut fieri nequeat, quin Divinitatem Verbi optime comprobatam intelligamus. Cæterum, ipse etiam textus in controversiam positus, in orthodoxo sensu potest explicari. D. Justinus expresse ibi dicit, quod Verbum Dei adoramus τὸν Θεοῦ λόγον προσκυνοῦμεν. At solum verum Deum fideles adorant, prout docet Sanctus iste Philosophus in secunda sua Apologia Θεὸν μὲν μόνον προσκυνοῦμεν. Filius Dei igitur, juxta S. Justinum, est verus Deus una cum Patre. Hinc locus ille, in quo D. Justini orthodoxam fidem tuemur, non solum non impugnat Divinitatem aut Consubstantialitatem Verbi; verum e contra validissimum præbet duobus hisce veritatibus testimonium. Hisce igitur pro certo positis, verba hæc μετὰ τὸν Θεὸν, intelligenda erunt de prioritate Personæ in æterno Patre, non vero de prioritate essentiæ aut naturæ, quæ una eademque est in Patre & Filio.

Prima difficultas ex D. Justino excerpta cōtra Divinitatem & Consubstantialitatem Verbi. Apolog. I. pag. 51. Respondetur huic objectioni. Apol. II. pag. 98.

Ibid. p. 64.

VI. Secundus habetur S. Justini textus difficilis circa idem Dogma, in suo Dialogo cum Tryphone, ubi verba faciens de divinis Apparitionibus, quarum mentio fit in Veteri Testamento, vetat credere, Deum Patrem apparuisse Abrahamo, Moysi, aliisque Patriarchis: quia, inquit ille, cum Deus Pater æternus sit, & ineffabilis, neque visibilis est, neque comprehensibilis: atque inde, infert, Verbum Dei Viris illis apparuisse: *Nam ineffabilis ille Pater*, verba sunt, vetusti hujus Patris ac Philosophi, *non venit in locum aliquem, neque deambulat, neque mobilis est; neque loco ullo, atque adeo neque mundo universo comprehensibilis ... Itaque*, concludit Ipse, *neque Abraham, neque Jacob, neque Isaac, neque hominum alius quisquam, Patrem, & ineffabilem Dominum rerum omnino universarum & ipsius Christi vidit: sed illum ipsum, qui juxta consilium ejus & voluntatem, & Deus est Filius ipsius.* Ex allato S. Justini textu concludi posse videtur, Verbum Dei esse visibile, ac per consequens non esse verum Deum sicuti est Pater; cum Pater, prout est verus Deus, invisibilis sit, atque incomprehensibilis.

Altera difficultas circa idem subjectū. Dial. pag. 356. 357.

VII. Fateri quidem oportet, hærere posse in hujusce textus intelligentia illos, qui summa labiis, ut ajunt, attingentes Dialogum, & alia S. Justini Opera, principia omnia ibi posita perfecte non calleant. Si vero nonnihil attendantur quæ docet Sanctus iste Martyr, haud difficile est ab omni se extricare difficultate, & quod initio uti alienum a recto Ecclesiæ sensu deprehendebatur, cum puriori Ecclesiæ ejusdem Doctrina conciliare. Ex Dialogo igitur cum Tryphone attente perlecto primo constat, S. Justinum tam aperte fateri Divinitatem Verbi, ut rationabiliter de illius orthodoxa fide circa hoc Dogma dubitari nequeat. 2. Momenta, quæ in hujus veritatis patrocinium ex Sacra Scriptura petit, æque pugnare etiam pro Consubstantialitate Verbi, pauloque inferius ostendemus, eum admittere in Patre ac Verbo eandem essentiam, eandemque naturam. Vides igitur Divinitatem Verbi, ejusdemque Consubstantialitatem a D. Justino assertam. His autem positis, nulla remanet in objecto testimonio difficultas, & quando etiam alio pactu interpretari textus ille non posset, sufficeret allata responsio. Aliæ autem suppetunt nobis viæ, quibus difficultatem illam exsolvemus, & sat erit propius S. Justini textum examinare. Hæc est, ut paucis rem totam absolvam, Sancti hujus Philosophi ratiocinatio. Deus Pater cum sit ineffabilis & invisibilis, dici nequit, quod Patriarchis apparuerit; dicamus ergo oportet, eximiis his viris Verbum apparuisse, interrogationes fecisse, ac dedisse responsa: ergo, hæc est illatio, S. Justinus ineffabile ac invisibile Verbum non admittebat, ac per consequens illud non fatebatur verum Deum, sicuti Pater est. Hæc autem vana sunt, nec quidquam negotii facessunt, si sensum attendamus, in quo docet Sanctus iste Philosophus Verbum apparuisse. Itaque, juxta S. Justinum, nec prout est Verbum, nec prout est Filius Dei præcise apparuit, ac locutus est, cum prout est Verbum ac Filius Dei, Deus sit non secus ac Pater, juxta nostri Auctoris principia, ideoque & ineffabilis, & invisibilis, sicuti est Pater: apparuit ergo tamquam administer voluntatis Patris: *itaque*, ait S. Justinus, *neque Abraham, neque Isaac ... Patrem vidit ... Sed illum ipsum qui & Deus est Filius ipsius, ex eo quod sententia illius est administer ... qui etiam aliquando ignis fuit, in suo cum Mose e rubo colloquio ... qui virtute prius apparuerat ut vir & Angelus, etiam in ignis gloria conspectus sit, ut in rubo.* Sub specie Angeli igitur, viri, ignis Verbum apparuit hominibus, justa S. Justinum, non prout Verbum est, quia eo pacto consideratum, invisibile est sicuti Pater, eandem habens naturam, eandemque essentiam; ac per consequens sub diversis his speciebus visibile est Verbum, & comprehensibile; quod quidem non impedit, quominus verus Deus sit, Patrique consubstantiale. Hæc reponi possunt propositæ difficultati. Eadem methodo explicandæ sunt nonnullæ phrases, quæ in aliis Vetustis Patribus occurrunt. Idipsum, ac nos, de Verbi Divinitate sentiebant; totumque discrimen nos inter & illos hac super re, in accuratiori consistit loquendi modo, quo utimur nos: prima quippe Ecclesiæ sæculis tantam in elocutionibus perspicuitatem nondum exigebant, quæ decursu temporis exortæ sunt hæreses.

Pag. 357.

Resolvitur hæc difficultas.

VIII. Antequam ad Incarnationem Verbi pergam, asserendum remanet quod S. Justinus docet de Divina ejusdem Verbi generatione: *Aliud vero etiam, o Amici*, ait Pater iste, *ex sacris litteris producam testimonium: Principio ante Creaturas omnes Deum genuisse ex se* (ἐξ ἑαυτοῦ) *quamdam virtutem rationalem; qua quidem & gloria Domini a Spiritu Sancto vocatur, nonnumquam autem Filius, aliquando Sapientia, quandoque Angelus, interdum Deus, aliquando Dominus & Verbum.* Voces istæ, Deum genuisse ex seipso, ex propria substantia (ἐξ ἑαυτοῦ) iterum S. Justini mentem manifestant circa Divinitatem & Consubstantialitatem Verbi, & in alio sensu intelligi nequit locus iste, quin eum arguamus, ac si in Deo quidquam admittat, quod non sit Deus: quod æque & Religioni, & rectæ rationi adversatur.

Generatio Divina Verbi. Dialog. p. 284.

IX. Sanctus iste Philosophus binas affert Divinæ hujus Verbi generationis familiares similitudines. *Qualem generationem*, ait ille, *in nobis quoque quodam videmus fieri modo: verbum enim aliquod proferentes, verbum gignimus; non per resectionem, ita ut, quod in nobis proferentibus est, imminuatur verbum; & quemadmodo in igne videmus alium fieri, non decrescente illo, unde facta est alterius accensio; sed in eodem statu permanente.* Si vel tantisper ratione utamur, orthodoxam S. Justini fidem circa Consubstantialitatem Verbi ex postrema

Familiares Comparationes Divinæ hujus Generationis. Ibid.

II. SÆCULUM.

strema hac similitudine dignoscemus: voces ipsæ quibus similitudo hæc exarata est, illico hanc veritatem ostendunt. Deus Pater, juxta D. Justinum, dum Filium generat, est ignis qui alium producit ignem; at ignis ab alio productus, certe est ejusdem naturæ cum illo a quo originem trahit; eadem est in utroque essentia; eædem sunt qualitates essentiales. Verbum igitur, juxta S. Justinum, est Consubstantiale Patri, qui eum generat; suntque duæ personæ in una eademque natura. Ne quis autem in animum sibi inducat, velle nos hujusmodi similitudinibus hoc explicare Mysterium: semper indubium erit, terrena hæc nullam habere adæquatam relationem ad cœlestia & divina: idipsum suadere intendit Sanctus iste Martyr, initio textus modo allati hæc habens: *Qualem generationem in nobis quoque quodam videmus fieri modo*. Igitur lato modo solummodo, & in sensu immensum a veritate ipsa remoto comparationes istæ instituuntur; & ideo adhibentur, ut facilius possit hujus naturæ veritatibus fides præberi.

X. Adhibet etiam alibi eamdem ignis comparationem, improbatque eorum opinionem, qui asserebant, virtutem divinam, de qua superius verba fecit, a Patre separari non posse, sicuti lux Solis abscindi ac separari non potest a sole, idcoque Patrem, quando vult, facere ut virtus ejus prosiliat; rursus cum vult, illam ad seipsum reflectere. Docet econtra, hanc virtutem in Patre semper manere, ac distinctam esse a Patre, non solo nomine, sed & numero, absque eo quod Patris substantia dividatur; idque probat iterum exemplo ignis, qui alium ignem accendit. Ex his igitur constat, totam differentiam, quæ ex S. Justino intercedit inter Deum Patrem, ac ejus Verbum, esse differentiam, sive distinctionem nominis, hoc est, personalitatis, & nullibi sermonem haberi de distinctione

Dial. p. 279. naturæ. Idipsum declarat cum alibi docet, Verbum differre a Deo Creatore, scilicet ab æterno Patre, cui veteres omnes hanc qualitatem tribuunt, numero solummodo, non autem idea (seu voluntate) ut vertit Dominus Abb. Fleury (a) *Alium ab eo esse, qui cuncta creavit Deo, numero dico, non idea, (seu voluntate) ἀριθμῷ λέγω, ἀλλὰ οὐ γνώμῃ.* Omnia hæc pulcherrima principia æque opponuntur dementiis ac impietatibus Sabellii, & Arii: Sabellii quidem, quia demonstratur ex his actualis Patris & Filii existentia; Arii vero quoad æqualitatem, ac identitatem naturæ in duabus hisce Divinis Personis, quam S. Justinus ibi docet. Ab his vero ad Incarnationem Verbi transilio.

§. II.

DE INCARNATIONE VERBI.

I. UT singula, quæ de Incarnatione Verbi tradit S. Justinus, ordine persequamur, a Prophetiis Veteris Testamenti, quæ Messiam respiciunt, initium sumimus. Sanctus iste Philosophus in hoc insistit in suo Dialogo cum Tryphone ita vehementer, ut videatur hoc unice Dogma ostendere sibi proposuisse in suo

Prophetiæ in Veteri Testamento de Messia. *Dial. p. 250. 251.*

Opere. Initio ostendit adversario suo, soli Jesu Christo accommodari posse Psalmistæ loca, in quibus de Messia fit mentio; sicuti in Psalmis 23. 44. 46. 71. 98. & 109. Quoad postremum hunc Psalmum, ostendit Tryphoni, errare Judæos illum intelligendo de Rege Ezechia; Princeps quippe iste nunquam æternus Dei Sacerdos fuit; solique Jesu Christo qualitatem hanc aptari posse. Explicans postremum ejusdem Psalmi versiculum: *de torrente in via bibet; propterea exaltabit caput*; ait, per hæc verba intelligere nos, Messiam humilem fore, ac deinceps exaltatum iri: *Tum autem humilem ipsum primum hominem fore, ac deinceps exaltatum iri, in fine Psalmi ostenditur: e torrente in via bibet: & simul, propterea exaltabit caput.*

II. Quod attinet ad Psalmum 71. cujus initium est: *Deus Judicium tuum regi da, &c.* tradit Sanctus Philosophus, Judæos sui ævi illum interpretari consuevis-

Ibid. p. 252. se de Rege Salomone: eos autem insipienter id contendere, ostendit 1. quia sermo ibi est de Rege æterno, non autem de mortali Principe, sicuti erat Salomon: 2. quia dici nequit, quod omnes Reges terræ eum adoraverint, quod toto terrarum orbi imperaverit, & inimici ad pedes ejus sint provoluti: *Neque enim*, ait ille, *Reges cuncti adoraverunt eum, neque usque ad fines orbis imperavit, neque inimici ad pedes ejus provoluti pulverem linxerunt.* Docet e converso, infelicem hunc Principem a propriis passionibus superatum fuisse, ejusque idololatriam hic significari: quod crimen, tantum, inquit ille, horrebant Christiani, ut potius mortem oppetere parati essent, quam illud admittere.

II. SÆCULUM.

III. De eodem Salomone, prout tradit S. Justinus, interpretabantur Judæi Psalmum 23. *Domini est terra, & plenitudo ejus, &c.* ubi Regius Psaltes vocat Messiam, Regem gloriæ: *Quis est iste Rex gloriæ?* Dominum fortem ac potentem: *Dominus fortis & potens*: & Dominum virtutum: *Dominus virtutum.* Sanctus autem Philosophus rejicit stultam interpretationem Judæorum, qui prophetiam illam de Salomone intelligebant, ostenditque, eximias modo allatas proprietates nonnisi Jesu Christo adaptari posse: *Sane quidem*, ait ille, *Dominum virtutum Salomonem non esse, sed Christum nostrum, ostensum est ... quod enim neque ab Salomone ... nusquam ... dicere ausus fuerit: Quis est iste Rex gloriæ? quilibet fatebitur*. In explicatione hujus Psalmi singularis est sensus, quem dat verbis istis: *Quis est iste Rex gloriæ?* docet enim, cœlestes spiritus Messiam videntes informem in terris habere speciem, id esse percontatos: *Quoniam namque*, ait ille, *cœlestes Principes eum in terris speciem informem, & inhonoratam, & obscuram habere viderant, non noscentes ipsum, percontabantur: Quis est iste Rex gloriæ?* & Spiritum Sanctum respondisse aut ex Patris, aut ex sua ipsius persona: *Et respondet eis Spiritus Sanctus, aut ex Patris, aut ex sua ipsius persona: Dominus virtutum, iste ipse est Rex gloriæ.* An recta sit, ac veritati consona interpretatio hæc, judicium penes Lectorem esto. *Pag. 255.*

IV. D. Justinus rejecta interpretatione Judaica horum Psalmorum, & aliorum similium, quorum verum sensum determinat, & de Jesu Christo, prout Messias est, intelligendos statuit; insigne recitat Isaiæ cap. 7. Vaticinium, ubi ait, quod Virgo concipiet & pariet Filium, cujus nomen erit Emmanuel: quod Vaticinium, ait ipse, in solo Jesu Christo completum est: *Quod quidem certe in genere juxta carnem ipsius Abrahæ, nemo unquam e Virgine natus sit, neque natus esse dictus sit, præterquam noster iste Christus, omnibus est manifestum.* Objicit utique eo loci Tryphon, 1. in textu Scripturæ non legi *ecce Virgo*, sed *ecce juvencula*: 2. completum esse hoc Vaticinium in Rege Ezechia. Ad primam autem difficultatem quod attinet S. Justinus reponit, errare Judæos dum corrumpunt hunc textum, quem Septuaginta verterunt, *ecce Virgo*, non vero, *ecce juvencula*. Deinde prosequitur refutare Judaicum hunc sensum dicens, quod Scriptura nihil magni tradidisset de Messiæ ortu, nihil extraordinarii, eum nasciturum pronuntians secundum communes naturæ leges, & a muliere ex concubitu, sicuti cæteri hominum; cum aliunde aliquid mirum vaticinari velit Propheta, ut constat ex ipso textu: *Quasi vero*, ait Pater ille, *magna quidquam rei designaretur, si mulier ex concubitu paritura esset, quod quidem juvenculæ mulieres pleræque faciunt omnes, exceptis sterilibus ... nam si non ex Virgine*, habet insuper, *iste de quo Isaias dicebat, nasciturus erat; in quem Spiritus Sanctus exclamabat: Ecce Dominus dabit signum: Ecce Virgo concipiet & pariet Filium? Si perinde, atque alii omnes primogeniti, iste quoque ex concubitu gignendus erat? Quodnam signum non cunctis primogenitis commune se facere dixit? Enim vero*, loquitur semper S. Justinus, *quod vere signum est, & humano generi credibile futurum erat; hoc est, ut ex virginali utero primogenitus creaturarum omnium, caro factus, vere puellus fieret.* Maxima ingenii ac rationum vi pollet, ut mihi videtur, hæc ratiocinatio.

pag. 261.

Objectio Tryphonis supra hunc textum Isaiæ: *Ecce Virgo concipiet.* *P. 310.*

Responsio S. Justini. *Ibid.*

V. Quoad secundam vero difficultatem, S. Justinus egregie adversus Tryphonem ostendit, textum illum de Jesu Christo unice intelligi posse, & Vaticinium ibi contentum, in solo Servatore divino completum esse. Probat id ex capite sequenti Prophetæ Isaiæ, ubi legitur, quod antequam puer sciat vocare Patrem suum, & matrem suam, auferet fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ, coram Rege Assyriorum. At vos quidem, cui id unquam apud Judæos contigerit, demonstrare neminem potestis, ait ad Tryphonem S. Justinus, nos autem in Christo nostro factum demonstrare possumus. Statim enim atque natus est, Magi ex Arabia profecti, eum adoraverunt, cum prius in ad Herodem in terra vestra tunc regnantem consulissent. Addit insuper, Herodem hunc esse illum ipsum, quem Scriptura Assyriorum Regem vocat, propter iniquum & impium ejus animum: *Quem (Herodem) Verbum Regem Assyriorum vocat, propter iniquum, & impium ejus animum.* Hujus Geneseos (b) Prophetiæ oblitus eram, quæ de Messia hæc habet: Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium, &c.

pag. 302. & 303.

Pag. 271. 272. & 273.

(a) Tom. I. Lib. 3. Hist. Ecclesiast. pag. 470. *Concordantia SS. Patrum*, Tom. I.

(b) Genes. cap. 49. vers. 10.

II. SAECULUM.

tium, &c. quod quidem Vaticinium explicat Sanctus Philosophus in omnibus suis circumstantiis de solo Jesu Christo, eademque instituit ratiocinia, quae nostrorum temporum Theologi adversus Judaeos. Haec tantum interest differentia inter Sanctum hunc Patrem, & nostrates Theologos; quod S. Justinus legebat: *Donec veniant quae reposita sunt ei: isti vero nunc legunt: Donec veniat qui mittendus est*.

Typi Salvatoris & ejus mortis. p. 359.

VI. Quaedam veluti prophetiae de Servatore sunt varia Veteris Testamenti symbola quae in Judaeos utiliter D. Justinus intorquet. Innumeris utitur ille; ego autem notabiliora afferam. Primum est de Agno paschali: *Mysterium*, ait ille, *arcanumque Agni, quem Pascha immolare Deus mandavit, & typus, & figura erat Christi, cujus sanguinem, juxta rationem nostra in illum fidei, in aedes suas, hoc est seipsos, aspergent in eum credentes*. Et paulo inferius habet, quod hic Agnus, qui totus assari praecipiebatur, supplicii Crucis, per quam Christus erat passurus, symbolum erat: idque familiari quadam congruentiae ratione ostendit.

pag. 318.

VII. Secundum symbolum est de Moyse, qui manus ad Coelum levabat quando Hebraei pugnabant adversus Amalec. (*a*) Contendit S. Justinus, typum Crucis Servatoris nostri ibi adinveniri, & in hujus signi virtute Hebraeos victoriam retulisse: *Et qui fortis erat*, inquit ille de Moyse, vel potius de populo Hebraeo, *per Crucem fortis, rem praeclare gerebat. Non enim propterea quod Moses ita orabat, populus in praelio superior erat; sed quod nomine Jesu in prima acie versante, ipse Crucis signum designabat*. Maximam inde esse dicit vim Orationum, & efficaciam, quando in similitudinem Moysis in ea circumstantia orantis, ad Deum diriguntur. *Quis enim vestrum ignorat*, ait ille ibidem, *precationem eam maxime flectere Deum, quae ad commiserationem movendam lacrymis est comparata ab eo, qui pronus decumbit, aut in genua procumbit. Ad hunc autem modum*, addit ipse de Moyse loquens, *in saxo residens, neque ipse antea oraverat, neque postea alius*: quod animadversione est dignum.

pag. 319.

VIII. Tertium symbolum est de serpente aeneo, quem elevavit Moyses in deserto, ut in eum aspicientes serpentum morsibus laesi, salutem consequerentur: postquam enim dixit, ea figura significatam fuisse Servatoris Crucem: eadem utitur ad diluendam objectionem Tryphonis ex Scripturis opponentis, maledictum esse hominem qui pendet in ligno. Reponit S. Justinus, hanc legis maledictionem eos afficere qui Christum crucifixerunt, non vero Christum Dei, per quem omnes, qui res maledictione dignas gesserunt, salvantur: Hanc Jesu Christi a maledictione exceptionem probat exemplo serpentis aenei, qui opponebatur praecepto Dei, ne qua imago aut simulacrum omnino effingeretur: Sic igitur loquitur hac super re S. Justinus: *Dicite mihi, an non Deus is erat, qui per Moysen sanxit, ne qua omnino fieret vel imago, vel similitudo? ... Atqui idem ipse in solitudine per Mosen fieri fecit serpentem aeneum, eumque pro signo statuit*. Demonstrat deinde quo pacto Deus praeceperit Moysi, ut serpentem aeneum efformaret, ac toto Israeli conspiciendum praeberet; & concludit hisce verbis: *Quemadmodum ergo Deus signum fieri per aeneum serpentem jussit, & eo nomine inculpabilis est; ita sane in lege maledictio proposita est contra eos, qui in crucem aguntur homines, non itidem vere adversus Christum, per quem omnes salvat, qui maledictione digna in se admiserunt*.

pag. 322.

IX. Quartum symbolum est funiculum coccineum, quem Rahab suspendit e fenestra domus suae ut eam cognoscerent Israelitae si quando Jericho caperent ac funditus delerent. Docet S. Justinus, funiculum hunc typum fuisse sanguinis Jesu Christi, per quem peccatores salvantur, remissionem peccatorum recipientes, & ulterius non peccantes: *Funiculi etiam coccinei symbolum ... Sanguinis & id Christi signum prae se tulit; per quem vetusti fornicatores & iniqui homines ex gentibus omnibus salvantur, remissionem peccatorum accipientes, & ulterius non peccantes*, καὶ μηκέτι ἁμαρτάνοντες. Postrema haec verba animadvertenda sunt, & evidenter comprobant in justitia christiana perseverantiam.

pag. 338.

X. Vaticinium quoddam de Servatore suo loco afferre omisi, & modo affero, cum in egregio sensu illud explicet S. Justinus. Ex Propheta Isaia (*b*) eruitur, ubi legitur: *Egredietur virga de radice Jesse ... & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae & intellectus &c.* quod quidem vaticinium ita intelligendum esse docet Sanctus ille Philosophus, non quod Jesus Christus indiguerit hisce Spiritus Sancti donis; sed solum quod virtutes illae in eo acquieturae erant; debebant scilicet in eo compleri: *Virtutes Spiritus*, inquit hic Pater, *quae recensitae sunt, Verbum non ita super eum venisse ait, quasi indigus earum fuerit, sed quod acquieturae in illo essent, hoc est, in eo finem facturae*. Quae postrema verba sic probat: *Post illum namque nullus omnino apud vos* (Judaeos) *natus est Propheta*.

II. SAECULUM.

XI. Cum in recitandis, exponendisque Vaticiniis & Symbolis Incarnationis ex S. Justini scriptis excerptis non poenitendam operam posuerimus, operae pretium est, ut nunc illa tradamus, quae docet ipse circa Incarnationem ipsam. Declarat igitur primo loco, quod de consilio & voluntate aeterni Patris, Filius Dei factus est homo, ut salvum faceret genus humanum, ac in eo statu restitueret, quem per peccatum amiserat: *Jesus Christus de consilio voluntateque ejus (Dei Patris) instaurandi & restituendi humani generis ergo, Homo factus*. Asserit, Mysterium hoc in omnibus suis circumstantiis, antequam fieret, a Prophetis praenuntiatum fuisse. In Prophetis, ait ille, legimus, quod ex Virgine nasci debebat, quod virilem aetatem attingens debebat infirmos sanare, mortuis vitam restituere, odio ac despectui haberi, crucifigi, spiritum emittere, a mortuis deinceps resurgere, ad Coelos ascendere, Filius Dei appellari, ac reipsa esse καὶ υἱὸν Θεοῦ ὄντα, καὶ κεκλημένον, & post gloriosam suam in Coelis ascensionem homines mittere, qui sanctas Evangelii sui veritates in omnem terram annuntiarent, & plures ex Gentibus, quam ex Judaeis, ad verae fidei agnitionem venturos. Omnia haec tuetur D. Justinus pluribus Prophetarum oraculis, & fusiori calamo haec pertractat, quae egregie Divinitatem nostrae Religionis comprobant. Pulcherrima haec loca in scriptis veteris hujus Patris sedulus lector videre poterit.

Absolutio Incarnationis. Apol. II. pag. 68.

Circumstantiae Incarnationis praenuntiatae a Prophetis. Ibid. p. 72. 73.

XII. Inter primarias Incarnationis Verbi veritates docet S. Justinus (quod & in Scripturis habetur), Filium Dei, non ex humano viri semine carnem propter nostram salutem induisse, sed ex virtute divina Mysterium hoc ineffabile fuisse peractum, quae virtus est ipsum Verbum, quod carnem assumpsit: *Non ex humano viri semine*, inquit Sanctus Philosophus, *sed ex virtute divina; Princeps autem virtus .... Verbum est*. Quando igitur Scriptura ait, prosequitur iste Pater, quod Virgo concipiet, hoc significat, quod concipiet singulari quodam modo, & praeter naturalem rerum ordinem: nam si cum aliquo consuevisset, non jam esset Virgo: *At enim virtus Dei Virgini superveniens, illi obumbravit, & virgo cum esset, ut foetum gravida in utero ferret, effecit*. Deinde recitatis Angeli ad Mariam verbis, *ecce concipies in utero ex Spiritu Sancto*, sicuti legit S. Justinus, contendit, hunc Spiritum, & hanc virtutem Dei esse Verbum ipsum: *Spiritum autem & virtutem, quae a Deo est, non aliud intelligere fas est, quam Verbum*. Phrases hujusmodi in rigore grammaticali acceptae, nequaquam accuratae sunt; excusatione autem donari debent, utpote primis Ecclesiae saeculis exaratae, quando tanta diligentia in locutionibus nemo utebatur, quanta opus fuit post exortas Haereses.

Quomodo Verbum caro factu fit. p. 71. 73. 74.

XIII. Animadvertit S. Justinus de Incarnatione loquens, Ethnicos Scriptores didicisse in Scripturis de hoc Mysterio loquentibus quidquid tradiderunt in fabulosis Poetarum commentis, & in fabulosa eorum Theologia. Processit inde Bellerophontis fabula, Herculis & Aesculapii: at circumstantia quaedam in Incarnatione habetur, docet iste Pater, quam nullo modo illi imitari potuerunt, & de qua nunquam claram & distinctam ideam habuerunt; estque Mysterium Crucis: *Verum nullo prorsus modo*, ait S. Justinus, *in quopiam eorum, qui dicti sunt, filiorum Jovis, Crucis supplicium sunt imitati: non enim intellectum est ab eis ... dicta omnia per symbola arcane esse prolata*. Verum utique est, Platonem, dum de Filio Dei loqueretur in suo Timeo, dixisse, quod Deus decussavit eum in universo, hoc est, quod voluit Deus ut agnosceretur ab hominibus sub figura graecae hujus litterae X. Sed S. Justinus reponit, Platonem hujus figurae significationem perspectam non habuisse, & ignorasse eam esse figuram Crucis, dum decussationem esse crederet, alteram scilicet, post principem Deum, virtutem in universo decussatam. Nemo igitur miretur, si Mysterium Crucis fuit semper Gentibus stultitia, sicuti docet Apostolus.

Gentilium Fabulae ex Mysterio Incarnationis haustae. p. 89. 90.

Mysterium Crucis gentibus ignotum. pag. 93.

XIV. Incarnationis Mysterium non minus erat Judaeis scandalum, quam esset Gentibus stultitia Mysterium Crucis. Adversarius D. Justini Tryphon idipsum ostendit dum objicit Sancto huic Philosopho, praeter Fidem esse, immo etiam stultum asserere, Deum hominem

(*a*) Exod. cap. 17. vers. 12.

(*b*) Isaiae cap. 11. vers. 1. 2. 3.

II. Sæculum.

nem factum fuisse, & natum ex Virgine sine ulla carnali copula: *Nam quod ais*, verba sunt Tryphonis ad S. Justinum, *ante sæcula Deum fuisse hunc Christum, ac deinde nasci, etiam hominem factum fuisse, & quidem non hominem ex homine, non modo admirabile, & præter fidem mihi videtur, verum etiam stultum.* Respondet Sanctus Philosophus valde, ut assolet, veritates has ideo Judæis incredibiles videri, quia cor ad cognoscendam Dei sententiam ac voluntatem obduruerunt, non inde vero inferri posse, minus de illis constare; & quando etiam, ait insuper, ostendi non possent, non minus certum esset, Jesum Christum, Deum ante omnia sæcula, nostram carnem sumpsisse in utero Virginis, & ex ea in tempore natum esse: quod notandum est in favorem divinæ Maternitatis Mariæ. Tradit nihilominus, tunc Christianos extitisse, qui Christum in Jesu agnoscentes, fateri nolebant, eum e Virgine natum esse, sed e contra qui asserebant, eum natum esse ut cæteri hominum oriuntur, hoc solummodo privilegio illum donantes, quod electus fuerat ut esset Christus. Iis autem ita sentientibus se opponit: *Quibus non assentior*, ait ille, & addit, non hisce traditionibus, humanisque Doctrinis præcepisse Jesum Christum ut credamus, sed Traditionibus solum & Doctrinis, quas Prophetæ, & Christus ipse tradiderunt: *Siquidem non humanis Traditionibus & doctrinis jussi sumus a Christo ipso credere; sed eis, quas beati Prophetæ promulgarant, & ipse Christus tradidit.* Traditiones falsas rejicere debemus, immo & contemnere, non autem veras, hoc est, illas quæ non opponuntur, aut conformes sunt sanctis veritatibus in Scriptura constabilitis. Cæterum, error, cujus meminit hic S. Justinus, est Ebionis ejusque Discipulorum, qui propugnabant, Jesum Christum natum esse aliorum hominum instar, a Josepho & Maria; & hos fortasse Hæreticos respicit eo loci D. Justinus. S. Irenæus (*a*) & Eusebius (*b*) id tradidisse dicunt omnes in genere Ebionitas: sed Dominus de Tillemont observat, quod licet communissimus esset error ille inter hos Hæreticos, nonnulli tamen fatebantur, Jesum Christum ex Virgine natum esse. Vide eruditi hujus Auctoris Tom. 2. Historiæ Ecclesiasticæ pag. 118. in articulo Ebionitarum.

Mariæ divina Maternitas. Dialog. pag. 367.

Mariæ Virginitas ibid.

XV. Narrat Sanctus Philosophus, de Nativitate Salvatoris loquens, quod cum Joseph & Maria Bethleem pervenissent, & in eo vico non haberent quo diverterent, secesserunt in specum quemdam vico proximum, & ibi Sancta Virgo enixa est Mundi Salvatorem, ad quem adorandum Magi ex Arabia venerunt: *Quia Joseph in Vico eo (Bethleem) non habuit quo diverteret, in specum quemdam vico proximum secessit, atque ibi cum essent, enixa est Maria Christum, & in præsepi posuit, ubi eum ex Arabia invenere Magi.* Duas notat hic Sanctus Justinus circumstantias, quæ ponderari debent. Prima est, Jesum Christum natum esse non in vico Bethleem, sed in quodam specu huic vico proximo. Secunda est, quod ad eum adorandum Magi ex Arabia venerunt: vocat illos etiam Arabos, ut superius vidimus. Quoad primam circumstantiam, dubitari nequit, quin res se habeat sicuti narrat S. Justinus; quia cum Palæstinam incoleret ille, poterat præ cæteris peculiarem locum ac determinatum Nativitatis Salvatoris optime noscere. Quoad secundam vero, quæ Regionem Magorum respicit, me vadem non constituo de his quæ narrat Sanctus iste Pater hac de re; quin immo credere malo cum Grisostomo (*c*) & pluribus aliis Patribus, e Persarum Regno illos venisse: postrema hæc opinio communior est.

Locus Nativitatis Domini Salvatoris. Dialog. pag. 306.

XVI. Sicuti in humilitate & abjectione vivere debebat in terris Salvator, acti Prophetarum vaticinia annuntiaverant, hinc tradit S. Justinus, quod antequam prædicandi munus susciperet, fabri artem una cum Joseph nutritio Patre suo exercuit: *Et cum Josephi Fabri filius haberetur informis videlicet, quemadmodum Scripturæ annuntiaverant, apparens, Faberque adeo & ipse putaretur esse: fabrilia namque faciebat opera, aratra & juga conficiens.* Ne unum quidem in Evangelio de hoc verbum: nihil tamen piæ huic opinioni opponitur: quin etiam probabilissimum est, voluisse Jesum Christum exemplum dare nobis vitæ laboriosæ & pœnitentis in exercitio hujus artis: *Per hæc & justitiæ docens signa*, addit Sanctus Philosophus, *& vitam non otiosam.*

Ars Salvatoris, dum inter domesticos parietes viveret. Dialog. pag. 316.

XVII. In Epistola ad Diognetum magnificum quemdam locum habemus de Incarnatione Verbi, & magnis utilitatibus, quæ ex illa Christianis proveniunt. Auctor magnam, docet ibi, fuisse Dei misericordiam erga homines, quia proprium filium inter eos locavit ut salutem consequerentur, Sanctum dedit pro iis qui legem transgressi erant, justum pro injustis, corruptionis nescium pro corruptioni obnoxiis, immortalem pro mortalibus. Addit deinde, solam justitiam & sanctitatem Filii Dei delere potuisse injustitias & iniquitates nostras: *Quid enim aliud*, ait egregie, *peccata nostra potuit tegere, quam ejus justitia? in quo alio nos iniqui & impii pro justis haberi possemus, quam in solo Dei Filio? O dulcem permutationem!* clamat, *o imperuestigabile artificium! O beneficia expectationem omnem superantia! ut iniquitas quidem multorum in justo uno absconderetur, justitia autem unius faceret ut multi injusti pro justis haberentur!* Pulcherrimum habes paucis verbis Incarnationis elogium, & conjicis inde infinita quæ nobis communicat bona.

Nobilis Idea Incarnationis, & ingentes ejus utilitates pro Christianis. Epist. ad Diogn. pag. 318.

Tradamus modo eximias, quas S. Justinus tribuit Jesu Christo proprietates. Primo ait, hunc solum proprie dici Filium Dei: *Qui solus proprie dicitur Filius.* Deinde, eum cum Patre, & ante creaturas omnes extitisse: *Simul cum illo (Patre) ante Creaturas & existens & nascens.* Insuper per hunc, Patrem condidisse universum; & Christum appellari, quia per ipsum Pater omnia disposuit & exornavit. Fatetur nihilominus Sanctus Philosophus, nomen hoc Christi habere significationem minime notam: *Quod & ipsum nomen & significationem minime notam complectens.* Ad nomen Jesus quod attinet ait, hoc esse nomen hominis, quod Salvatorem significat, & multo magis Filio Dei convenit, quia homo factus est pro eorum Salute, qui in eum credituri erant. Alibi eum vocat virtutem Patris, quam nostris verbis exprimere non valemus. Salvatoris autem proprietas, quam præ cæteris urget, est proprietas sui Sacerdotii. Superius jam notavimus, Sanctum Philosophum tradere in suo Dialogo, soli Jesu Christo aptari posse hæc verba Psalmi 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; & hac nixus auctoritate ait, Patrem constituisse Filium Pontificem sacrorum, secundum ordinem Melchisedech, etiam juramento interposito: *Juramento interposito .... Antistitem sacrorum eum Dominus, secundum ritum Melchisedech, esse renuntiavit.* Addit S. Justinus, quod sicuti Melchisedech Pontifex incircumcisorum benedixit Abrahæ antequam circumcideretur; ita Jesus Christus renuntiatus Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, benedictionem impartiri debebat & circumcisis, & incircumcisis ad eum recurrentibus.

Eximiæ Proprietates Jesu Christi. Apolog. I. pag. 45.

Pag. 49.

Sacerdotium æternum Jesu Christi. Dialog. p. 250. 251.

XIX. Hæc sunt notabiliora quæ in S. Justino perlegi circa sacram Servatoris personam: huic articulo autem finem imponam quamdam afferens Tryphonis objectionem contra primariam hanc veritatem; Jesum scilicet esse verum Christum, verum Messiam: *Ex eo autem*, inquit Judæus ille, *quod Elias non venerit, neque hunc Christum esse censeo*: S. Justinus tunc illum percontatur, An non Scriptura per Malachiam (*d*) dicat, Eliam ante magnum illum & terribilem Domini diem esse venturum? Maxime, respondet Tryphon. Si igitur Scriptura, inquit S. Justinus, confiteri cogit duplicem Christi adventum esse prædictum: alterum in quo perpessionibus obnoxius, & inglorius, & informis apparebit; alterum in quo circumfluens gloria, & omnium judex adveniet; an non id a divino verbo prædicatum intelligemus: Eliam terribilis & magni diei, idest, secundi ejus adventus præcursorem futurum? Cum annueret Tryphon, prosequitur S. Justinus ostendens ei, quod idipsum docet Jesus Christus in suo Evangelio de Elia, secundi scilicet adventus eum præcursorem futurum: cujus quidem primi adventus (verba sunt D. Justini) præco præcessit Joannes Baptista postremus vestri generis Propheta, qui ut primus Elias considerari debet, cum homines paraverit ad primum Servatoris adventum. Quapropter & Christus noster, (loquitur semper Sanctus Philosophus), cum adhuc in terris versaretur, his qui oportere asserebant, ut Elias ante Christum veniret, hæc dixit (*e*): Elias quidem venturus est, & restituet omnia: Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt ei quæcunque voluerunt: *Et scriptum est*, addit S. Justinus, *quod tunc Discipuli intellexerunt de Joanne Baptista illum dixisse.* Cum vero Tryphon sibi persuadere non posset, Spiritum propheticum Dei, qui in Elia fuerat, etiam in Joanne fuisse; veritatem hanc confirmat S. Justinus exemplo Josue, qui populi ducendi provinciam post Moysen suscepit, & in quem Deus transtulit de spiritu qui erat in Moyse.

Difficultas Tryphonis cōtra hanc veritatem quod Jesus est verus Christus. Pag. 268.

Pag. 269.

Pag. 270 271.

C A-

(*a*) Lib. 3. advers. Hæres. cap. 24.
(*b*) Lib. 6. Hist. Ecclesiast. cap. 17.
(*c*) Homil. 6. & 7. in S. Matth.

(*d*) Malach. cap. 4. vers. 5.
(*e*) Matth. cap. 17. vers. 11. 12.

II. SÆCULUM.

CAPUT QUINTUM.

DE VETERI ET NOVO FOEDERE.

I. PLura congerit S. Justinus in hoc articulo exponendo, sicuti & in præcedenti eum fecisse novimus. Objiciebat Tryphon, mirum esse, quod cum Christiani pietatem colere dicant, & cæteris præstare arbitrentur, nulla tamen in re ab eis discedant, ut qui nec ferias servent, nec Sabbata, nec circumcisionem habeant; deinde, quod sperent se aliquid boni a Deo consequuturos, non observatis ejus mandatis. Doctissime autem respondet S. Justinus quæ sequuntur: *At nunc, lege enim, o Trypho, futuram fuisse legem postremam, ut testamentum multo omnium firmissimæ auctoritatis. Idipsum testamentum, inquam, nunc servare oportet mortales omnes, quicunque ad hæreditatem Dei capessendam aspirant. Quæ namque*, prosequitur ille, *in Oreb promulgata lex est, vetus jam & vestra duntaxat est, hæc autem communis est prorsus universorum ὁ γὰρ ἐν Χωρὴβ, παλαιὸς ἤδη, καὶ ὑμῶν μόνων, ὁ δὲ πάντων ἁπλῶς. Siquidem*, addit Sanctus Philosophus, *lex adversus legem lata, antiquiorem recentior abolet, & posterius testamentum priori similiter derogat. Postrema vero & sempiterna lex nobis data, est Christus: atque item testamentum fidele, post quod testamentum, jam non lex, non præceptum, non mandatum erit ullum.*

Nova Lex veteri subrogata. Dialog. pag. 228.

II. Ostendit deinde Sanctus Philosophus inutilitatem, & nullam efficaciam Circumcisionis carnalis Judæorum, & aliarum cæremoniarum legis. Hinc docet, quod verus Israelita est spiritualis, hoc est, Christianus; quod circumcisio, Sabbati observantia & Azymorum intelligi debent spiritualiter de morum emendatione, & nostrarum animarum Sanctificatione; & præcipue, quod vera purificatio illa est, quæ in cordibus nostris fit per Sanguinem Jesu Christi, qui in hunc finem mortem subiit. Quæ enim utilitas, addit ipse, illius Baptismi, ex quo caro ac solum corpus splendescat? Baptizetur anima vestra ab iracundia & avaritia, ab invidia & odio, & ecce corpus purum est: *Hoc namque etiam est symbolum signumque panis azymi & sinceri, ut ne vetera malitiosi fermenti peragatis opera.*

Inutilitas & nulla efficacia Cæremoniarum legalium, & in quo sensu eas interpretari oporteat. Dialog. pag. 229. 230. 231.

III. Quoad circumcisionem in particulari S. Justinus expresse docet, hanc dedisse Deum Hebræis, ut discreti essent ab omnibus nationibus, & præcipue a Christianis; & non aliam esse notam, per quam a cæteris hominibus distinguantur: *Nam circumcisio*, ait ille, ... *in signum notamque data est, ut sitis ab aliis gentibus, & a nobis discreti .... non enim alia nota est, per quam præ cæteris mortalibus agnoscimini, quam ista in carne vestra circumcisio. Si namque*, ait paulo inferius, *necessaria esset (Circumcisio) sicut existimatis, non præputiatum Deus finxisset Adam; neque respexisset super munera præputium carnis habentis ac victimas offerentis Abelis, neque complacitum illi fuisset præputium Enochi, qui non inventus est propterea quod eum transtulit Deus .... Loth incircumcisus ad Sodomam salvatus est .... incircumcisus fuit Sacerdos Altissimi Melchisedech, cui etiam decimas, oblationum nomine, dedit Abraham .... Vobis ergo solis*, concludit ille, *necessaria fuit circumcisio ista; ut populus fieret non populus, & gens non gens, sicut & Oseas (a) unus duodecim Prophetarum ait.* S. Justinum autem nunquam credidisse, carnis circumcisionem operatam fuisse justificationem in eam recipientibus, evidenter constat, quia docet, Abrahamum inventum fuisse justum in oculis Domini ante circumcisionem; quam accepit, ait ille, in signum sui fœderis cum Deo, non autem ad justitiam: *Circumcisionem autem in signum, non ad justitiam accepit.* Quam veritatem comprobat exemplo mulierum, quæ hoc carebant signo: *Et quod genus muliebre*, inquit Pater iste, *circumcisionis carnalis capax non est, satis id ostendit in signum datam circumcisionem istam, & non ut justitiæ opus.*

Circumcisio non est nisi purum signum. Pag. 234. Inutilitas Circumcisionis. Pag. 236.

Pag. 241.

IV. Sabbati observationem, & Sacrificiorum, de quibus in veteri Testamento est sermo, præceptam fuisse tradit S. Justinus patrato peccato Idololatriæ in deserto, ne iterum in idem peccatum laberentur Israelitæ: *Nam sine observatione Sabbati*, ait ille, ... *justi omnes Deo complacuerunt .... ad Moysen usque, sub quo injustus, & erga Deum ingratus populus vester apparuit, vitulo in solitudine fabrefacto. Unde Deus ad populum illum se accommodans, hostias quoque offerre, tamquam nomini suo, præcepit, ut πρὸς ὄνομα αὐτοῦ; ut ne simulacra coleretis.* Perpendendæ sunt hujusmodi phrases; ex his enim eruitur, Deum, ut indulgeret Judæis, & propter duritiem cordis eorum præcepisse, ut Sabbatum custodirent, cæterasque legis cæremonias, quibus scrupulose adhærent. Hanc eandem veritatem repetit Tryphoni his verbis: *Et quod propter peccata populi vestri, & simulacrorum cultus, minime gentium autem quod istius modi oblationibus vestris os sit opus, hæc iisdem fieri sanxerit; accipite quomodo de his loquatur per Amos unum ex duodecim clamans (b): Odi, rejeci dies vestros & non olfaciam, tamquam odorem bene fragrantem in conventibus vestris.* Et id confirmat pluribus Scripturarum oraculis: ex quibus infert, in odorem suavitatis non ascendisse sacrificia Mosaica, & Deum ea non præcepisse, quasi de his sollicitus esset, aut his honorari vellet; sed illa unice præcepisse propter peccata populi sui: *Itaque sacrificia a vobis non recipit, neque primitus, tamquam penuria laborans, hæc præcepit vobis, sed propter delicta vestra.*

Causæ observationis Sabbati & Sacrificiorum veteris legis. p. 237.

II. SÆCULUM. Pag. 238.

Pag. 240.

V. In eodem sensu explicat Sanctus Philosophus præceptum a Deo factum Judæis abstinendi a quibusdam cibis: *Jam & a cibis quibusdam*, ait ille, *ut vos abstineretis, vobis mandavit, ut etiam inter edendum & bibendum, ob oculos vobis versaretur Deus promptis admodum & proclivibus ad deficiendum a notione ejus.* Addit vero inferius, Christianos præcepto huic non adstringi, nec habere illos immunda ac impura, quibus abstineant, sed omnia indiscriminatim sumere: *Omnia autem quæ dulcia sunt, & ad alendum maxime faciunt, & pulchritudine excellunt, marina juxta & terrestria expetimus & sumimus.* Ne quis ex hisce intemperantiæ notam primis Christianis inurat: crasse enim ignoraret ille fidelium qui primis Ecclesiæ sæculis floruerunt mores, qui perenni pœnitentiæ, ac sensuum mortificationi studebant. Inferius S. Justinum ostendemus docentem, Christianos sui ævi in quibusdam circumstantiis totos fuisse in propriis corporibus per jejunia & abstinentias affligendis.

Ratio prohibitionis aliquorum ciborum factæ Hebræis. Pag. 237.

Cum Christianis dispensatum hac super re. Ibid.

VI. Sanctus iste Pater ut Judæis vanitatem superstitiosi eorum cultus ostendat, & ad Christianam Religionem amplectendam eos moveat, sic loquitur: Vos legem Dei contumelia affecistis, ac novum illius sanctum testamentum flocci fecistis, ac ne nunc quidem recipitis, nec prave factorum pœnitentiam agitis. Adhuc enim aures vestræ obturatæ sunt, & oculi vestri obcæcati, & incrassatum est cor vestrum. Exclamat Jeremias, ac ne sic quidem auditis: *Præsto adest Legislator, & non videtis; pauperes latum suscipiunt Evangelii nuncium; cæci cernunt, & non sapitis. Altera jam opus est circumcisione; & vos in carne multum superbitis. Perpetuum vos servare sabbatum vult lex nova; & cum unum in otio transegeritis diem, religiosos vos defunctos arbitramini, non facti intelligentes, quamobrem id vobis imperatum sit?* Quot Christianis idipsum exprobrare hodie possemus, qui haud sine culpa ignorant quæ necessario peragere quisque debeat ut vere Dominicos dies sanctificet, ac festivitates ab Ecclesia præceptas! *Non in hisce consistit*, prosequitur S. Justinus, *beneplacitum Dei nostri. Si quis in vobis est perjurus, aut fraudator, peccare desinat. Si quis fornicator, pœnitentiam agat, & vera itaque Dei Sabbata peregerit.* Vos, ait insuper S. Justinus, omnia carnali modo intelligitis, ac pietatem putatis esse, si, dum hæc facitis, dolo animi vestri, & omni prorsus nequitia cumulati sint .... Verum igitur Dei jejunium discite, quemadmodum ait Isaias, ut Deo placeatis. Et infra habet: *Carnem circumcisi circumcisione nostra spirituali indigetis; nos vero hanc habentes, nihil vestra illa opus habemus.*

Deploranda conditio Hebræorum ante Incarnationem. pag. 229.

Vera Sanctificatio Sabbati. Ibid.

Vanitas Cultus Hebræorum. Pag. 239.

pag. 232.

VII. Quoniam Circumcisionis articulum iterum prælibavimus, quid sentiret S. Justinus de spirituali Christianorum circumcisione modo ostendere aggredimur. Docet primo, nos per misericordiam Dei in Baptismo circumcisionem accipere: *Eam vero (circumcisionem) nos per Baptismum .... propter misericordiam ipsius Dei accepimus.* Clamat deinde: *O nos ergo beatos, qui per cultros lapideos, secunda sumus circumcisi circumcisione!* *Vestra namque*, addit ille, ad Hebræos sermonem convertens, *prima per ferrum & facta est, & etiamnum fit, duri corde enim esse perseveratis. At nostra circumcisio, quæ numero secunda, post vestram in medium est producta per lapides acutos, hoc est per verba ipsorum Apostolorum* (Jesu Christi) *summi angularis lapidis, & absque manibus abscissi, nos circumcidit ab idolorum Cultu, & a vitiositate omni; quorum corda ita sunt circumcisa, ut & lati mortem oppetamus, propter nomen pulchræ Petræ.* Pulchrius elogium pro Christiana Circumcisione efformari nequit, & inde edíscimus, per optime S. Justinum superius dixisse: *Nos vero hanc habentes, nihil vestra illa opus habemus.*

Circumcisio spiritualis Christianorum. Pag. 261. pag. 341. & 342.

Pag. 532.

VIII. Etsi tam acriter damnaret S. Justinus superstitiosum Hebræorum cultum; non desperabat tamen de eorum

(a) Oseæ cap. 1. vers. 9.

(b) Amos cap. 5. vers. 21.

II. Saeculum.

eorum salute, qui facultatem petebant observandi nonnullas veteris legis cæremonias una cum lege Jesu Christi. Ab omni erroris labe in hoc articulo purgari potest S. Justinus propriis suis verbis: habet enim ad Tryphonem: *Ut mihi quidem videtur*, si quis, ut tu dicis, irreprehensibilis cum sit in Jesu Christi fide, & in præceptis ejus observandis, & inutilitatem veteris legis fateatur, peroptet nihilominus nonnullas observare ejus cæremonias, *ut mihi quidem videtur, salvatum eatem iri ajo; si alios* mortales ..... *omni studio in sententiam suam adducere annisus non fuerit, non servatum eos iri affirmans, nisi eadem secum observaverint*. Obstupescens Trypho, S. Justinum dixisse, *Ut mihi quidem videtur*, eum illico interrogat, an aliqui Christiani negent, tales salvos futuros? Sunt, inquit S. Justinus; quique cum eis nec sermonis, nec hospitii communione conjungi audeant: Quos ego, ait ille, *non collaudo*. E contra, si ob animi infirmitatem, quæcunque nunc possunt ex iis, quæ a Mose propter duritiem cordis populi instituta novimus ..... cum spe in hunc Christum .... conjungere voluerint .... modo cum christianis & fidelibus vivere non recusent, nec iis, ut jam dixi, suadeant, ut similiter & ipsi circumcidantur, aut Sabbata, & alia ejusmodi custodiant; *Ut fratres, eorumdemque viscerum homines, admittendos esse censuerim*. Minus a veritate alienum videbitur quod tradit hic S. Justinus, ut animadvertit Dominus de Tillemont (*a*), si consideremus, hic sermonem non haberi de illis veteris Legis Cæremoniis, quæ præ cæteris opponebantur Christianæ Religioni; sicuti erant Sacrificia, & ea omnia, quæ Hierosolymis solummodo observari poterant. Cæterum apparet, ex seipso & ex propria voluntate idipsum definiendum non suscipere; e contra, ne directe Tryphoni de hoc interroganti respondeat, varia adhibet effugia, de aliis rebus longam disputationem instituit, & consulto satagit responsionem vitare; unde cogitur Trypho eamdem difficultatem urgere, concedens quod Deus hæc omnia præceperat propter duritiem Judæorum, & quod pro salute inutilia hæc erant. Quid aliud, respondere poterat S. Justinus, si tunc temporis Ecclesia Cæremoniarum legalium usum nondum prohibuerat? Recordari enim debemus (loquitur semper Dominus de Tillemont), Sulpitium Severum in sua Historia (*b*) narrare, quod temporibus secundæ Hebræorum destructionis quæ contigit sub finem imperii Hadriani, & viginti circiter annis ante Dialogum istum, in Ecclesia Hierosolymitana non solum nullus aderat Sacerdos, qui ex Circumcisione non esset .... sed omnes fere ejus fideles una cum Jesu Christi Evangelio veterem legem observabant. His in circumstantiis quid aliud poterat S. Justinus, nisi Legis inutilitatem illis significare, eos cogere ut eamdem inutilitatem faterentur, spondens nihilominus Ecclesiæ indulgentiam erga eorum imbecillitatem, modo agnoscerent hanc esse Charitatis tollerantiam, non genuinam ejus mentem, & modo illos qui secus agerent non damnarent. Si aliam ingressus esset viam S. Justinus, Judæi objicere illi potuissent praxim Ecclesiæ Hierosolymorum, de qua testis oculatus fortasse fuerat idem sanctus Philosophus. Difficillimum sane erat magis moderate loqui hac super re, quæ invidiam creare incipiebat in Ecclesia, licet viginti annis ante illud tempus non tam rigorose id prohiberetur.

Ejusmodi judicium ferret S. Justinus de Christianis sui ævi judaizantibus. pag. 263.

pag. 266.

IX. Demonstrata vanitate cæremoniarum veteris Legis, S. Justinus ostendit Judæis, quod Christiani non ex libertatis libidine eas omiserunt, sed unice quia persuasum habebant, illas Hebræis præceptas fuisse in remedium eorum relapsuum, & ob cordium eorum duritiem. Nos observaremus, inquit ille, hanc quoque carnis Circumcisionem, & Sabbata, & ferias omnes omnino, nisi cognitum nobis esset, quam ob caussam hæc vobis ipsis indicta sint, id est, propter iniquitates vestras, & cordis duritiem. Et ne aliquod dubium hac super re Tryphoni remaneret: *O Trypho*, clamat hic Sanctus Justinus, *hoc ipsum est consternatione animi dignum, quod talia perferentes, non etiam alia omnia, de quibus præsens est percunctatio, servemus .... Si namque*, ait ille aliquando superius, *universa quæ ab hominibus, vel a dæmonibus malis in nos exerceri curantur, usque ad infanda quoque mortis & suppliciorum patienter toleramus, votis, precibusque eis optantes, qui ad hunc modum erga nos sunt animati, ut misericordiam consequantur .... quidni etiam ea quæ nobis nihil obessent, circumcisionem, inquam, carnis, & Sabbata & solemnes dies servaremus?* Concludit sane hoc Sancti Philosophi ratiocinium, & nisi dicamus, Judæos rectæ rationis usum amisisse, neutiquam poterant traducere Christianos veluti Religionis contemptores.

Quare Christiani non observent cæremonias Legis. Dialog. pag. 235.

X. Quia vero Trypho objiciebat D. Justino, quod multi habebantur Christiani, qui simulacris immolata manducabant, seque nihil ex ea re lædi dictabant; respondet Sanctus Philosophus, istos non esse veros Christianos, licet se veros Christianos esse profiteantur, & externe quæ Religionis Catholicæ sunt exerceri studeant. E contra eos vocat rapaces lupos sub ovina pelle, pseudo Prophetas, Antichristos, pseudo Apostolos, & seductores; tales, uno verbo, *Cum quibus nihil nobis communionis est, Atheos atque a Deo alienos, & impios & iniquos ipsos esse scientibus. Et sunt eorum quidam*, addit Sanctus Philosophus, *qui vocantur Marcionitæ, quidam vero Valentiniani, Basilidiani, Saturniani, & alii alio pradite nomine, a principe sententiæ quisque nomen obtinens*. Ex his igitur eruitur 1. Christianos qui primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, horruisse immolata simulacris, & Hæreticos tantum ausos fuisse illis vesci. 2. quemlibet Hæreticum peculiare suum nomen habuisse ab Auctore suæ sectæ; quo a Catholicis secernebatur.

Veteres Fideles se abstinebant ab immolatis. Hæretici autem sine scrupulo iis participabant. pag. 253.

XI. Asserri hoc loco etiam id potest, quod tradit S. Justinus de vocatione Christianorum. Docet igitur, quod eadem vox quæ vocavit Abrahamum ut exiret de terra sua, vocat etiam Christianos, ac a reliquis gentibus separat; ut vero Deo obsequium ac famulatum præstent, & cœlestem hæreditatem, Sancto huic Patriarchæ promissam, consequantur. Deus, inquit Sanctus iste Philosophus, nos per illam vocem vocavit, qua olim vocaverat Abrahamum; jamque exivimus ab illo vitæ genere, in quo prave secundum communem cæterorum terræ incolarum morem versabamur: & cum Abrahamo sanctæ terræ hæredes erimus, hæreditatem in infinitum ævum cernentes, quippe cum Filii Abrahæ propter similem fidem simus. Quemadmodum enim ille voci Dei credidit, & reputatum est ei ad justitiam; Ita nos postquam voci Dei credimus, ad mortem usque omnibus rebus, quæ in mundo sunt, renuntiavimus: Hinc Sanctus Philosophus asserere non dubitat cum Apostolo, quod Christiani sunt veri Israelitæ, & genus Abrahæ, Isaaci, & Jacobi, ac ad agnitionem veri Dei per Jesum Christum crucifixum perducti: *Nos enim verum & spirituale Israeliticum, ipsius Jacobi, & Isaaci, & Abrahæ .... genus sumus, per crucifixum Christum ad Deum producti*: Hæc animadversione mihi digna visa sunt circa vetus & novum fœdus, sicuti & duo alia loca, in quorum primo S. Justinus inquit, Liam fuisse typum Synagogæ, Rachelem vero Ecclesiæ: *Sed enim Lia populus vester est, & Synagoga; Rachel, Ecclesia nostra*. Docet in secundo, duo haberi semina Judæ, & duas Jacobi domos, quarum una progignitur & carne & sanguine; altera vero ex fide & spiritu: *Nos oportet*, ait ille, *duo semina Juda & duo genera intelligere, sicuti duas domos Jacobi, alteram ex sanguine & carne, alteram ex fide & spiritu prognatam*. Ex hisce differentia inter duo fœdera probe innotescit. At ad alia progrediamur.

Vocatio Christianorum, & eorum fidelitas huic vocationi annuendo. pag. 147.

Christiani, Israelitæ veri. p. 228. 229.

Differentia inter duo fœdera. p. 364. & 366.

CAPUT SEXTUM.

De Baptismo et Eucharistia.

§. I.

Baptismus.

I. NOtabilia sunt quæ tradit S. Justinus in operibus suis de duobus his Sacramentis novæ Legis. De primo in longiori sua Apologia scribit quæ sequuntur: Vestrum interim est, (cum iis loquitur, ad quos Apologiam hanc mittit) ostendere, quomodo nos per Jesum Christum renovati, Deo sacri non simus .... *Quicunque persuasi fuerint, & crediderint, vera esse, quæ a nobis traduntur & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint; orare jejunantes, & petere a Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis una & orantibus & jejunantibus*. Hasce dispositiones præmittere tenebantur qui Baptismum petebant: ab iis enim repetebatur primo fidei sinceritas, *Quicunque persuasi fuerint & crediderint*: Secundo perseverandi propositum; *ac vivere se ita posse receperint*; & eodem tempore orationibus ac jejuniis vacabant, ad obtinendam a Deo peccatorum remissionem. Hæc omnia peragi non poterant; quin longum insumeretur tempus, & variæ intercederent probationes.

Dispositiones, quas olim Baptismo præmittebantur. Apolog. II. Pag. 93.

(*a*) Tom. II. Histor. Eccles. pag. 427. & 428.

(*b*) Lib. 2. pag. 243.

II. Seculum. Ab errore excusari hic non potest Athenagoras. In ejus patrocinium hoc unum dici potest, hujus paradoxi primum auctorem eum non esse, & alios Patres ante ipsum id tradidisse, sicuti superius vidimus. Ad hoc autem attendere debemus, quod contendit errorem hunc Scripturarum auctoritate firmari posse: neque vero, inquit ille, hic commiscemus quicquam; sed ea quæ tradiderunt Prophetæ exponimus. Nullibi autem Scriptura id astruere videtur, si ut alibi etiam dixi, illud Geneseos excipias in quo fit mentio de impuro concubitu filiorum Dei cum filiabus hominum & de Gigantum origine; & Athenagoras locum hunc præ oculis habuisse videtur, cum in sequentibus tradat, ex hoc concubitu Angelorum cum Virginibus prodiisse Gigantes: *ἐκ μὲν ἂν τῶν περὶ τὰς παρθένους ἐχόντων οἱ ... ἐγεννήθησαν γίγαντες*. Sed iterum fatendum est, Patres istos male interpretatos esse hunc Geneseos textum, quem ita non essent interpretati, si ad spiritualem respexissent Angelorum naturam, quæ hujusmodi conjunctionum essentialiter expers est. Athenagoras loquens de his malis Angelis dicit etiam, quod hujusmodi Angeli de cœlo lapsi, jam supra cœlum evehi non possunt, sed circa aerem & terram versantur, & quod Gigantum animæ, de quibus locuti sumus, sunt dæmones circa mundum errabundi, qui hominum adorationes suscipiunt sub nomine profanarum divinitatum, quas colunt Ethnici: ex quo occasionem sumit ostendendæ vanitatis & dementiæ cultus erga falsos Deos Ethnicorum.

Quid evaserint mali Angeli post lapsum. pag. 28.

§. VI.

Resurrectio Mortuorum.

I. Quæ docuit Athenagoras animadversione digna in sua Apologia circa Dogma, huc usque allata sunt. Modo ejus Tractatum exponendum sumimus, in quo de Mortuorum Resurrectione unice loquitur. Ostendit primo loco, quod etsi impossibilis videri possit incredulis veritas hæc; Deo nihilominus possibilis est; quia (egregiam hanc affert rationem) æque impossibile est corpora condere, ac corpora suscitare: *Si enim*, inquit Pater ille, *hominum corpora, tum non essent, condidit, eorumque principia, unde originem trahunt, procreavit; etiam quomodocunque dissoluta, cum eadem facilitate instaurabit; id enim illi æque possibile est*. Sicuti igitur opponi poterat, incredibile esse, multa hominum corpora, quæ in naufragiis & fluminibus misere periere, & esca piscibus facta sunt; aut in bello obiere, aut ob aliam tristiorem aliquam caussam & calamitatem supremis muneribus caruerunt, quorum corporum membra in plurimas bellus dilaniata, & eorum corporibus per nutritionem coagmentata sunt &c. posse invicem iterum uniri; apte respondet ipse: *Istiusmodi homines videntur mihi, primum conditoris, & gubernatoris omnium non satis scire nec potentiam, nec sapientiam*. Deinde rationibus ex physica petitis difficultatem hanc diluit. Quoniam vero hæc Theologi attentionem non promerentur, hinc lectorem, qui id scire cupit, ad Athenagoram remitto.

Possibilitas Resurrectionis Mortuorum. Tract. de Resurrect. Mort. pag. 42. 43.

pag. 45. 46. 47. & 48.

II. Alia objectio adversus possibilitatem Resurrectionis Mortuorum est, quod parum credibile, & parum verisimile est, opera hominum contrita, aut diu labefactata, aut alia ratione corrupta, renovari posse. Cui difficultati validissime respondet Athenagoras, dicens insuper, quod qui id suspicantur, contumeliosi sunt in Deum, eumque indigne offendunt, dum illum cum hominibus comparant, & nihil discriminis ponunt inter extremam hominum imbecillitatem, & infinitam Dei potentiam: *Neque secum reputant*, inquit iste Philosophus, *quod per hæc pessime in Deum contumeliosi sunt, dum inter se comparant viros undequaque distantes*. Tandem possibilitatem Resurrectionis probat ea conformitate hujus veritatis cum voluntate Dei: Quod in Dei voluntatem non cadit, inquit ille, vel ideo non cadit quod injustum sit, vel quod indignum: sed Resurrectio corporum nec injusta est in seipsa, nec Deo indigna: ergo Resurrectio ista conformis est voluntati Dei, & per consequens ut possibilis ad minus debet admitti.

Sequitur idem argumentum. pag. 47. 48. 49.

pag. 49. 50.

III. Demonstrata Resurrectionis possibilitate incredulis, ejusdem Resurrectionis veritatem validissimis momentis probat. Contendit itaque, Deum condidisse hominem pro felicitate ipsius hominis, ac vitam illi impertitum esse, ut in hac vita homo perseveraret: & hoc egregiis rationibus probat, ac paritatibus, quæ familiares omnino sunt. Homo autem perseverare nequit in hac a Deo accepta vita, si corpora non resurgant post eorum ab anima separationem; quippe homo duabus constat substantiis, quæ æque essentialiter requiruntur ad ejus constitutionem, anima scilicet & corpore: necesse est ergo ut corpora aliquando resurgant. Paucis redacta hic habes quæ Athenagoras longa oratione prosequitur. *Si ergo* concludit ipse ad calcem hujus ratiocinationis, *universitatis opifex hominem fecit ... ut permaneret, certe creationis caussa confirmat credibilemque facit æternam perdurabilitatem; perdurabilitas vero Resurrectionem, sine qua homo perdurare nequiverit*.

Veritas Resurrectionis demonstrata. pag. 51. 52. 53. 54.

II. Seculum. pag. 54.

IV. Docet secundo loco, quod cum Deus sit ipsa justitia, reddere debet unicuique secundum opera sua: sed corpus particeps est bonorum vel malorum operum hominis: ergo Deus ex justitia vel præmio vel pœna corpus afficere tenetur; quod sane Resurrectionem supponit. Quod Deus reddere debeat unicuique secundum opera sua, veritas est quæ in dubium revocari nequit, & quam nihilominus Athenagoras vehementer urget, illud præcipue ob oculos adversariorum ponens, quod si oppositum admitteretur, brutis inferiores essemus, immo & infeliciores: *Si enim*, inquit ille, *nulla usquam de hominum facinoribus censura, nihil supra bruta possidebunt homines: quinimmo iis ipsis infelicius agent, qui affectus suos in servitutem redigunt, & pietatem, justitiam, aliasque virtutes curæ habent. Pecuina vero vita & feralis, optima censenda est, virtus e diverso stolida res, judicii mina ingens ridiculum, voluptatem colere, summum bonum*. Quod corpus autem, non secus ac anima, particeps esse debeat bonarum vel malarum hominis operationum, & per consequens præmiorum, vel pœnarum, æque verum est, & Athenagoras id tam clare ostendit, ut rationabiliter dubitare nemo possit. Demonstrat enim, quod anima sequitur corporis motus, & ad dispositionibus machinæ, seu ex corporis stimulis operatur, quod anima in se ipsa accepta, & a corpore sejuncta, non habet ex natura sua vitia illa, in quæ ut corpori complaceat, prolabitur, sicuti sunt luxuria, ira, avaritia &c. Oportet ergo ut corpus & præmii & pœnæ particeps sit una cum anima; absurdum enim esset, & divinæ obstaret justitiæ, quod soli animæ pœnæ ac præmia posita essent pro iis actionibus, quæ æque, immo potiori jure corpori adscribi debent, cum anima corporis motus & cupiditates sequatur.

Sequitur idem argumentum. pag. 55. & seqq. usq. ad 65.

V. Si igitur & ratione & Dei justitia comprobatur, quod corpori, æque ac animæ, pœnæ ac præmia sunt posita, Corporum Resurrectio necessario inde infertur; cum sæpe in præsenti vita videamus impios & scelestos homines, qui nullam reportantes suarum iniquitatum pœnam, omnibus fruuntur bonis, ac deliciis; & sanctos ac justos viros e contra qui in omni afflictionis genere vitam absumunt: *Non enim boni in præsenti vita præmia virtutis referunt, neque item mali pœnas scelerum*: & post pauca: *Cum multos videamus impios, & omnis iniquitatis studiosos, usque ad mortem malorum expertes existere: eos vero, qui omni virtute spectati sunt, in ferendis doloribus, vexationibus, calumniis, contumeliis, ac omni genere afflictionis vitam absumere*.

pag. 62.

VI. Tertio tandem vetustus hic Pater veritatem Resurrectionis probat ex fine hominis. Ostendit principio, finem hunc absolute differre debere a fine brutorum, cum ab eorum natura differat essentialiter natura hominis: *Necessum est omnino*, inquit ille, *hominum finem, ut peculiaris naturæ, excipi ab aliorum (animalium) communione*. Sed finis hominis consistere nequit in sola corporalium pœnarum exemptione: *Id enim pariter invenias in sensu carentibus*. Nec consistit in solis animæ voluptatibus, cum finis hominis non sit solummodo finis animæ, sed finis compositi illius, quod anima constat & corpore. Ergo in felicitate, quæ corpus simul & animam afficiat, hominis finis consistit. His positis necessario sequitur, quod hominum corpora resurgere debent, cum homo in præsenti vita ad perfectum hunc finem pervenire nequeat, & ejus corpus innumeris subjaceat incommodis, morbis, & etiam morti: post præsentem igitur vitam ad perfectum suum finem perveniat homo oportet; ergo necessario hominum corpora resurgent; *Quod si ejus, quod utrumque simul est, nimirum compositi ex anima & corpore, finis statuendus est, neque illum, dum in hac vita degit, reperire queat ..... omnino necesse est mortuorum aut penitus dissolutorum corporum resurrectionem fieri, eosdemque homines rursus constitui ... Eosdem autem homines rursus constitui impossibile est*, addit ipse paucis interjectis, *nisi eadem corpora animabus reddantur. Ut autem idem corpus eamdem animam recipiat τὸ δὲ αὐτὸ σῶμα τὴν αὐτὴν ψυχὴν ἀπολαβεῖν, aliter fieri non potest, quam per resurrectionem*. Constat ex postremis allatis his verbis, prout habentur in textu originali, quod in nostra propria carne resurgemus.

Sequitur idem argumentum. pag. 67.

pag. 68.

II. SÆCULUM.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

§. I.

MORALIS CHRISTIANA.

EX omnibus circa Mores veritatibus, quas in Athenagora legi, sequentes seligere optimum duxi. Prima habet pro objecto discrimen quod intercedit inter Christianam Moralem, & vanam Ethnicorum Philosophiam. *Apud nos vero*, inquit Athenagoras, *homines etiam privati, quique in manupretio vivitant, & aniculæ, si nullam, dicendo, professionis suæ utilitatem exhibere queant, rebus ipsis & operibus eam declarant: neque enim orationes compositas recitant, aut annumerant verba; sed actiones honestas, & virtutum exempla de se prabent: dum percussi non repercutiunt .... petentibus largiuntur, proximos quoque, tanquam seipsos amant ... Non enim*, addit ipse, *in meditatione sermonis & structura verborum, sed in rebus opere declarandis, tanquam doctrina viva, professio nostra posita est*. Eximia hæc effata ab omnium fere hominum memoria hodie recesserunt, & absque ulla temeritatis nota de præsenti nostro sæculo sequens efformare possumus judicium: quod in perbelle scribendo, quam in recte agendo magis solliciti sunt homines. Paucis tenas germanum nostri hujus sæculi characterem.

Excellentia Moralis Christianæ præ Philosophia Ethnicorum. Apolog. Pag. 12.

pag. 37.

§. II.

INCREDULITAS.

IN Tractatu de Resurrectione Mortuorum excellens quædam continetur regula ad decernendum, quandonam incredulitas legitima sit, & quando non: Pius noster Philosophus tradit hac super re, quod tunc solum incredulitas locum habere potest, & est legitima ac recta, quando id, cui fides denegatur, aut de quo ambigitur, reipsa incredibile est aut dubium: excusari autem nequit incredulitas, quæ levibus innititur momentis: *Siquidem omnis credendi difficultas*, ait ille, *non temere ex futili, nullinsque judicii opinione nascitur, sed ex valida causa, & verisimilitudine plurimum munita. Tum enim incredulitas rationem justam habet, cum ipsa res, de qua non creditur, quiddam incredibile continet. Nam rebus*, addit insuper Athenagoras, *quæ dubitandi caussam non habent, non credere, eorum hominum est, qui sano judicio in disceptanda veritate minime utuntur*. Si vigeret gravissima hæc regula, incredulorum numerus minor esset.

Quando Incredulitas legitima sit, & quando non. Tract. de Resurrect. pag. 41.

§. III.

PATIENTIA.

UT autem ad Athenagoræ Apologiam redeamus, exemplo sunt quæ narrat ipse de veterum fidelium patientia, & a rebus hujus mundi alienatione. *Non solum enim*, inquit, *si vapulamus, regerendis verberibus abstinere, & eis qui nos utraque invadunt aut diripiunt, item nullam intentare didicimus; sed insuper illis, quamvis colaphum inflixerint, alteram capitis partem præbere, his vero, si tunicam abstulerint, pallium etiam addere*. Pulcherrimæ hæ veritates nobis innotescunt, has a teneris unguiculis Majores nostri nos docuerunt, & quotidie in sacro Evangelio eas legimus; immo videmur ex his commoveri, aliisque ardenti zelo easdem prædicare: nos autem in praxi illas non sequimur, & heu! nimium verum est, quod mores nostri fidem nostram abnegant.

Christianorum Patientia, & animus a mundo distractus. Apolog. Pag. 2.

§. IV.

FIDUCIA ET CONSTANTIA.

TEstimonium aliud eximium & utile reddit Christianis sui ævi Athenagoras in his quæ scribit de eorum fiducia & constantia. Non veretur declarare aperte Imperatoribus Christiani nominis persecutoribus, quod si convicti fuerint Christiani de minimo crimine, ad crudeliora subeunda supplicia parati sunt, *Quod si quis, vel parvi, vel magni alicujus criminis nos convicerit, non deprecamur supplicium, sed vel crudelissimum illud tolerare parati sumus*. Sin autem, addit ille, in solo nomine hæret accusatio, vestrum jam fuerit, maximi, & humanissimi & litteratissimi Reges, injuriam a nobis lege propulsare: usque modo enim incertus tantummodo populi rumor adversum nos fertur: *Neque Christianorum quisquam ullius criminis convictus est .... Nullus enim Christianus malus est, nisi hanc professionem simularit, οὐδεὶς γὰρ Χριστιανὸς πονηρὸς, εἰ μὴ ὑποκρίνεται τὸν λόγον ....* Vestrum jam fuerit de moribus nostris, de doctrina, de nostro in vos ac domum vestram & imperium studio & obsequio inquirere, ac nobis tandem aliquando non amplius juris, quam inimicis nostris concedere: *Amplius enim nihil petimus .... Vincemus enim procul dubio illos, qui pro veritate vitam etiam effundere parati sumus*. Oh sanctam audaciam! quæ erat naturalis sermo sanctitatis & innocentiæ Majorum nostrorum. Minus autem convenit eorum filiis eadem loqui, quippe nihil habent quod Christianos deceat, præter speciem & nomen.

Fiducia, & Constantia veterum Christianorum. Pag. 3.

II. SÆCULUM. Pag. 4.

Pag. 5.

§. V.

PURITAS.

I. UT refutet Athenagoras calumniam de incestibus, & abominandis impudicitiis, quas majoribus nostris tribuebant Ethnici, ob eorum oculos ponere studet quidquid ei compertum erat de puritate ac castitate fidelium. *Nos certe*, sit ille primo, *tantum a promiscua ista Venere absumus, ut ne intuitus quidem nobis lascivior, aut libidini conjunctus permittatur .... Quomodo igitur non castos aut pudicos suspicetur aliquis illos, quibus in alium usum oculos suos vertere nefas est, quam in quem a Deo conditi sunt, hoc est, ut corpori luceant, & quibus lascivum intueri, adulterii instar est*. Dicit deinde Athenagoras, quod ipsi pro ætate alios agnoscebant ut filios & filias, alios habebant ut fratres & sorores, ac seniores patrum ac matrum loco colebant. Quos tales appellamus, addit ipse, maxime nobis curæ est, ut intaminata, & incorrupta eorum corpora permaneant. Summa ergo cautione osculum adhibemus, utpote Religionis actum: *Quæ (fateor sane) si vel parum impura cogitatione inquinatum fuerit, a vita æterna nos alienat*. Cum ergo spem habeamus æternæ vitæ, quæ in hac vita versantur, usque ad ipsius animi oblectationes contemnimus. Unusquisque nostram uxorem suam quam secundum leges a vobis positas duxit, uxorem existimat usque ad liberorum procreationem. Quemadmodum enim Agricola jactis in terram seminibus messem expectat, nec alia super injicit; sic nobis cupiditatis modus, procreatio liberorum. *Invenies autem multos ex nostris in utroque sexu, qui in cælibatu consenescant, quod eo hoc fiunt Deo conjunctiores se futuros sperent*.

Eorum Puritas & Castitas. pag. 36.

pag. 37.

Cælibatus Veterum Fidelium. ibid.

II. Condemnat autem Athenagoras secundas nuptias, easque veluti honestum adulterium traducit: *Secunda enim (nuptiæ) decorum quoddam adulterium sunt*. Hic autem vehementer allucinatus est vetustus ille Scriptor, & excusari nequit, sicuti neque cum paulo ante docuit, quod unica ratio, ob quam uxorem ducunt Christiani est, ut liberos habeant; aliæ enim legitimæ caussæ matrimonii ineundi, & uxoris cognoscendæ intercedere possunt. Sanctus ipse Apostolus Paulus id permittit propter fornicationem, docetque insuper, quod mulier non habet sui corporis potestatem, sed vir; sicuti nec vir sui corporis potestatem habet, sed mulier: quod non debent fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi; & quod iterum revertantur in idipsum, ne tentet illos Satanas propter eorum incontinentiam (a). Hæc omnia autem minime conciliari possunt cum rigore Athenagoræ circa Matrimonium, & quomodo salvari possit alia hæc ejusdem Patris phrasis ignorare me fateor: *Nobis concupiscentiæ modus, liberorum procreatione definitur ἡμῖν μέτρον ἐπιθυμίας, ἡ παιδοποιΐα*, sicuti nec verba hæc, quæ supra retuli: quod Christianus conjux imitatur agricolam, qui jactis in terram seminibus in multa patientia expectat tempus messis. Omnia hæc Encratitarum errorem aliquantulum sapiunt. Hinc laticus Interpres in suis annotationibus ait, fieri potuisse, quod Tatianus, aut alii Encratitæ in Athenagoræ Apologia verba hæc inseruerint. Non video autem quomodo conjectura hæc subsistere possit, tum quia verba illa cum præmissis perfecte uniantur, tum quia mirum non est, Athenagoram id docuisse, præcipue cum ad Ethnicos verba faciat, qui vehementer deferebant rumoribus ac calumniis, quæ adversus Christianorum puritatem seminabantur.

§. VI.

(a) I. ad Corinth. cap. 7. vers. 2. 4. 5.

II. SÆCULUM.

§. VI.

MANSUETUDO CHRISTIANORUM.

CAlumnia epulationis carnium humanarum occasionem præbet Athenagoræ ostendendi moderationem, & mansuetudinem veterum Christianorum. Afferam modo notabiliora hujus Auctoris in rem hanc loca. *Quomodo enim*, ait Pater iste, *quisquam vel homicidii, vel humanarum carnium epulationis insimulaverit illos, quos ne juste quidem occidendi hominis supplicium intueri velle aut posse cognoverit?* Si veteribus vetitum erat Reorum supplicio adesse; multo magis vetabantur adesse spectaculis Gladiatorum. Dum aurea illa floruit ætas, conscientiæ sibi ducebant fideles locis iis adesse, nullumque ponebant discrimen inter eos qui spectatum aderant, ac illos qui crudeliter in iis ludis sæviebant. *Nos vero*, expresse ait Athenagoras, *non ita multum, sive spectator sit aliquis, sive auctor cædis interesse judicantes, alieno ab his spectaculis animo sumus: ἀλλ' ἡμεῖς πλησίον εἶναι τὸ ἰδεῖν τὸ φονευόμενον τῷ ἀποκτεῖναι νομίζοντες, ἀπηγορεύσαμεν τὰς τοιαύτας θέας.* Locus hic memorabilis est. & indubium fortasse est, quod qui adesse non dubitarent hujusmodi spectaculis crudelitatis, veluti homicidæ ad tribunal Dei haberentur ob lethalem lætitiam qua perfunderentur; & si qui ludis iis non oblectarentur, rei nihilominus haberentur ex male impenso tempore & ex profana curiositate, quæ Christianum non decet. *Quomodo igitur*, concludit Athenagoras, *qui ne ab aliis quidem fieri, ne quid inde sceleris & piaculi in nos redundet, videre sustinemus, homicidium committemus ipsi?* Tradit insuper eodem loco, quod fideles sui ævi dicebant homicidas mulieres illas, quæ ad abortum medicamentis utebantur, & illas etiam, quæ infantes exponebant. Ex his omnibus infert Athenagoras in favorem Christianorum, quod immensum aberant ab interficiendis infantibus, & edenda eorum carne, sicuti per calumniam in vulgus spargebant Ethnici.

Primi Fideles cædi Reorum spectatores non aderant. Apolog. Pag. 38.

§. VII.

PRÆSENTIA DEI.

MIrum non videbitur veteres Christianos innocentem ac irreprehensibilem duxisse vitam, si ad ea si attendamus, quæ narrat Athenagoras de perpetua eorum attentione ad Dei præsentiam. Quorum vita ad Deum, ait ille ad gentes verba faciens, tanquam ad normam dirigitur, ut unusquisque nostrum extra noxiam apud eum & reprehensionem sit, eos non ignoratis ne cogitationem quidem unquam vel levissimi admissuros peccati. Nam si hanc tantum vitam nos victuros crederemus, tum sane locus esset suspicandi, nos carni & sanguini inservientes, vel avaritia aut cupiditate victos peccare. Sed cum iis, quæ cogitamus, quæque loquimur, Deum noctem diemque adesse sciamus, eumque persuasum habeamus, cum totus lumen sit, ea etiam quæ in cordibus nostris latent, videre, nosque hac vita liberatos aliam ista præstantiorem, ac cœlestem, non terrenam victuros; vel, si aliorum minis abripiamur, deteriorem, ac in ignis supplicio victuros; in his institutis verisimile non est ut libenter peccemus, nosque magno judici puniendos tradamus.

II. SÆCULUM. Pag. 35.

§. VIII.

FIDELITAS ET OBSERVANTIA PRINCIPIBUS DEBITA.

POstremus memorabilis Athenagoræ locus circa Mores respicit fidelitatem, & observantiam Principibus debitam. Maxima reverentia Principes illos affatur, ad quos Apologiam suam mittit. Appellat eos Principes bonos, moderatos, benignos, ac imperio dignos, humiliterque obsecrat, ut postquam responsum dederit calumniis adversus Christianos vulgatis, id concedant, quod pro iisdem Christianis petit. *Vos vero*, ait ad illos, *o ..... boni moderati, benigni, & imperio digni Principes, mihi obsecro, qui crimina nobis objecta dissolvi ...., capitibus Regiis annuite.* Et ut efficacius ad id eos moveat repræsentat iisdem, quod Christiani fideliores sunt omnibus subditis, ac cæteris magis addicti: *Ecqui enim consequuntur æquius ea quæ petunt, quam nos, adeo vobis devoti, addictique?* Idque confirmat ex precibus ad Deum pro conservatione & augmento imperii, & pro salute eorum atque prosperitate. Hisce igitur iterum confirmatur fidelitas & observantia nostrorum Majorum erga Principes etiam infideles; & hujusmodi exempla comprobant quod superius dixi, omnes scilicet debere obedientiam præstare, ac subjici potestatibus a Deo constitutis super nos.

Pag. 39.

DOCTRINA THEOPHILI

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

Divina Providentia supersunt tres Libri vetusti hujus Episcopi Antiocheni Pagano cuidam, amico suo cui nomen Autolicus, inscripti. Extant isti ad calcem duorum Tractatuum Athenagoræ inter Opera S. Justini, & conscripti sunt in Religionis Christianæ favorem adversus calumnias infidelium; unde totum opus hoc Apologiæ nomine donari posset. Meminit hujus Eusebius in sua Historia Ecclesiastica, (1) illudque laudat sub nomine Theophili Episcopi Antiocheni: *τοῦ δὲ Θεοφίλου τρία τὰ πρὸς Αὐτόλυκον στοιχειώδη φέρεται συγγράμματα*. D. Hieronymus eodem modo loquitur in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Sicuti autem nulla nobis suppetunt aliunde argumenta dubitandi de veritate hujus Operis, cum nihil in eo occurrat, quod vetustatem Auctoris sui non sapiat; idcirco convenimus oportet, hos tres libros Theophili opus esse, cui adscribuntur. Pulcherrimi sunt ac singulares: eleganti stylo sunt exarati, ut testatur idem D. Hieronymus in suo Catalogo, & profunda scatent profana ac sacra eruditione. Extant insuper sub nomine Theophili Antiocheni Commentarii allegorici in quatuor Evangelia, quos in Patrum Bibliotheca adinvenire est: sed non absque aliquo fundamento credimus, opus hoc supposititium esse, cum Eusebius ne verbum quidem unum de illis faciat, licet exacte enumeret & tres libros ad Autolicum, & reliquos Tractatus veteris hujus Episcopi. D. Hieronymus meminit utique horum Commentariorum, sed opinionem nostram confirmat ipse, cum animadvertat, illam elegantiam, ac stylum in iis desiderari, quæ in aliis genuinis Theophili scriptis elucet: *Legi*, inquit sanctus iste Doctor, *sub nomine ejus (Theophili) in Evangelium Commentarios, qui mihi cum superiorum voluminum elegantia & phrasi non videntur congruere*. Hinc ex quatuor his Commentariis nihil afferemus, remittentes eos, qui cupiunt illos perlegere, ad tomum secundum Bibliothecæ Patrum, ubi adinveniuntur latino tantum sermone conscripti.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA.

§. I.

Sacra Scriptura.

I. Theophilus de Sacra Scriptura longa oratione disserit, animumque præcipue intendit, ut ejus vetustatem supra profanos Scriptores ostendat: quod quidem peragit, ut quæ Christianis objiciebantur de novitate Doctrinæ, omnino diluat. Demonstrat itaque ex testimonio profanorum Scriptorum, Moysen ac cæteros Veteris Testamenti Scriptores immensum præcessisse Historicos ac Poetas Ethnicos. Et ut clarius id innotescat, chronologicam instituit annorum seriem a mundi exordio ad sua usque tempora, & deductis annorum summis juxta diversas epochas; & numeratis ab Adamo usque ad mortem Marci Aurelii quinque mille, sex centum, octogintaquinque annis, hisce verbis pro vetustate Sacrorum Scriptorum concludit: *Ex temporum itaque computatione*, ait ille prope finem tertii libri ad Autolicum, *liquido constare judico, Doctrinam, & Religionem nostram non esse nuperam; immo quæ supra dedimus manifesto designant antiquitatem litterarum Propheticarum, & divinitatem nostræ Religionis; neque ea quæ nostra dedimus fabulosa & falsa sunt, quemadmodum quidam calumniantur, immo antiquitate & veritate nostra scripta superant longe profanorum scriptorum monumenta ὁ πρεσβύτατος ὁ λόγος, ὅτι μὴ τὰ καθ' ἡμᾶς, ὡς οἴονταί τινες, μυθώδη καὶ ψευδῆ ἐστιν, ἀλλὰ μὲν ἐν ἀρχαιότερα, καὶ ἀληθέστερα. Apparet*; inquit ipse inferius . . . . . *non solum Mosen, sed & reliquos Prophetas vetustiores esse omnibus profanis Scriptoribus*.

Antiquitas Sacræ Scripturæ. lib. 3. pag. 128. & seq. usq. ad 140.

Pag. 138.

II. Attentam sacrarum Scripturarum lectionem præscribit Autolico Theophilus, tanquam aptissimum medium ad percipiendam facile veritatem Resurrectionis mortuorum. Et ego, habet Episcopus iste ad Autolicum, olim non credebam id futurum: *at fidem meam plurimum adjuvarunt litteræ sacræ quas legi; imprimis tamen Prophetarum oracula, quæ Spiritu Sancto afflati prædixere, plurimum mihi contulere . . . . . verum tu ipse*, addit ille post aliquas lineas, *si placet, consule litteras sacras*. Alibi etiam ad hanc lectionem eum hortatur, & ut serio animo ad eam incumbat docet, nulla alia via ad veram vitam, & veritatis agnitionem perveniri posse. *Oportet igitur te*, ait illi, *si es discendi cupidus, frequentius accedere ad Scripturam Sacram, ut vivas, & audiens vocem Dei, veritatem consequere*. Si primis illis Ecclesiæ sæculis consilium dabatur infidelibus ut divinos libros legerent, hominibus scilicet nullius fidei, nullius religionis, & qui ex impietate Christianam Religionem ludibrio habebant; nulli dubium esse potest, quin idem consilium datum fuerit multo magis Christianis, qui tantum in ea lectione ad æternam salutem proficiunt, quantum infideles, dum ea abutuntur ad æternam condemnationem.

Lectio Sacræ Scripturæ, & ejus utilitates. Lib. 1. Pag. 78.

Pag. 79.

Lib. 3. P. 115. 116.

§. II.

Attributa Divina Absoluta.

I. Secundus memorabilis Theophili locus quoad Dogma, respicit perfectiones divinas absolutas, de quibus sermonem instituit vetustus iste Pontifex sumpta occasione ab Autolico interrogante ac obsecrante, ut veri Dei formam ei ostenderet: *Tu qui videns es*, dicebat ille infidelis, *obsecro, Dei formam mihi enarrato*. Respondet Theophilus, impossibile esse id enarrare, quia Dei immensitas comprehendi non potest, nec ejus eloqui magnitudinem homini concessum est, & divinæ ejus perfectiones cum perfectionibus Creaturarum nobis notis comparari non possunt. Forma Dei, inquit Pater iste, nec dici, nec narrari potest, nec oculis corporeis videri: nec ejus gloria animo capi, nec magnitudo comprehendi potest: *Fortitudine nemini est conferendus, ejusque sapientia plane censetur incomprehensibilis; homine nemo est qui eum possit imitari; sumusque imbecilliores, quam ut ejus beneficentiam nostris linguis explanare possimus*. Si lucem eum dicam, verba sunt ejusdem Theophili, opus ejus dico: si verbum dicam, ejus principatum dico: si mentem dicam, ejus prudentiam dico: *Spiritum si dixero, respirationem ejus demonstro πνεῦμα ἐὰν εἴπω, ἀναπνοὴν ἑαυτοῦ λέγω. Sapientiam si dixero, Filium ejus sonuo σοφίαν ἐὰν εἴπω, γέννημα αὐτοῦ λέγω*. Si robur dicam,

Divinæ Perfectiones nec comprehendi nec imitari possunt. Lib. 1. Pag. 71.

(1) Lib. 4. Hist. Ecclesiast. cap. 24.

II. SÆCULUM.

dicam, ejus potentiam dico: *Potentiam si dixero, operationem ejus efficacem intelligi volo*: Si providentiam dicam, ejus benignitatem dico: si regnum dicam, ejus gloriam dico: si dominium dicam, judicem dico: si judicem dicam, justum eum dico: Si Patrem dicam, omnia eum dico: si ignem dicam, iracundiam ejus dico .... Caret principio, inquit insuper paucis interjectis, quia ingenitus est: immutabilis est, quatenus immortalis: Deus dicitur, quia omnia in sua ipsius stabilitate posuit, quod idem est ac currere, & movere, & operari, & nutrire, & providere, & vivificare omnia. Dominus est, quia omnibus dominatur: Pater, quia ante omnia: Conditor & Creator, quia omnia condidit & creavit: Altissimus, quia super omnia: Omnipotens, quia omnia tenet & complectitur. Cœlum est opus ejus; terra & mare ejus opificium: *Homo figmentum & imago ejus*. Hæc est veri Dei forma, quam Autolico enarrat Theophilus.

pag. 72.

II. Licet autem docuerit Pater iste, Deum oculis corporeis videri non posse, nec animo comprehendi; fatetur nihilominus, ad ejus agnitionem perveniri posse per Creaturarum considerationem; & si tantisper attendantur, ut monet ipse, miri effectus divinæ sapientiæ ac providentiæ qui egregie elucent in ordine ac dispositione totius Universi, denegari nequaquam poterit realis existentia cujusdam Supremi Entis, qui omnia gubernat: *Cæterum*, eximie scribit ille, *ex Providentia, qua singula ordinat, suisque operibus aspicitur (Deus) & apprehenditur*. Idipsum comprobat exemplo navis, quam dum in mari currentem quis videt, & ad littus appellentem, procul dubio gubernatorem in ea esse judicabit, a quo gubernetur. *Quemadmodum*, inquit Theophilus, *si quis cernat navem .... mare sulcare, & in portum appellere, certe credit aliquem a quo gubernetur, in ea esse gubernatorem; sic certe nemo adeo abjecti animi erit, quin credat Deum esse gubernatorem omnium*. Locus iste commode erroneam illorum opinionem diluit, qui excogitarunt, Deum invincibiliter posse ignorari. Rex terrenus existere creditur, prosequitur Theophilus in idem argumentum, quamvis ab omnibus non videatur; sed ex legibus suis, & edictis, & potestatibus, & copiis, & imaginibus cognoscitur: Deum autem non vis intelligere ex ejus operibus & potestatibus? ..... Sed cur non credis? An ignoras rebus omnibus fidem præire? Quis enim agricola metere potest, nisi prius semen terræ crediderit; aut quis mare transmittere, nisi prius se ipse rati credat & gubernatori? Qui autem ægrotans sanari potest, nisi prius se ipse medico crediderit; aut quam artem quis aut disciplinam ediscere potest, nisi te prius tradiderit Magistro?

Deum cognoscimus per creaturas. pag. 73.

III. Fusius autem præ cæteris divinis perfectionibus absolutis disserit in suo Opere Theophilus de Immensitate Dei. Cur Jupiter non erat ubique, inquit ille, sed in terræ parte inveniebatur? Vel enim cæteras negligebat, vel non poterat ubique esse, & omnibus providere. Nam si erat, exempli gratia, in parte Orientali, non erat in Occidentali; rursus si in Occidentalibus locis, nequaquam in Orientalibus. *Cæterum Dei altissimi, qui omnia regit, reque vera existit, hoc quasi proprium est, ut non solum ubique sit, verum omnia præsens inspiciat, & audiat*. Præterea, addit ille, *nec loco capitur, alioqui locus qui ipsum capit, major inveniretur: nam id quod capit eo quod capitur majus est*. Deus itaque nullo loco circumscribi potest, sed ipse est, qui continet ac comprehendit omnia in sua immensitate, sive, ut phrasi nostri hujus Auctoris utar, Deus ipse est omnium locus: *Deus nequaquam circumscribitur; verum ipse est omnium locus*: Θεὸς γὰρ ὁ χωρεῖται, ἀλλὰ αὐτὸς ἐστι τόπος τῶν ὅλων.

Immensitas Dei. Lib. 2. pag. 81.

IV. Cum ex illo Geneseos: cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso (*a*), inferret Autolicus contra Theophilum, Deum loco comprehendi, ac per consequens immensum non esse, reponit noster iste Auctor, juxta ea quæ vidimus in D. Justino, de Deo Patre minime intelligendum esse locum hunc Scripturarum, sed de Verbo, cui operatio hæc adscribenda est; quippe ipse est potentia ac Sapientia Patris, ac per ipsum omnia facta sunt. Contendit igitur, Dei Filium eum fuisse, qui in Paradiso voluptatis ambulabat, ac cum primis Patribus nostris loquebatur, ideoque solum de Verbo dici posse, quod in loco reperiatur. *Supra tradidisti*, objiciebat Autolicus, *Deum loco non comprehendi; nunc vero ais, eum in Paradiso ambulare? Audi responsum*, illic reponit Theophilus; *Deus quidem Universorum Pater loco nec includitur, neque in loco invenitur; non enim est locus, in quo ipse quiescat. Cæterum sermo ejus, per quem omnia creavit, existens potentia & sapientia Patris assumit personam Patris & Domini universorum. Is venit in Paradisum sub persona Dei, & colloquebatur cum Adamo*. ὁ δὲ λόγος αὐτοῦ, δι' οὗ τὰ πάντα πεποίηκε, δύναμις ὢν καὶ σοφία αὐτοῦ ἀναλαμβάνων τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς καὶ κυρίου τῶν ὅλων, αὐτὸς παρεγίνετο εἰς τὸν παράδεισον ἐν προσώπῳ τοῦ Θεοῦ, καὶ ὡμίλει τῷ Ἀδάμ. Et paulo inferius ait etiam: *Deus itaque existens sermo & ex Deo progenitus, quando vult Pater universorum, mittit eum sermonem ad aliquem locum, qui adveniens auditur & videtur ab eo missus, & in loco reperitur*. Θεὸς οὖν ὢν ὁ λόγος, καὶ ἐκ Θεοῦ πεφυκὼς ὁπότ' ἂν βούληται ὁ πατὴρ τῶν ὅλων, πέμπει αὐτὸν εἰς τινὰ τόπον, ὃς παραγινόμενος. καὶ ἀκούεται, καὶ ὁρᾶται, πεμπόμενος ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἐν τόπῳ εὑρίσκεται. Sensus postremi hujus textus est, quod cum Filius Dei sit Verbum Patris, Deus Pater eum ad aliquem locum mittit, & ibi adveniens Verbum, auditur, & videtur, & reipsa in loco reperitur. Hic textus, sicuti & qui præcedit, subobscurus fortasse ac difficilis alicui apparebit, qui probe non calleat has veterum Patrum phrases. Videri, inquam, alicui posset, quod Theophilus ibi lædat Consubstantialitatem Verbi, cum doceat, Verbum in loco reperiri, cum hominibus colloqui, ab ipsis videri, ac audiri: quæ quidem de æterno Patre propter Divinam ipsius Immensitatem prædicari non possunt. At huic difficultati responsum dedimus, quando in D. Justino eumdem loquendi modum offendimus. Hinc Lectorem ad eum locum remittimus, ubi Orthodoxam ejus fidem circa Consubstantialitatem Verbi purgare fategimus. Si quis nihilominus Theophilum ab ipso Theophilo purgatum cognoscere cupiat, libenter id aggrediar, cum innumera in hoc Patre loca occurrant, quæ ejus apologiam hac super re egregie efformant. Interim hic animadvertamus, quod Theophilus in secundo textu modo allato supponit haud ambiguis verbis veluti indubiam veritatem, quod Verbum est Deus Θεὸς, οὖν ὢν ὁ λόγος, *Deus igitur existens sermo*: & in primo, quod est potentia ac sapientia Patris: ὁ δὲ λόγος ... δύναμις ὢν καὶ σοφία αὐτοῦ (πατρὸς), quæ sane sufficere possent ad ostendendam Orthodoxam fidem vetusti hujus Patris circa Verbi Divinitatem; si alia clariora non suppeterent præcipue circa Consubstantialitatem. In medium exacte illa adducemus postquam pauca dixerimus de fide Theophili supra Mysterium Sanctissimæ Trinitatis.

Objectio cōtra hanc veritatem.

Responsio Theophili.

§. III.

SANCTA TRINITAS.

VEtustus hic Episcopus contendit, tres dies, qui præcesserunt creationem duorum majorum Luminarium, hoc est, Solis ac Lunæ, fuisse typum Sanctissimæ Trinitatis: his enim verbis mentem suam aperit quoad hujusmodi articulum ὡσαύτως καὶ αἱ τρεῖς ἡμέραι πρὸ τῶν φωστήρων γεγονυῖαι, τύποι εἰσὶν τῆς τριάδος, τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ λόγου αὐτοῦ, καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ. Scilicet, tres illi dies, qui ante luminaria fuerunt (intelligit ibi præcipue Solem ac Lunam, ut ex præcedentibus constat), imago sunt Trinitatis Dei (Patris), ejus Verbi, ejusque Sapientiæ. Primus hic est qui mihi innotescit veterum Patrum locus, ubi vox Trinitas τριάδος, in eo sensu exponitur, in quo hodie sumitur, ad connotandam Divinarum Personarum distinctionem. Opinor pariter, Theophilum primis iis Patribus accensendum esse, qui nomen Sapientiæ σοφία, Spiritui Sancto tribuerunt. Absit autem quod credamus, cum Verbum sit Sapientia Patris, prout & ipse Theophilus formaliter declarat, inde sequi, Episcopum hunc personam Verbi & personam Spiritus Sancti confundisse. Verum siquidem est, quod nomina Personarum confundit, cum utramque appellet Sapientiam σοφία; sed æque falsum est, quod duas personas invicem ita confundat, ut de duabus unam tantum efficiat. Diligenti examine opus non est, ut de hoc Lector certior fiat: sat superque illi erit, si verba illius textus perpendat, & attendat ad præpositionem disjunctivam καὶ, &c.

Trinitas Divinarū Personarū. Lib. 2. pag. 94.

§. IV.

VERBUM.

I. VIdeamus modo quæ tradit Theophilus de Verbo. Docet primo loco, quod Deus habens in seipso ab æterno suum Verbum, genuit illud, proferens cum sua sapientia ante omnia: ἔχων οὖν ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ λόγον ἐνδιάθετον ἐν τοῖς ἰδίοις σπλάγχνοις, ἐγέννη-

Emanatio Verbi. Lib. 2. pag. 88.

(*a*) Genes. cap. 3. vers. 8.

II. SÆCULUM.

ἐγέννησεν αὐτὸν μετὰ τῆς ἑαυτοῦ σοφίας ἐξερευξάμενος πρὸ τῶν ὅλων. *Deus igitur habens suum sermonem in suis visceribus, genuit eum proferens cum sua sapientia ante hæc universa.* Addit illico, quod Deus Pater hoc verbo usus est in mundi creatione, & per ipsum omnia fecit: insuper, quod Verbum istud appellatur principium, quia reipsa est principium rerum omnium, & rebus omnibus, quæ per ipsum factæ sunt, dominatur: *Hoc sermone usus est in mundi creatione, & omnia quæ condidit, per ipsum fecit. Hic principium dicitur, quia omnium est principium, dominaturque omnium quæ per ipsum facta sunt.* Qui cum sit Spiritus Dei, concludit Theophilus, & principium, & sapientia, & virtus Altissimi, descendebat in Prophetas, ac per eos de mundi creatione ac cæteris rebus loquebatur: *Non enim erant Prophetæ cum mundus crearetur; sed sapientia Dei, quæ in ipso est, sermoque ejus sanctus, semper præsto erat,* seu, ut magis consentanee textui loquamur, *una semper ipsi adfuit,* ἀλλὰ ἡ σοφία ἡ ἐν αὐτῷ οὖσα τοῦ Θεοῦ, καὶ ὁ λόγος ὁ ἅγιος αὐτοῦ, ὁ ἀεὶ συμπαρὼν αὐτῷ. Fieri nequit, quin in hoc, & in primo textu Coæternitas Verbi persentiatur, & per consequens ejus cum Patre Consubstantialitas. Dixi, per consequens ejus Consubstantialitas, quia consubstantialitas necessario consequitur a Coæternitate juxta eadem principia Theophili, qui refutare volens insanam de æternitate materiæ opinionem, inter alias rationes quas ex opposito adducit, ait etiam, quod sequeretur inde, Deum non esse unicum & solum verum Deum, quia aliquid aliud ipsi coæternum haberetur; nec esse solum immutabilem, quia æque immutabilis esset materia propter suam cum Deo coæternitatem: *Verum,* inquit ille, *si Deus censetur ingenitus, & materia perhibetur ingenita, jam nec amplius Deus conditor & creator est omnium .... nec quod unus & solus sit... vere demonstratur; quemadmodum Deus ingenitus, ita etiam immutabilis est. At hac ratione si materia ingenita foret, nulli mutationi, sive alterationi obnoxia foret, nec quidquam differret a Deo* & ἰσόθεος ἦν. Quando igitur Theophilus deinde dicit, ut jam vidimus, quod Verbum semper fuit in Deo, & cum Deo Patre suo; quod Pater illud ab æterno habuit in suis visceribus, ut veteris hujus Scriptoris verbis loquar, ἐν τοῖς ἰδίοις σπλάγχνοις; recte deducitur, eum credidisse, quod Verbum nihil differt a Patre, quod est solus & verus Deus cum Patre, ἰσόθεος; & per consequens, ejusdem substantiæ, ejusdemque cum ipso naturæ. Nescio an aliquid recti huic ratiocinio reponere possent Ariani. Cæterum ne trepidemus, si Theophilus appellat Verbum Spiritum Dei, αὐτὸς πνεῦμα Θεοῦ; quam phrasim *Mentem Dei* ego verto, ut clarius illius auctoris sensum exponam; ne trepidemus, inquam, quasi personam Verbi cum persona Spiritus Sancti ipse confunderet. Revocanda sunt in mentem quæ superius dixi, Auctorem hunc scilicet reipsa confundere quandoque nomina harum duarum Personarum, nunquam vero personas ipsas, quas ex opposito perspicue distinguit per vocem Trinitatis quam adhibet, Τριάδος, & per disjunctivam præpositionem καὶ, &c. qua utitur cum de Verbo loquitur, & de Spiritu Sancto. Obiter etiam animadvertamus, quod in textu initio hujus articuli allato, formaliter utramque personam distinguit cum ait: Deus (Pater) genuit Verbum proferens cum sua Sapientia, ante hæc universa: ἐγέννησεν αὐτὸν (λόγον) μετὰ τῆς σοφίας; intelligens hic per Sapientiam, Spiritum qui eam dat: quod sane explicari nequit, nisi duæ personæ, quæ inter se differant, admittantur.

Verbum est principium, & Dominus rerum omnium. *Ibid.*

Verbum Patri coæternum. *Ibid.*

Lib. 2. pag. 81.

II. Loquitur etiam infra Theophilus perspicue de Verbi coæternitate, sed subobscure de ejus generatione. Docet, inquam, Autolicum, quod Verbum est Filius Dei, non eo modo genitus, quo Poetæ & fabulorum Scriptores perhibent Deorum filios ex concubitu ortos esse, hominum instar; sed, ut veritas docet, existentem semper in corde Dei Patris sui: *Nec arbitreris, ut Poetæ, & fabularum Scriptores perhibent, Deorum filios ex concubitu esse natos; sed intellige, ut veritas docet, sermonem perpetuo existentem, & insitum in corde Dei (Patris)* ἀλλ' ὡς ἀλήθεια διηγεῖται, τὸν λόγον διαπαντὸς ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ Θεοῦ. Addit insuper, Deum Patrem, antequam quidquam faceret, habuisse Verbum hoc consiliarium, ac fuisse ejus mentem ac prudentiam: *Antequam enim quidquam factum esset, hunc consiliarium habuit, utpote mentem & prudentiam suam* πρὸ γάρ τι γίνεσθαι, τοῦτον εἶχε σύμβουλον ἑαυτοῦ, νοῦν, καὶ φρόνησιν ὄντα. Docet deinde, quod quando Deus condere voluit quod decreverat, genuit Verbum hoc prolatum, primogenitum omnis creaturæ; non quod interim suo Verbo careret, sed illud gignens, cum eo conversans semper: *Cum vero jam condere quæ deliberaverat instituisset; hunc sermonem genuit prolatum* τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν *primogenitum omnis creaturæ,* πρωτότοκον πάσης κτίσεως; *nec interim ex inani natus est sermone, sed Verbum gignens, & sermone alloquens quæ volebat semper,* sive, ut magis emendate vertamus, *cum Verbo suo æternum conversans* καὶ τῷ λόγῳ διαπαντὸς ὁμιλῶν.

Alius textus de Coæternitate Verbi. Lib. 2. pag. 100.

III. Frustra conaretur quis hujusmodi Theophili phrasibus uti contra æternam Verbi Generationem; illi enim non agitur de Generatione Verbi in eo sensu, in quo hodie accipitur; & Theophilus loquitur de simplici emanatione *ad extra*, ut Scholæ phrasibus loquar; quam tamen emanationem Auctor iste appellat generationem juxta communem veterum Theologorum loquendi modum. Cæterum nullo negotio ab erroris labe purgantur hæ Theophili phrases, si vel leviter quid docuerit ille de Verbo innotescat. Etenim absque eo quod plurima attendamus, quæ ejus apologiam circa articulum in controversiam positum efformare possent, sat superque erit si consideremus, Auctorem hunc de Verbo loqui non solum ut de Sapientia æterna Patris; sed etiam ut de æterno ejus Consiliario: τοῦτον τὸν λόγον εἶχε σύμβουλον ἑαυτοῦ, quod sane cum denotet perfectam Verbi subsistentiam, *ab æterno*, & actualem in seipso existentiam, quæ ab existentia Patris differt, consequens est, quod denotet etiam veram generationem *ab æterno*. Idipsum inferendum est ab eo quod tradit noster Auctor in eodem textu de quo est quæstio, Patrem scilicet ab omni æternitate cum suo Verbo conversari τῷ λόγῳ διαπαντὸς ὁμιλῶν. Conversationi constituendæ duæ intersint personæ necessum est, nec recte dicitur, aliquem cum seipso conversari. Si igitur Pater perpetuo conversatus est cum Filio suo, ut dicit Theophilus, dicendum est, Patrem genuisse Filium ab æterno: nam absque hac generatione, actuali caruisset existentia, ac per consequens personalitate, quæ a personalitate Patris differret, ideoque, ut necessario inde consequitur, incapax fuisset hujus conversationis, de qua loquitur Theophilus. Patet ergo, quod quando vetustus iste Episcopus dicit, Verbum genitum esse quando Deus voluit universum orbem condere, id unice intendit, Verbum tunc exiisse aliquo modo a Patre suo, & tunc incepisse Patrem uti Verbo suo ut operaretur ad extra, ut & ipse Theophilus satis aperte docet sequentibus verbis, jam supra allatis. *Hoc sermone usus est (Deus) in mundi creatione, & omnia quæ condidit, per ipsum fecit.* τοῦτον τὸν λόγον ἔσχεν ὑπουργὸν τῶν ὑπ' αὐτοῦ γεγενημένων, καὶ δι' αὐτοῦ τὰ πάντα πεποίηκεν. Quod sane non impedit, sicuti animadvertit egregie Dominus Dupin in suis annotationibus in hunc locum, (a) quominus ex hac doctrina intelligamus, Verbum ab omni æternitate extitisse, & ab æterno genitum fuisse a Patre suo, eodem modo quo Fide duce Mysterium hoc nunc credimus. Fateamur nihilominus oportet, obscure de Verbo locutum fuisse Theophilum, ac illos difficillime ejus mentem assequi posse, qui hujuscemodi loquendi phrases perfecte non callent. His simillimas vidimus jam in Athenagora, & infra videbimus etiam in Tatiano, Tertulliano, Auctore libri de Trinitate, Lactantio, & aliis Scriptoribus Ecclesiasticis, qui ante Concilium Nicænum floruerunt.

IV. *Hæc nos,* loquitur Theophilus, *docent sacræ litteræ & omnes Sancto Spiritu afflati* καὶ πάντες πνευματοφόροι, *quorum de numero est Joannes in hunc modum disserens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c. significans in principio solum fuisse Deum, & in eo sermonem:* δεικνὺς ὅτι ἐν πρώτοις μόνος ἦν ὁ Θεὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ὁ λόγος. Ex omnibus his Theophili locis facile conjicitur, an verum sit quod animo finxerunt aliqui Scriptores, Hunc Patrem scilicet suis phrasibus favere duobus e diametro oppositis erroribus, Sabelii nempe, ac Arii. Credo me abunde oppositum ostendisse in animadversionibus paulo ante factis super nonnullos hujus Patris textus, in quibus sermo est de Verbo; & refutasse me opinor Patris Petavii conjecturas quæ parum favent orthodoxæ fidei vetusti hujus Episcopi, cæterorumque Scriptorum Ecclesiasticorum, qui eodem modo ac ille de sacra Persona Verbi disseruerunt.

Sequitur idem argumentũ. *Ibid.*

V. Remanent modo afferenda brevissima duo loca, quæ rem eamdem respiciunt. 1. explicans illud Geneseos, in quo Adam ait: *Vocem tuam audivi in Paradiso (b)* contendit, per hanc vocem divinam, de qua mortalium primus loquitur, intelligi debere Verbum Dei: *At vox ista,* inquit ille, *quid aliud est, quam sermo Dei, qui ejus filius est?* 2. explicans & aliud ejus-

Peculiaris opinio Theophili circa Verbum. Lib. 2. pag. 100.

(a) Tom. I. Biblioth. pag. 181.

(b) Genes. cap. 3. vers. 10.

II. SÆCULUM.

ejusdem libri Geneseos: *In principio creavit Deus cælum & terram* (a) videtur docere, principium illud, de quo sermo ibi habetur, esse ipsum Verbum Dei: *Ut igitur*, scribit ille, *constaret ... Deum sermone suo creasse cælum & terram, scriptum est: In principio creavit Deus cælum & terram.* Per illud vero: *Spiritus Dei ferebatur super aquas* (b) dicit non esse intelligendum Spiritum Sanctum: immo oppositum docere videtur: qua sane in re ab antiquorum opinione recedit.

§. V.

ADAM.

I. Quoniam de creatione Mundi incidit sermo, afferre optimum erit quæ docet Theophilus de statu Adami ante & post suum peccatum. Antequam autem eo perveniamus, nonnulla recitare in animo est, quæ animadvertit Episcopus iste super firmamenti ac telluris creationem. Quoad firmamentum contendit Theophilus, illud, de quo Genesis loquitur, non esse cœlum quod oculis nostris aspicimus, sed aliud invisibile, secundum quod cœlum illud quod nos videmus, est nuncupatum: *Primo enim loco*, verba sunt hujus Scriptoris, *ubi Scriptura tractat creationem, non loquitur de isto firmamento visibili, sed aliud quoddam cælum nobis invisibile proponit, secundum quod visibile hoc Firmamentum nuncupatum est.* Num hic verus sit illius Scripturæ sensus, videant Interpretes. Quoad terræ creationem, quam veluti maximam insulam considerat intra cum mari comparatione, allegorice hæc animadvertit: quod Deus scilicet Mundo vitiorum tempestatibus ac naufragiis jactato Synagogas dedit, quas Ecclesias appellamus; ad quas confugiunt quotquot veritatem amant, ac salvari volunt, & justum Dei judicium iramque vitare: *Sic Deus dedit Mundo, qui peccatorum tempestatibus ac naufragiis jactatur, Synagogas, quas Ecclesias nominamus ... ad quas confugiunt veritatis studiosi omnes, quotquot salvari, Deique judicium & iram vitare volunt.* Comparat deinde Hæreticos Ecclesiæ hostes Piratis, qui cum in hujus Mundi mari latrocinia exercuerint, ad mysticas has insulas confugiunt, ut nova perpetrent delicta. Pulcherrima est ac prudens hujusmodi animadversio. Tandem ex eo quod animadvertit Theophilus supra creationem Volatilium, quæ Deus produxit ex aqua, ut tradit Scriptura, ac benedixit, eruitur quid sentiret ipse de virtute, & efficacia Baptismi. Deus sic operatus est, ait Pater iste, *Ut notum sit mortalibus, fore ut ... peccatorum remissionem nanciscantur per aquam, regenerationis lavacrum, quotquot accedunt ad veritatem, & regenerantur accipiantes benedictionem a Domino.* Quod sane consideratione dignum est quoad præcipuum effectum Baptismi.

Quodnam sit juxta Theophilum Firmamentum, de quo loquitur Historia Creationis. Lib. 2. pag. 93.

Animadversio allegorica Theophili supra creationem terræ. pag. 94.

Animadversio ejusdem supra creationem avium. pag. 95.

II. Ut autem ad Adamum veniamus, memorabilia hæc quæ sequuntur tradit de illo Theophilus. 1°. Nihil sublimius dici potest iis quæ scribit de ejus Creatione. *Quod attinet ad hominis creationem*, inquit ille, *scias eam ab homine non posse sufficienter enarrari; quamvis brevibus & paucis Scriptura eam pronuntiet; nam cum dixit Deus: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, hominis excellentiam & dignitatem prodit. Cum enim cætera omnia sermone nudo constitueret Deus, & ea quasi obiter nulla peculiari adhibita diligentia conderet, hominem existimavit solum esse opus sempiternum, suisque manibus dignum. Præterea*, loquitur semper Theophilus, *dum hæc loquitur* (*Deus*) *videtur ea proferre, quasi auxilio* (si ita loqui fas est) *aliquo egeat: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. At hæc verba ad neminem alium, quam ad suum Sermonem, Sapientiamque direxit, οὐκ ἄλλῳ δέ τινι εἴρηκε ποιήσωμεν, ἀλλ' ἢ τῷ ἑαυτοῦ Λόγῳ, καὶ τῇ ἑαυτοῦ σοφίᾳ.* Quæ scribit hic Theophilus de hominis creatione sublimia quidem sunt, & prudentia judicioque prædita; nec aliquid hucusque legi, ex quo hominis dignitas tam perfecte dignoscatur, ejusque excellentia super omnes creaturas. Cæterum, notandum obiter est, in phrasibus textus originalis modo allati distincte exprimi tres divinas personas. Quoad Evam vero docet noster Auctor, quod Deus ex costa Adami fecit illam, ne, si ex alia materia eam fecisset, exurgerent qui dicerent, in favorem pluralitatis Deorum, unum Deum fecisse hominem, alium vero mulierem: *Cæterum mulierem ex costa fecit Deus, ne exurgerent qui dicerent: hic Deus Adamum; alius formavit mulierem; Evam ex costa compegit, & duos fecit ambos.* Nescio an conjectura hæc naturaliter procedat: mihi videtur longe petita, & quæ nullo negotio everti possit.

Idea sublimis creationis hominis. pag. 96.

Cur, juxta Theophilum ex costa Adami Evam fecerit Deus. pag. 104.

III. 2°. Occurrit in Theophilo quæstio quædam peculiaris, & non spernenda, circa statum in quo Adam creatus est: hoc est, an Adam creatus sit mortalis, aut immortalis. Utrumque negat Pater iste: ait enim: *Nec mortalis, nec immortalis conditus est Adam*: nam, prosequitur ipse: *Si immortalem ab initio fecisset* (*Deus*) *Deum eum constituisset; si mortalem ... Deus sane posset mortis hominum auctor videri .... Apparet igitur*, concludit ille, *hominem a Deo nec mortalem, nec immortalem esse factum, sed utriusque quodammodo participem; ut repetat ad immortalitatem, servans mandatum Dei, ... sin autem conversus fuerit, inobedientiam sectatus, ad peccatum, & reliquerit Deum, sibi ipsi, ne auctor foret mortis.*

Adam nec creatus mortalis, nec immortalis, sed ex suo libero arbitrio aptus ad mortalitatem, vel immortalitatem consequendam. pag. 103.

IV. 3°. Narrat Theophilus, Deum præcepisse Adamo, ut fructibus terræ, seminibus, herbis, ac pomis viveret, qui cibus animalibus cunctis erat communis. Docet autem, ante primi parentis peccatum, tellurem ex seipsa & absque ullo hominis labore fructus protulisse, ne nimio labore, ait ille, gravaretur homo eam operando: *Nec terra postulabat laboriosas hominum manus; sed sua sponte ex præcepto Dei proferebat fructus, ne homo operando lassaretur.* Nescio, an quod scribit hic Theophilus de lassitudine Adami innocentis, conveniat cum communi Theologorum, qui docent, in omnimoda perfectione corporis & spiritus Deum illum condidisse. Agitur enim hic de homine in statu innocentiæ posito, in quo quidem statu quamdiu perstitisset, opinor nullo labore defatigari potuisse.

Adami cibus. pag. 96. 97.

Tellus sua sponte fructus proferebat. p. 97.

V. 4°. Allato nihilominus principio videtur inniti ejus sententia de Adamo innocenti a labore immuni in Paradiso voluptatis: Quia vero objici poterat Scriptura, quæ contrarium asserere videtur his Geneseos verbis; Posuit Deus hominem in Paradiso voluptatis ut operaretur & custodiret illum: (c) respondet Auctor iste, per laborem illum intelligi debere Mandatorum Dei custodiam, non autem laborem manuum, cui Adam teneretur: *Quod inquit*, scribit ille, *Ut eum operaretur &c. nullum aliud opus, nullumque laborem præcipit, quam ut sedulo servet mandatum Dei.* Pro veritate hujus interpretationis meam non oppignoro fidem; & malo cum præstantioribus Interpretibus sentire, vocem *operari* vere hic significare laborem manuum; laborem autem, qui non defatigaret hominem, ob rationem superius allatam.

Adam innocens a labore exemptus. pag. 101.

VI. 5°. Describens Theophilus Paradisum voluptatis; in quo Deus hominem peracta ejus creatione locaverat, tradit, locum hunc amœnissimum fuisse, ad Orientem positum, lumine coruscantem ac plantis omnibus fœcundum: *Condito homini Deus elegit regionem in locis Orientalibus, amœnitate eximiam, lumine coruscantem, & splendido aere illustrem, plantis variis fœcundam ... in hunc modum* ulterius progreditur Auctor ille, *transtulit Deus hominem in Paradisum, ut undique occasiones suggerens, ut cresceret & perfectus redderetur, & declaratus tandem Deus in astra ascenderet, ὥστε δὲ καὶ Θεὸς ἀναδειχθείς, οὕτως δ' εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβῇ.* Vox hæc *Deus*, qua Theophilus appellat Adamum, intelligi debet in sensu Regii Psaltis, qui ait (d) ad homines loquens: *Ego dixi, Dii estis, & Filii Excelsi omnes.*

Descriptio paradisi terrestris. pag. 97.

Gratiæ Adæ collatæ in Paradiso. pag. 102.

VII. 6°. Tandem docet, ante peccatum nostrorum parentum feras nec noxias, nec exitiales fuisse, nihil enim mali a Deo factum est, sed bona omnia & valde bona; peccatum vero hominis in vitium eas abduxisse, & homine de via deflectente, ipsas quoque simul deflexisse: *Nec tamen feræ, a rerum primordio noxiæ & exitiales creatæ sunt, nam nihil noxium ab initio a Deo conditum est; sed hominis delictum conditionem creaturarum deteriorem reddidit, ἡ δὲ ἁμαρτία ἡ περὶ τὸν ἄνθρωπον κεκάκωκεν αὐτά. Ubi primum homo legem Dei transgressus est*, ait insuper, *etiam reliqua prævaricata sunt, & degeneraruntt.* Cum autem, addit ille, redierit homo ad id quod secundum naturam est, & finem peccandi fecerit, belluæ quoque in pristinam mansuetudinem restituentur: *καὶ αὐτὰ ἀποκατασταθήσεται εἰς τὴν ἀρχῆθεν ἡμερότητα.*

Perturbatio ac confusio in natura ex peccato primi hominis. pag. 96.

§. VI.

GRATIA EFFICAX.

Sub peculiari titulo exponendum id est, quod animadvertit Theophilus circa Gratiæ efficaciam. Contendit ille, quod licet homo ex omnimoda libertate præcepta Dei violaverit (loquitur hic de primis nostris

(a) Genes. cap. 1. vers. 1.
(b) Genes. cap. 1. vers. 2.

(c) Genes. cap. 2. vers. 15.
(d) Psalm. 81. vers. 6.

II. SÆCULUM.

Gratia efficax pro homine peccatore. pag. 103.

ftris parentibus) nihilominus Deus redonat pro sua singulari humanitate & misericordia quod sibi ipse negligentia, & inobedientia accerfiverat, faciens homines sibi obtemperantes: *Liberum*, inquit ille, *& sui juris creavit Deus hominem; quod autem sibi per incuriam, & inobedientiam mercfiverat, id ei nunc Deus donat per suam humanitatem, & misericordiam, faciens homines sibi obedientes*. Qui aliqua attentione legerit quæ docet superius Theophilus de Adamo innocenti posito in Paradiso voluptatis & de gratiis, quibus a Deo cumulatus fuit in hoc innocentiæ statu, nullo negotio percipiet, gratias istas omnino differre ab illis, quas peccatori donat Deus, juxta Theophili ejusdem doctrinam. Deus cum Adamum creaverit in omnimoda libertate eligendi bonum vel malum, eum reliquit, ut ita dicam, in manu liberi arbitrii sui, & suggerere non destitit frequentes occasiones ut bonum eligeret: *Ei undique suggerens occasiones, ut cresceret, & perfectus redderetur*. Sed aliter sentiendum est de Adamo peccatore, juxta Theophilum: non solum Deus dimittit illi ex misericordia crimina perpetrata per negligentiam & inobedientiam, sed insuper eum sibi obtemperantem reddit: *Faciens homines sibi obedientes*. Itaque gratiarum Adamo innocenti collatarum effectus pendebat a libero ipsius arbitrio: Adami autem peccatoris sola Dei misericordia determinat voluntatem; & ex rebelli ac inobediente facit eum divinis suis præceptis obtemperantem: *Faciens homines sibi obedientes*.

§. VII.

RESURRECTIO MORTUORUM.

Veritas Resurrectionis Mortuorū. Lib. 1. pag. 77.

CUm Resurrectio mortuorum incredibilis videretur Autolico, totis viribus conatur Theophilus ut eamdem illi persuadeat, & inter cætera ait, stultum esse, credere, Herculem, qui se ipsum combussit, vivere, & OEsculapium fulmine percussum, in vitam revocatum; non credere vero ea quæ Deus revelavit: *Si credis, Herculem*, inquit eruditus iste Episcopus, *quem flamma absumpsit, vivere; OEsculapium fulmine ictum, vita restitutum; qua dementia est nolle dare fidem illis qua Deus loquitur?* Observa, inquit paucis interjectis, temporum, & dierum & noctium interitum. *An non animadvertis, ut ista moriantur, & resurgant?* Deinde in exemplum adducta menstrua Lunæ resurrectione, nec non resurrectione astrorum, seminum, frugum &c. resurrectionis effectum in homine agnoscit, qui per adversam valetudinem amissas carnes roburque dum recuperat, novum argumentum pro mortuorum resurrectione astruenda suppeditat: *Præterea*, inquit ille, *& in temetipso, quamvis id ignores, resurrectionis operationem agnosco, o homo; nam non dubito, quin aliquando adversa valetudine afflictus, amiseris carnes tuas, & formam roburque. Cæterum Deus .... effecit ut carnes amissas, formam roburque recuperares*.

pag. 78.

§. VIII.

NOMEN CHRISTIANUM.

Christiani nominis Etymologia. Lib. 1. Pag. 77.

ANtequam de Moribus quidquam dicamus Lectorum oculis subjiciendum est quid sentiret Theophilus de nomine Christiano. Nescis quid dicas, inquit ille ad Autolicum, dum me irrides, Christianum vocans: *Nam unctionis hoc nomen*, ... addit eruditus noster Episcopus, *bonum suaveque est, nec irrisum meretur*. Insuper habet, ex ipsa unctione nomen hoc etymologiam sumpsisse: *Certe nulla alia ex re Christianorum nomen traximus, quam quod divino oleo perfundimur*. Hæc fortasse fuit genuina ratio, ob quam Julianus Apostata, aliique Christiani nominis hostes, dempto fidelibus Christianorum nomine, eos appellare consueverunt Galilæos; pulcherrimum quippe hoc nomen nimis honorabile pro iis credebant, quos magnopere contemnebant. Notare omiseram, quod Theophilus in suo Opere Sybillarum auctoritatem maxime extollit, earumque innumera carmina recitat adversus Idolorum cultum, & ad Dei unitatem comprobandam & pro aliis præcipuis Religionis veritatibus. Alibi jam diximus quid de istis prætensis Sybillarum libris sentiendum sit.

Lib. 3. p. 112. 113. & 114.

II. SÆCULUM.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

§. I.

MORALIS CHRISTIANA.

Sanctitas & Puritas Moralis Christianæ. Lib. 3. pag. 123. 124. 125. & 126.

PAuca circa Moralem Christianam ex Theophilo afferemus, cum obiter, non vero ex professo, de hac re verba faciat in Opere suo. Primus notabilis locus quem legi, respicit in genere Christianorum Moralem, cujus puritatem & sanctitatem opponit Theophilus impuritati, ac iniquitati Moralis Ethnicorum. Ostendit igitur, quod Christianorum Moralis deprædicat solummodo pœnitentiam, sinceram ad Deum conversionem, justitiam & charitatem, castitatem corporis & animæ, inimicorum dilectionem, integritatem & puritatem intentionis, fidelitatem ac subjectionem Magistratibus, & alia plurima his similia, quæ toto cœlo differunt ab impiis profanorum doctrinis, & exitiosis exemplis quæ proponunt fornicationis, adulterii, incestuum, inauditarum crudelitatum, ac omnigenarum dissolutionum. Ab austera hac Christianorum Morali occasione sumpta Autolico ostendit manifestam injustitiam accusationum contra ipsos, videlicet quod viverent ad instar immanium belluarum, carnibus humanis vescerentur, & in nefariis flagitiis volutarentur: Ostendit, inquam, Autolico, hujusmodi suspiciones cadere non posse super Christianos, quibus nec gladiatorum ludos spectare licet, ne participes & conscii cædium fiant; neque cæteris spectaculis aderant, ne eorum oculi & aures polluerentur, si participes eorum fierent quæ illic decantabantur. In his enim conventibus, ait ille, Thyestis, & Terei crudelitates enarrantur, qui filios vorant: in his adulteria non solum de hominibus, sed etiam de diis tragice exhibentur, & non sine præmio & mercede decantantur: *Verum absit, absit, inquam, a Christianis .... ut talia facinora vel cogitemus, nedum faciamus: penes quos modestia & temperantia florent, continentia viget, unius uxoris legitimum matrimonium servatur, castitas colitur*. Apud Christianos, loquitur semper Theophilus, injustitia exterminatur, peccatum radicitus evellitur, justitia exercetur, lex observatur, cultus Dei peragitur: *Quos veritas gubernat; gratia servat, pax communit, sanctum verbum manu ducit, sapientia docet, Jesus Christus, qui est vera vita, dirigit, Deus regnat: Christus ..... regis, Deusque solus imperio temperne*. Tale est elogium, quod de sanctitate vitæ & morum integritate fidelium sui ævi Theophilus efformat.

pag. 127.

§. II.

DISPOSITIONES AD COGNOSCENDUM DEUM.

I. NEc minus instruunt quæ ad Autolicum dicit Pater iste circa dispositiones necessarias ad veri Dei cognitionem adipiscendam. Sed si dicas (verba sunt veteris hujus Scriptoris:) ostende mihi Deum tuum: dicam tibi: ostende mihi hominem tuum, & ego tibi ostendam Deum meum: quem vos ignoratis, ait inferius, ob mentis obcæcationem, & cordis duritiem. Excellens remedium, quod ei proponit, ut ab hac obcæcatione sanari possit, & cordis duritie, est, ut det se medico, ad Deum scilicet convertatur, ejus Misericordiæ se committat, & in illum omnino speret. Petit autem, ut ante omnia præeant in corde illius fides & timor Dei; ac instat præcipue circa necessitatem fidei, & utilitates maximas, quæ possunt inde evenire, ostenditque illi, rationabilius, ac tutius esse credere, & seipsum omnino vero Deo committere, quam idolis, quæ non loquuntur, & sunt opera manuum hominum. Hoc loco exponit quæ narrantur de vita & moribus horum Numinum; & ne de his narrationibus dubium suboriatur Autolico, declarat, has non esse fabulas a Christianis confictas; sed omnia hæc deprædicari ab Historicis & Poetis Ethnicorum. *Hæc non a nobis*, inquit ille, *litterarum monumentis produntur: vestri Scriptores ea commemorant, vestri Poetæ ea deprædicant*.

Lib. 1. Pag. 70.

pag. 74. 75.

II. Ut autem de dispositionibus loquamur, quas Theophilus requirit ad veri Dei notitiam adipiscendam: prima est, ut quis velit, sicuti superius diximus, dare operam hujus Dei notitiæ acquirendæ: *Sin autem objeceris*, inquit eruditus iste Episcopus, *age ergo, ostende mihi Deum tuum: respondebo, age ergo, ostende mihi hominem tuum. Fac te hominem esse cognoscam, & quis meus sit Deus, demonstrare non morabor*;

Prima dispositio ad cognoscendum verū Deum. Lib. 1. pag. 69.

II. SÆCULUM.

Eucharistia, verũ Sacrificiũ. pag. 260.

Non est voluntas mea in vobis, dixit Dominus; & sacrificia vestra non suscipiam de manibus vestris; propterea quod ab ortu Solis ad occasum, nomen meum glorificatum est in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & victima pura ..... de nostris vero gentium, addit Pater iste, *quæ in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est panis Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, jam tum locutus prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare.* S. Justinus inquit etiam in eodem Dialogo, de Christianis sermonem habens: *Vere Sacerdotale genus Dei sumus, prout & Deus ipse testatur, perhibens nos quovis loco in nationibus victimas sibi placitas & mundas offerre.* Deinde ait: A nemine autem Deus accipit Sacrificia, nisi per ipsius Sacerdotes: *Universos igitur, qui per nomen istius sacrificia offerunt, quæ Jesus Christus fieri tradidit, hoc est in Eucharistia panis & calicis, quæ in loco omni a Christianis fiunt, præveniens Deus, gratos sibi esse testatur.* Equidem preces, sequitur iste Pater, & gratiarum actiones, quæ a dignis peraguntur, sola esse perfecta, & Deo accepta sacrificia & ipse pronuntio: *Hæc vero sola facere Christiani didicerunt, in ipsius etiam alimonia sua recordatione, arida juxta & liquida, in qua & passionis quam pertulit per ipsum, Deus, Deum, meminit.* Verba hæc *Deus pertulit* πέπονθε ὁ Θεὸς notabiliter favent fidei Ecclesiæ contra Hæresim Nestorianam. Cæterum, ex allatis modo variis textibus evidenter innotescit, S. Justinum veluti Sacrificium verum habuisse Eucharistiam; & consolatione refertum argumentum est pro Catholicis Theologis habere tam vetustum, ac tam egregium hujus veritatis propugnatorem, ac tuto opponere posse tam strenuum adversarium iis qui contra illam pugnare audent. Venditent illi quantum lubet, adhærere se tenaciter doctrinæ primorum sæculorum; nos enim his textibus provocare eos possumus, ut prætensam conformitatem vetustæ Ecclesiæ Doctrinæ circa hoc Mysterium demonstrent. Hæc sunt quæ consideratione digna adinveni in S. Justino quoad Eucharistiam; una cum brevi quodam textu in secunda Apologia, in quo Sanctus Philosophus tradit quod fideles sui ævi nunquam mysteriorum, quorum erant participes, obliviscebantur, & illa invicem in memoriam revocabant: *Nos autem post hoc*, ait ille, *deinceps invicem ista in memoriam revocamus.* Locus iste Mores respicit, & est punctum essentiale pietatis Christianæ.

Dialog. pag. 344.

pag. 345.

Veteres Fideles sacrorum Mysteriorum non obliviscebantur. Apolog. II. pag. 98.

CAPUT SEPTIMUM.

PECCATUM ORIGINALE.

Necessitas Pœnitentiæ. Reprobatio Angelorum & Hominum. Liberum Arbitrium. Necessitas Gratiæ, & ejus Efficacia.

I. PAuca habet S. Justinus, quæ Ecclesiæ fidem ostendant circa Originale peccatum. Loquens Sanctus iste Pater de baptismo, quo ablutus est Jesus Christus per manus Præcursoris sui, ait, Salvatorem nostrum non indiguisse baptismo, aut delabente in columbæ specie Spiritu; quemadmodum nec nasci, nec crucifigi; sed hæc omnia sustinuisse pro humano genere, quod ab Adamo in mortem inciderat: *Quod (humanum genus) per Adam, in mortem, & fraudem, seductionemque serpentis conciderat: Ut interim*, addit S. Justinus, *propriam pro se maligne agentis cujusque culpam taceam.* Discrimen inter peccatum Originale, & peccata actualia clarissime ex his innotescit. Alium afferemus modo textum æque validum, ex quo nihil aut commodi aut voluptatis percipient ii, qui contendunt, ignorari posse invincibiliter juris naturæ præcepta, & hac ignorantia laborantes esse excusabiles. *Et genus omne mortalium*, inquit S. Justinus, *novit adulterium esse malum, & fornicationem, & homicidium, & quæcumque alia sunt ejusmodi peccata, neque etiamsi omnes hæc admittant, non tamen ea facientes, injuste se agere nesciant; iis exceptis, qui spiritu impuro repleti, & per conversationem consuetudinemque pravam & leges malas corrupti, naturales notiones perdiderunt, immo potius extinxerunt, aut inhibitas tenent*, μᾶλλον δὲ ἔσβεσαν, ἢ ἐπεσχημένας ἔχουσι. *Videre enim est eum ea pati nolentes, quæ alii ipsi faciunt, tum conscientiæ hostilibus probrose aliis objicientes, quæ ab ipsis committuntur.* Ipsi igitur hominum perditissimi, juxta S. Justini doctrinam, immo juxta ipsam veritatem, ii inquam qui magis corrupti sunt ac obcæcati magis, percipient transgressiones contra prima juris naturæ principia: dicamus saltem, quod facile id percipere poterunt, aliqua peracta consideratione circa negotia propriæ conscientiæ. Non datur igitur hac super re ignorantia vere ac proprie invincibilis.

Peccatum Originale. Dialog. pag. 316.

Non datur ignorantia invincibilis juris naturalis quoad prima principia. Ibid. pag. 320.

II. Quoad secundum articulum, S. Justinus reprehendit Judæos errantes dum dicunt, a Deo non imputatum iri peccatum illis, qui etiamsi peccatores sint, Deum tamen cognoscunt, & in eum credunt; & contrarium probat exemplo Davidis, qui licet sincero corde crederet, & purissimam Religionem teneret, nihilominus flevit & lamentatus est ob patratum adulterii crimen: *Verum enim vero*, inquit hic Sanctus Philosophus, *si viro tanto non ante est noxa remissa, quam pœnitentiam egit, nec tum demum cum tantopere flevit magnus iste Rex, & Unctus, & Propheta; quomodo tandem impuri isti & nullius momenti; complorantique adeo homines, nisi lamentati fuerint, planxerint, & pœnitentiam egerint, spem habere possunt, non imputatum iri illis a Domino peccatum?* Unum hoc Regis Davidis exemplum obstruere valet os hæreticorum nostri hujus ævi, qui pœnitentiæ adversantur; & gloriosum nequaquam iis esse potest, emendicasse a Judæis falsum hoc Dogma, de non imputatione peccatorum quoad illos qui in Deum credunt.

Necessitas Pœnitentiæ pro peccatorũ remissione obtinenda. Dialog. pag. 370.

III. Quoad Angelorum & Hominum reprobationem S. Justinus, cum præmiserit, utrosque libero arbitrio donatos fuisse, concludit, quod si Deus illorum aliquos reprobat, evenit id, quia prævidit, eos immutabiliter malos futuros, non quod eos tales fecerit: *Quod si verbum Dei prænuntiat fore omnino, ut Angeli quidam & Homines crucientur, eo quod præsciret illos immutabiliter malos futuros, idipsum prædixit, non autem quod Deus eos tales fecerit.* Impiorum igitur reprobatio fit ex prævisione eorum iniquitatum, & postremæ eorum impœnitentiæ. Idipsum pariter impugnant Novatores, contendentes, ex Dei voluntate unice pendere impiorum reprobationem, & Deum esse auctorem mali.

Caussa reprobationis Angelorum & Hominũ. Ibid.

IV. Nec minus iis opponitur Sanctus Philosophus in his quæ docet de libero hominis arbitrio. Ejus existentiam rationibus probat, quæ naturales sunt, & validissimæ. Supponit initio, quod est extra omnem controversiam, quod præmia scilicet ac pœnæ alterius vitæ distribuentur juxta recte vel male gesta. Hoc præmisso principio, probat invincibiliter, Hominem donari debere libero arbitrio, cum impossibile sit eum præmia aut poenas reportare posse, si omnia necessario peragit, & ex quadam fati necessitate; in hoc enim casu nihil in nostra esset potestate, ideoque nec recte vel prave agere. Cæterum, animadvertit egregie, quod si ex fati vi alii boni essent, alii vero mali, nec illi reprehendendi essent, nec illi laudandi, cum nec isti, nec illi boni aut mali effici possint: *Si enim fatale esset hunc quidem esse bonum, illum vero malum; neque ille fuerit probandus, neque hic reprehendendus; ut nisi libero arbitrio & ad turpia fugienda, & ad honesta diligenda facultatem habens mortalium genus, non fuerit in caussa sive culpa qualiumcumque demum factorum.* Et ut ostendat, ex libertate hominem sive virtuose, sive inique vivere, hanc aliam exhibet considerationem, quæ nostræ innititur experientiæ, scilicet quod eundem hominem in contraria transcurrere videmus: *Quod si fato*, inquit Pater iste, *destinatum esset, eum vel malum, vel bonum esse, non ille unquam contrariorum capax esset, nec toties mutaretur.* Sed ne alii quidem boni essent, alii mali; vel enim fatum malorum caussam esse, ac contraria sibi ipsi facere statueremus; vel verum nobis videretur id, de quo jam diximus, nihil esse virtutem, aut vitium, sed sola opinione bona aut mala dijudicari; quæ profecto, ut vera ratio demonstrat, maxima impietas, & injustitia est. Hoc quidem instituebat S. Justinus ratiocinium; illudque insuper confirmat Sacrarum Scripturarum auctoritate. *Hæc edocti sumus*, ait ille, *a Sancto Spiritu prophetico, qui per Moysen testatur ei, qui primus creatus est, homini hæc Deum verba dixisse* (a) *Ecce in conspectu tuo bonum & malum: elige bonum*: & rursus per Isaiam alium Prophetam, hæc tamquam ex persona parentis Universorum & Domini Dei in eamdem sententiam dicta esse: (b) *Lavamini mundi estote, auferte mala ex animabus vestris, discite facere bonum; judicate pupillo, & justificate viduam; & venite, & disceptemus, dicit Dominus ... Et si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: si vero non audieritis me, gladius depascet vos: Os enim Domini locutum est hæc.* Validiora pro libertate hominis afferri nequeunt argumenta; & hujusmodi testimonia æque concludunt, ac superius allata Sancti hujus Philosophi ratiocinia.

Argumenta ad liberum hominis arbitrium cõprobandũ. Apolog. II. pag. 80.

pag. 81.

Ibid.

V. Eamdem docet ipse veritatem in prima sua Apologia,

(a) Deuteron. cap. 30. vers. 15. & 19.

(b) Isaiæ, cap. 1. vers. 16. & seqq.

II. SÆCULUM.

Liberum arbitrium Angelorũ & Hominum. *Apolog. I. p. 45. & 46.*

logia, ubi ait, quod Deus creavit Angelos & homines in perfecta libertate agendi bonum vel malum, & inde infert justitiam præmii vel pœnæ, quibus donari debent: *Sed enim*, inquit ille, *quia liberi arbitrii & Angelorum, & Hominum genus ab initio creavit Deus, justo judicio pro delictis suis supplicium in igne sempiterno reportabunt.* Addit insuper, libertatem essentialem esse omni creaturæ rationali, sine qua laudari non possemus, utpote destituti vi ac potestate quod lubet eligendi: *Illa quippe orta cujusque rei (rationalis) natura est, ut virtutis & vitii sit capax*: γεννητοῦ δὲ παντὸς ἥδε ἡ φύσις, κακίας καὶ ἀρετῆς δεκτικὸν εἶναι. *Neque quidquam eorum quæ creata sunt laude dignum esset, nisi vim ac potestatem alterovorsum se convertendi obtineret.* In immensum abiret oratio, si omnia persequi vellemus momenta, quibus liberum in homine arbitrium invictissime probat S. Justinus: quin etiam usque modo allata plene sufficiunt ad confirmandam Ecclesiæ Doctrinam adversus portentosum recentiorum Hæreticorum systema, qui in liberis hominum operationibus fatalem necessitatem agnoscunt.

Necessitas Gratiæ. *Dialog. pag. 329. & 330.*

VI. Afferam nunc quemdam S. Justini locum, qui satis superque probat necessitatem gratiæ ad salutem obtinendam: *Nam si Filius Dei*, inquit Sanctus iste Philosophus, *neque eo quod Filius Dei est, neque quia fortis, neque quia sapiens, quippe virtus & sapientia Dei; & proterea neque eo quod immunis peccato est ... absque Deo se salvari non posse manifeste dixit: quonam modo vos ... salutem citra spem ejusmodi expectantes, non existimemini vos ipsos seducere?* Docet etiam alibi idem Sanctus Pater, quod Deus non solum dedit nobis rationem virtutia ut recte operemur, sed insuper interiori persuasione ad idipsum nos adducit. *Itidem vero, ut delectu adhibito ea sectemur quæ grata illi sunt (eam) per donatus nobis ab eo rationis virtutes, persuasione ipsius id fit, ad fidem nos adducentis.*

Ejus efficacia. *Apolog. II. pag. 56.*

CAPUT OCTAVUM.

ORIGO DÆMONUM.

Origo Paganismi. Sybilla. Anima. Mundi Æternitas. Error Millenariorum.

Origo Dæmonum juxta S. Justinum. *Apolog. I. pag. 44.*

I. DOcuit S. Justinus, una cum aliis nonnullis vetustis Ecclesiæ Patribus, quod cum Angeli, quibus Deus gubernandum tradiderat mundum, amoris caussa mulieres cognovissent, illos procrearunt filios, quos appellamus Dæmones: *Angeli autem ... vam mulierum concubitus caussa, amoribus sunt victi, eam filios procrearunt eos, qui Dæmones sunt dicti.* Hæc S. Justini opinio, etsi extraordinaria, & exhibens Angelos anima & corpore donatos, (aliter enim explicari nequit locus iste) habuit nihilominus Sectatores, ut inferius videbimus, ubi observabimus etiam, veteres id eruisse ex his male intellectis Geneseos verbis: Videntes Filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. (*a*) Veteres isti, inquiebam, credebant, filios Dei, de quibus sermo hic est, eos esse, quos Angelos dicimus, & Gigantes ab illis procreatos, esse Dæmones: Hic autem error est in Divo Justino, & in iis omnibus, qui eum super hoc articulo sunt secuti; & Ecclesia semper diversimode sensit.

Origo Paganismi. *Oration. I. ad Græcos. pag. 19. 20.*

II. Ad Paganismi originem quod attinet, S. Justinus tuetur, ex serpentis seductione, cujus caussa primi parentes Divinitatem spirarunt, originem repetendam esse impiæ opinionis pluralitatis Deorum: *Hæc ipsa est*, inquit ipse, de hac seductione loquens, *prima de diis falsa & mendax imaginatio, a falso & mendaci orta patre.* Tradit etiam inferius, ex his Scripturæ verbis: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: idolorum cultum profectum esse. Si quis & de statuis, inquit Pater iste, rationem ineat, unde accepta ansa primi Deorum vestrorum fabricatores; humana illos forma præditos judicaverint, id quoque illos reperiet ex divina historia didicisse. Nam cum Moysis historia ex persona Dei dicat: faciamus hominem secundum imaginem nostram, & similitudinem; quasi dictum esset, homines Deo forma similes esse, ita Deos suos fingere cœperunt: *A simili se facere rati.* Binæ hæ conjecturæ plausibiles sunt, & S. Justini ingenium manifestant.

Origo Idolorum. *Ibid. p. 32.*

III. Sicuti Pagani Sybillarum auctoritatem magnopere reverebantur, hinc S. Justinus ad earum vaticinia illos revocat, ut inanium deorum cultum respuant, ac Jesu Christi fidem amplectantur. *Credite*, ait illis, *antiquissimæ, & prisca admodum Sybillæ* (loquitur de Cumana) *cujus libri in universo extant orbe, de iis, qui dicuntur, non sunt autem, Diis ... docenti ... de futuro autem Servatoris Jesu Christi adventu, ac de rebus ab eo gerendis liquido & aperte vaticinanti.* Tradit paulo supra, hanc Babylone ortam esse ac filiam fuisse Berosi Chaldæorum historiæ scriptoris; ignotum autem fuisse, quo pacto in Campaniæ oras delata sit; atque ibi in urbe, quæ Cuma dicitur, Oracula edidisse. Vidimus cum in hac Urbe essemus, addit S. Justinus, locum quemdam, ubi sacellum maximum ex uno saxo excisum conspeximus, rem sane præclarissimam, & omni admiratione dignam, ubi sua illam oracula edidisse narrabant, qui hæc a majoribus, ut patriæ suæ propria acceperant. Narrat insuper, quod in medio sacello ostenderunt ei tria receptacula ex eodem excita saxo, quibus aqua repletis se lavare eam dicebant, & cum vestem resumpsisset, in intimam sacelli ædem secedere, ex eodem saxo excisam, ac in medio ædis sedentem excelso solio, tunc vaticinari. Nos vero hujusce narrationis veritatem ad examen minime revocantes, breviter animadvertimus, non ita certo constare, prout tuetur S. Justinus, Sybillas tam perspicue de Incarnatione locutas esse. Plures inter eruditos allatæ narrationis veritatem in dubium revocant, & contendunt insuper, versus Sybillinos, qui apud nos modo extant, suntque iidem qui extabant S. Justini ævo, ac aliorum Patrum, esse commentitios. Qui hac super re erudiri desiderat, Auctores consulat, qui ex professo de illis pertractant. Negativam partem uberrima eruditione, & validissimis argumentis tuetur Dominus Dupin (*b*): affirmativam tenet P. Crasset ex Societate Jesu in quadam Dissertatione de Sybillinis Oraculis (*c*). Auctor iste præter testimonia profanorum Scriptorum, & rationes, quas pro sua caussa adducit, utitur etiam innumeris auctoritatibus Patrum Græcorum ac Latinorum, uti sunt S. Clemens Papa, S. Justinus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, S. Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Lactantius, & multi alii posteriores Patres; necnon plures affert recentiores Scriptores. Sed his omnibus stipatus auctoritatibus, victoriæ, palmam, ut mihi videtur, Domino Dupin non præripit. Sed de hac re Disputatio penes Criticos sit.

II. SÆCULUM.

Sybillæ. p. 36. 37.

Sybilla Cumana. pag. 34. 35. & 36.

IV. Dissimulare haud possum, inter tot veritates pulcherrimas, egregiasque regulas, quas Senior, de quo supra locuti sumus, tradit S. Justino initio Dialogi cum Tryphone, quemdam contineri errorem circa animæ immortalitatem; quam senior iste a voluntate Dei deprehendere docet, ita ut anima immortalis non sit ex natura sua; qua quidem in re refutare contendit Platonem, qui aliter, at melius, de natura animæ sentiebat: Neque etiam (hæc sunt verba senioris) immortalis dicenda est anima; nam immortalis, etiam profecto ingenita: *Non ergo sunt immortales animæ.* Non tamen, prosequitur ipse, perire dico ullas animas; *lucrosum namque hoc esset revera malis.* Recte quidem hanc inferebat illationem. Quid igitur? ait insuper; Piorum quidem animas in meliori loco manere, iniquorum autem & malorum in deteriore, judicii tempus expectantes: *Hoc namque modo, quæ digna sunt ut coram Deo appareant, non moriuntur amplius; illa autem excruciantur, quoad eas & esse, & excruciari vult Deus*: Hancque hujusce paradoxi rationem adducit, quia animæ ex natura sua non sunt immortales. Quæcumque enim post Deum sunt, inquit ipse, aut erunt aliquando, ea naturam habent corruptioni obnoxiam, ac talia sunt, ut aboleri possint, ac jam nulla esse. Solus enim Deus est, qui nec genitus sit, nec corruptioni obnoxius: *Et propterea Deus est.* Reliqua vero omnia, quæ post eum sunt, genita, & corruptioni obnoxia: *Quæ de caussa animæ & moriuntur, & puniuntur ..... Vitam vero anima participat*, ait insuper, *quoadusque eam vult Deus vivere: ea videlicet aliquando non participabit, cum eam vivere nolet.* Vehementer optarem purgari posse phrases hujusmodi, sed quo pacto id, etiam probabiliter, fieri possit, minime video: hinc nequeo quin credam, ex allatis modo textibus, & pluribus aliis quos perlegi, hunc Seniorem pro certo habuisse, animam immortalem esse ex gratia, non autem ex natura sua: quod sane errorem sapit non parum perniciosum quoad aliquos Religionis contemptores. Hinc haud irrationabiliter in sententiam Domini de Tillemont (*d*) adducimur, hunc Seniorem fortasse non fuisse quemdam ex his sacris Mini-

Error circa naturã Animæ. *Dialog. pag. 222. & 223.*

pag. 224.

(*a*) Genes. cap. 6. vers. 2.
(*b*) Tom. I. Biblioth. pag. 49. 50. & seqq. usque ad pag. 62.

(*c*) Hæc Dissertatio extat in parvo quodam libro in 12. Parisiis edito apud Michalet, ann. 1678.
(*d*) Tom. II. Histor. Ecclesiast. pag. 384.

II. Sæculum. Ministris, quos Deus pro hominum salute mittere solet, Angelum videlicet, aut illustrem quemdam virum a Cœlo delapsum pro Conversione S. Justini: Dicendum potius, hunc fuisse aliquem Christianum calentem utique Christianæ Religionis principia, sed aliqua adhuc Paganæ philosophiæ opinione imbutum; quod sane commune erat primis illis Ecclesiæ temporibus. Quod quidem non impedit, potuisse Deum Senioris hujus ministerio in S. Justini corde Religionis Christianæ desiderium accendere, a qua Religione alienum non gerebat animum ille, qui tam vehementer amabat ac inquirebat veritatem, sicuti initio sui Dialogi manifeste tradit.

V. Videndum modo est, num S. Justinus huic errori subscripserit, necne. Id autem definire difficillimum est. Pro utraque parte rationes habentur: Si enim attendamus quanti faceret Sanctus iste Philosophus doctrinam illius senioris, opinari non immerito possumus, eum reipsa hanc opinionem ex veneratione erga ejus auctoritatem adoptasse: *Revolvens ipse mecum*, ait ille, *disputationem illius (senis) hanc ipsam solam comperi esse certam neque utilem Philosophiam*. Reponet fortasse aliquis sermonem hic fieri in genere de doctrina hujus senioris, nec approbato, nec damnato præcise errore in controversiam posito: sed huic responsioni obstat, quod Tatianus, qui erat S. Justini Discipulus, aperte definit, ut inferius suo loco videbimus, animam non esse immortalem ex natura sua, & senioris Doctrinam Echo ad instar repetit. Hæc sunt quæ citcirer adversus S. Justinum objici possunt. Ex alia autem parte Opinio isthæc sociari nequit cum his quæ

Apolog. II. pag. 57. tradit de æternitate tormentorum inferni: *Torqueri*, inquit ipse in secunda Apologia, *in igne æterno, qui injuste, absque resipiscentia, & morum mutatione, ætatem transigunt, credimus*. Id solum vos potestis, inquit ille ad Imperatores, vitam scilicet nobis præripere, ut superius diximus; quod quidem nobis nocere nequaquam potest: Vos autem, & illos omnes, qui nos sine caussa oderunt, & sunt absque resipiscentia,

Ibid. p. 83. æterna supplicia in igne inferni manent: *Cruciatus per ignem æternos*. Loquens alibi Sanctus Philosophus de duplici Jesu Christi adventu, ait de secundo, quod Salvator noster dignorum corpora induet incorruptio-

pag. 87. ne: *injustos autem in perpetuo sensu, una cum malis geniis in ignem mittet sempiternum*. In omnibus his locis aperte loquitur S. Justinus; cujus doctrina, dicam iterum, sociari nequit cum his quæ de anima senior docet. Peritioribus autem hujus quæstionis solutionem relinquo, ne longius quam par est progrediatur Oratio.

VI. Duo, quæ attente considerari debent, tradit S. Justinus de fine Mundi. 1. hujus finis dilationem

Mundi interitus. Apolog. I. pag. 45. Christianis tribuit: *Quocirca Deus confusionem & interitum totius mundi .... fieri nondum permittit propter semen Christianorum*. 2. Addit, quod si Christiani non essent in Mundo, ignis de cœlo descenderet, & universum consumeret: *Absque eo enim si esset (Mundus), descendens judicii ignis omnia propalam judicaret*. Ex quo infertur, per ignem mundum debere consumi, quod etiam clarius colligitur ex sequentibus verbis: *Ita namque & nos exustionem futuram esse dicimus*. Addamus huic articulo quæ docet S. Justinus de reali existentia pœnarum inferni, & momenta quibus

Realitas pœnarum Inferni. Ibid. p. 47. id probat in prima sua Apologia. Si quis dicat, inquit ipse, strepitus inanes esse, ac terricula, quæ de improborum in igne æterno cruciatibus dicimus, sicuti nonnulli Religionis osores venditare possent, paucis respondebo: *Hoc si non sit*, verba sunt Sancti Philosophi, *neque Deum esse; aut, si sit, nihil illi curæ esse res humanas*: quin immo sequeretur insuper, ait ille, nec vitium, nec virtutem esse, & injuste legislatores pœnis afficere eos qui leges transgrediuntur: *Atque nec virtutem esse, nec vitium, & injuste .... legislatores, eos, qui honestatem constitutionibus ordinatam transgrediuntur, pœnis afficere*.

VII. Inter errores, in quos lapsus est S. Justinus, primum tenet locum opinio Millenariorum, quam ambabus amplectitur ulnis in suo Dialogo. In hoc situs

Error Millenariorum. Dialog. pag. 306. & 308. erat error iste, quod credebat S. Justinus, post secundum Jesu Christi adventum debere omnes justos resurgere, & una cum Jesu Christo terram incolere; Hierosolymorum locum instaurari debere, ac populum justorum congregari, & cum Christo beate vivere, minime amata filiorum generatione, ac ipsa etiam morte, sicuti eruitur ex Isaiæ verbis, quæ S. Justinus recitat in suæ opinionis patrocinium; post mille vero annos futuram æternam ac universalem omnium hominum resurrectionem; & tunc compleri debere sermonem Domini, qui pronuntiavit; *Neque nubent, neque nubentur; sed æquales Angelis erunt, cum sint Filii Dei resurrectionis* (a). Opinio hæc, licet absurda nunc nobis videri possit; nihilominus plures habuit sectatores, inquit D. Hieronymus (b), ex insignioribus Ecclesiæ Viris, & ex Martyribus eam Scripturis inniti putabant veteres, & pluribus Prophetarum testimoniis, & ipsa etiam Apocalypsi litteraliter intellecta, quam Apocalypsim opus esse D. Joannis Apostoli fatetur S. Justinus. Sic enim Isaias, inquit vetustus iste Pater, de hoc mille annorum spatio locutus est: *Erit enim cœlum novum, & terra nova*, & reliqua, quæ S. Justinus in cap. 65. hujus Prophetæ legebat. *Novimus quoque*, addit ille, *dictum illud, quod dies Domini sit sicuti mille anni* (c) *huc pertinere. Et vir apud nos quidam, cui nomen erat Joannes, e duodecim Apostolis Christi unus, in ea quæ illi exhibita est revelatione* (d), *Christi fideles nostros, annos mille Hierosolymis peracturos esse prælocutus est; ac postea universalem, & .... sempiternam omnium unanimiter simul resurrectionem & judicium futurum*. In dubium itaque revocari nequit, S. Justinum reipsa adoptasse errorem Millenariorum una cum aliis veteribus, qui sive ante, sive post floruere.

VIII. Observandum vero hic venit, quod licet Sanctus Philosophus huic adhæreret opinioni, quam in Scripturis per ipsam Traditionem intellectis, contineri credebat; nihilominus uti fidei articulum, cui credendo fideles omnes adstringantur, eam non tuebatur. Quæ modo afferam veteris hujus verba, id clarissime comprobant. *Confessus sum tibi*, ait ille ad Tryphonem, *& antea me quidem & alios plures eadem mecum sentientes arbitrari id .... futurum. Multos vero etiam, qui puræ piæque sunt Christianorum sententiæ, hoc non agnoscere tibi significavi*. πολλοὺς δὲ αὖ καὶ τῶν τῆς καθαρᾶς καὶ εὐσεβοῦς ὄντων χριστιανῶν γνώμης, τοῦτο μὴ γνωρίζειν ἐσήμανά σοι. Certe S. Justinus tanta moderatione & modestia de adversariis suæ opinionis locutus non fuisset, si eam veluti fidei veritatem habuisset, cui refragari Christiani non possent. Obiter notandum hic volumus, multos hos sanæ & religiosæ doctrinæ Christianos, πολλοὺς τῆς καθαρᾶς καὶ εὐσεβοῦς γνώμης, quos D. Justinus sibi adversantes fatetur, diluere posse difficultatem, quam objiciunt Novatores ab exemplo Millenariorum desumptam adversus auctoritatem Traditionis, eamdem hoc pacto evertere autumantes: satis superque erit si reponamus, nos dum defendimus Traditionis auctoritatem, non proponere ut infallibiles singulas cujusque Patris peculiares opiniones; sed solum veritates illas, quas aut unanimiter docuerunt omnes, aut docet sanior eorumdem pars, quæque deinceps Ecclesiæ judicio probatæ sunt: quod sane nullo pacto dici potest de opinione Millenariorum.

IX. Quæ tradit S. Justinus de Millenariorum regno, ex eo fluunt, quod credebat, non ingredi animas cœlum statim ac ex mortali hoc sæculo decesserunt, sed solum admitti debere in æternam illam requiem post universalem omnium hominum resurrectionem. Idipsum revera docet immediate post opinionem Mille- Error circa Animarum statum post præsentem vitam. pag. 307. & 333.
nariorum, ac confirmare contendit doctrinam suam exemplo Samuelis, cujus animam, ut ipse ait, Pythonissa evocavit ab inferis, videlicet a Limbo (quod idem sonat apud nos in præsenti casu;) & ab illo exemplo illationem hanc infert, quæ æque erronea est: animas scilicet Justorum & Prophetarum post præsentem vitam cadere sub potestatem Dæmonum; & debere nos Deum orare ac obtestari, ut post mortem nos liberet ab eo infortunio; quoniam Christus suo exemplo nos præcucurrit, qui spiritum in Cruce reddens, in Patris manus eum commendavit: *Animas enim* hæc sunt S. Justini verba, *superstites manere, etiam eo demonstraverim, quod & Samuelis animam ventriloqua Pythonissa, ita ut Saul petierat, evocavit. Apparet autem ad eum modum omnes animas virorum justorum, & Prophetarum sub potestatem ejusmodi virtutum cadere, qualem & in ventriloqua illa fuisse rebus ipsis declaratur. Quapropter & sic nos per Filium quoque suum Deus, ac migraturi ex hac vita oremus ne anima nostra sub talem aliquam virtutem cadant, docere videtur: nam spiritum in Cruce reddens Christus dixit: Pater, in manus tuas depono spiritum meum*.

X. Mirari utique possumus, clarissimum hunc Patrem in illos impegisse errores: observantiam autem venerabili ejus auctoritati debitam imminuere exinde non possumus; & hic præcipue locum habet quod tradit illustris iste christianus Philosophus in suo Dialogo

(a) Luc. cap. 20. vers. 35. 36.
(b) In cap. 19. Jerem.
(c) Psal. 89. vers. 4.
(d) Apocalyps. cap. 20. vers. 6.

II. SAECULUM.

logo cum Tryphone; quod non debemus scilicet attendere alicujus Auctoris aliquem textum, qui nobis non arridet, aut, prout oportet, non percipitur a nobis; sed innumeras veritates, & mirabilia effata, quæ delere deberent aliqua quæ occurrere possunt haud satis castigata verba: *Plurima illic pulchre dicta*, ait ille ad Tryphonem, & ad cæteros qui Dialogo intererant Judæos, *nihil curatis, pauxillam autem dictionem arripitis*. Egregium hoc principium ad rem nostram accommodari facile potest: Innumera quæ attulimus D. Justini pulcherrima loca, & quæ inferius circa mores afferemus, dissimulationem nostram promerentur, si opiniones aliquas peculiares, vel errores offendamus, in quos prolapsus est doctus iste Ecclesiæ Pater ex adhæsione quandoque nimis litterali Scripturarum vocibus, & ex insolito erga veterum Traditionem obsequio. Ex his itaque defectibus scandalum nemo sumat; sincere quippe locutus est semper, & bona fide, nunquam autem ex malitia aut fraude. Erroribus immunem S. Justinum non traduco; eum excusatione dignum esse unice contendo.

Dialog. Pag. 343.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

I. CUm prolixo sermone exarata sint quæ docuit S. Justinus circa Dogma, æquum ducimus strictim ea proponere quæ mores respiciunt, hinc ea solum seligimus quæ necessaria magis nobis visa sunt, & ad Christianorum ædificationem aptiora. A præsentia Dei, (uti eam appellant vitæ spiritualis Magistri) exordium sumimus; ab illa scilicet constanti persuasione, quam omnes Christianos habere decet, quod Deus omnia scit, omnes secretiores cordis nostri sinus penetrat, ac nihil ei est occultum. *Putamus*, inquit S. Justinus, *nullum apud Deum celatum esse posse, non maleficum, aut avarum & insidiatorem, aut etiam virtutis studiosum virum*. Si hæc, inquit ille paucis interjectis, cognita omnibus hominibus essent, nemo vitium ad breve tempus eligeret, cum se ad æternam ignis condemnationem projici sciret; sed sese omnino contineret, ac virtute exornaret, tum ad bona, quæ a Deo promittuntur, consequenda, tum ad fugienda supplicia.... *Atqui si nossent*, inquit insuper, *& persuasum haberent, impossibile esse Deum latere quidquam, nedum factorum, sed ne cogitatorum quidem, vel propter impendentes pœnas, omnino essent in officio*. Itaque perfecta morum integritas a persuasione essentialis hujus veritatis dependet, Deo scilicet omnia innotescere, & occulta cordium eum latere non posse. Mirum igitur non est, Gentiles in immanioribus ac obscœnioribus vitiis & corruptione vitam peregisse. Nullum est crimen, quod patrare non valeat homo, Dei sui oblitus, nihilque animam movet quæ hac cæcitate laboret. Dicamus igitur, ad ignominiam nonnullorum nostri ævi Christianorum, quod eorum vita in vitiis enutrita, non ab ignorantia moralis hujus principii ortum habet, sed ex eo, quod attente illud non meditantur.

Præsentia Dei. Apolog. II Pag. 59.

II. Pium est ac laude dignum quod docet S. Justinus de morum mutatione, quæ admirantibus omnibus, in iis apparebat, qui Christianæ Religioni nomen dabant: *Qui olim stupris lætabamur*, inquit Sanctus Philosophus, *nunc castitatem solam complectimur. Qui pecuniarum, & possessionum fructus ac proventus præ rebus omnibus adamabamus, nunc etiam ea quæ habemus in commune conferimus, & cum indigentibus quibusque communicamus. Qui & cædibus mutuis inter nos grassabamur, & pro consuetudine recepta, cum eis qui tribuli nostri non essent, communem focum non habebamus; nunc a Christi apparitione familiariter simul vivimus, & pro inimicis oramus, & qui nos persequuntur odio, suasionis flectere conamur, ut secundum honesta Christi præcepta vitam agentes, bonam spem habeant, eadem se nobiscum a Deo .... esse consecuturos*. Hæc erat felix mutatio, quam producebat tunc temporis Christianæ fidei professio, & ex hac mutatione Christiani veri a falsis Christianis secernebantur: *At enim*, ait S. Justinus, *qui non ita vivere comperiuntur, sicut ille docuit (Christus) certum id documentum est, non esse Christianos, quamvis doctrinam Christi lingua profiteantur*: Paucissimos igitur adinvenire est hodie veros Christianos, cum inter eos ferme nulli sint, qui vitam ac mores divinis Jesu Christi documentis conformare studeant.

Morum mutatio in iis, qui Religionem Christianam amplectebantur. Ibid. p. 61.

Pag. 63.

III. Nec minoris sunt pretii quæ tradit S. Justinus de veterum Christianorum sinceritate. Ostendit paganis, quod liberum esset fidelibus dissimulare, aut negare se esse Christianos, quando de hac re interrogantur; sed tanto horrore prosequuntur mendacium, quod malunt mori quam mentiri: *Sed vivere nolumus mendaciter quidquam loquentes*. Et in Dialogo cum Tryphone, *Nos autem*, inquit Pater iste, *veritatis universa disciplinam consectantes, operibus ipsis, & cognitione, ex animo, ad mortem usque illum colimus*. Vos autem, si verum fateri vultis, addit Sanctus Martyr paulo infra, non negabitis, nos fideliores Deo esse, quam vos; nos, inquam, qui per abjectum, & probri plenum Crucis mysterium vocati, supplicia perferimus: *Quæ eo usque perferimus, ut ne voce quidem Christum abnegemus*. Id sane absque adulatione dici nequit de nostrorum temporum Christianis: & si paucissimi modo sunt, qui Jesum Christum ore negent, dum in plenitudine pacis sedet Ecclesia; innumeros tamen videmus, qui corde & opere eum negant; excelsam Religionis Christianæ sanctitatem vitiis omnibus maculantes, & Gentilium vita viventes.

Sinceritas Christianorum. Ibid.

II. SAECULUM.

Dialog. pag. 318

Ibid. P. 260.

IV. Vehementer commendat etiam S. Justinus veterum Christianorum animum a mundo distractum. Eos vocat perfecte a mundi bonis alienos, ac ad cœlum solummodo tendere dicit; & occasione calumniæ iis impactæ, quod imperium spirarent, & sæculare dominium, gloriosum hoc de illis reddit Sanctus Philosophus testimonium. Vos autem, ait ille ad Paganos, cum regnum a nobis expectari auditis, humanum perperam suspicamini, cum illud, quod cum Deo est, dicamus. Ex eo autem id probat S. Justinus, quod interrogati faterentur se esse Christianos, quamvis mortis pœnam confitenti positam esse scirent. Nam si humanum regnum expectaremus, sequitur Pater iste, negaremus profecto interitus vitandi caussa, & latere conaremur, ad ea quæ expectamus consequenda: *Sed quia spes nostra non in rebus præsentibus fixas habemus, peremptores nihil moramur; præsertim cum moriendum nobis esse sciamus*. Conjicimus ex his, firmissimam veterum fidelium constantiam, ac magnanimum cruciatuum & necis ipsius contemptum, veluti ex natura sua profluxisse ab animo a terrenis rebus omnino sejuncto. Absque dolore totum id semper relinquitur, cui animus non adhæret. Quodnam igitur judicium erit efformandum de mortalibus terroribus, quos excitat mortis aspectus in omnibus ferme nostri ævi Christianis?

Christianorum animus a Mundo distractus. Apol. II. P. 58. 59.

V. Eadem de caussa Sanctus Philosophus refutat cæteras calumnias puritati ac innocentiæ suorum fratrum malitiose impactas. Ait ille, quod cum adhuc esset Gentilis, & Platonis doctrina delectaretur, de criminibus in Christianos conjectis audiebat; eum vero eos ad mortem, & ad alia omnia, quæ videntur metuenda, impavidos cerneret, fieri non posse intellexit, ut in nequitia, & in voluptatum amore viverent: *Statui ipse mecum*, inquit, *fieri haudquaquam posse, ut illi in vitiorum pravitate, & voluptatum amore viverent*. Tale ratiocinium instituebat S. Justinus dum adhuc in Gentilium erroribus versabatur; liber tamen erat a præoccupationibus falsæ illius Religionis. *Quis etenim*, ait eruditus iste Christianorum defensor, *voluptatis consectator, aut per animi impotentiam intemperans, & humanarum carnium dapes pro bono ducens, mortem libenter complecti queat, ut bonis suis seipsum privet? ac non potius modis omnibus, ut hanc sibi continenter vitam agere, & celando Principes, & Magistratus fallere liceat, operam navet: nedum per denuntiationem & judicium seipsum cædi offerat?* Hæc quidem evidenter ostendunt innocentiam veterum fidelium; & dicamus oportet, Gentiles præoccupatos fuisse, & injusto odio accensos adversus innocuas has victimas, si ratiocinii tam naturalis ac efficacis vim persentire noluerunt.

Christianorum constantia erat validissima refutatio calumniarum ipsis impactarum. Pag. 50.

Ibid.

VI. Tanta D. Justino inerat persuasio, calumnias esse quæ contra fidelium famam disseminabantur, quod libere ac magnanime declarat Imperatoribus, apud quos Christianorum patrocinium susceperat, se gratiam non deposcere, sed rigidiorem justitiam. Dicit, Christianos puniri non posse, nisi prius ut improbi convicti fuerint. *Oramus*, ait insuper magnopere fidens de innocuis fidelium motibus, *ut quæ ipsis objiciuntur, crimina inquirantur; atque si ita se habere probata fuerint, pro eo, atque par est, puniantur, seu potius acrius etiam puniantur*. Idipsum repetit inferius, rogatque, ut Christianos puniant, si quos adinveniant præcepta Christi violantes: *Cæterum eos, qui minus consentaneam præceptis ejus (Christi) agunt vitam .... a vobis quoque puniri rogamus*. Dicamus oportet, satis superque tutum fuisse Sanctum hunc Christianorum defensorem, de eorumdem sanctitate ac innocentia, cum Christiani nominis persecutores eo pacto provocare auderet. At Christiana probitas generosa est, eamque comitatur sancta quædam audacia, fidentiaque magna, etiam cum inter pericula majora

Quantum confideret S. Justinus de Christianis. Apol. II. Pag. 54.

Ibid. p. 64.

versa-

II. SÆCULUM.

verſatur ; & vitiorum ſolummodo proprium eſt trepidare ac palleſcere.

VII. Ut in particulari reſpondeat S. Juſtinus criminationi carnalium vitiorum, oſtendit apertam hujus calumniæ injuſtitiam, quæ viros reſpicit, qui peccata ducebant vel minima deſideria carnis. Et ut majori vi calumniam illam refutet, *Permulti profecto*, ait ille, *ſexus utriuſque & ſexaginta & ſeptuaginta annos nati, qui a pueris Chriſti diſciplinam ſunt aſſecuti, incorrupti & cælibes perdurant ; & glorior, me per omne genus hominum (noſtrorum) tales commonſtrare poſſe .... Quin omnino*, teſtatur aliunde, *vel matrimonium non aliter contrahimus, niſi liberorum creandorum, atque educandorum gratia ; vel conjugium detrectantes, perpetuo nos continemus.* Jamque noſtrorum quidam, addit inſuper S. Juſtinus, ut vobis perſuaderet non eſſe myſterium apud nos promiſcuum concubitum, obtulit libellum Felici Alexandriæ Præfecto, rogans ut medico licentiam daret teſtes ipſi reſecandi: id enim ſine Præfecti licentia facere interdictum ſibi illius urbis medici dicebant. Sed cum Felix omnino ſubſcribere noluiſſet, adoleſcens in continentia & virginitate permanens, ſua, & eorum, qui idem ac ipſe ſentiebant, conſcientia contentus fuit. Talis erat veterum fidelium puritas.

Puritas, & Cælibatus veterum Chriſtianorum. pag. 62. pag. 71. Ibid.

VIII. Nec minorem præſtat ædificationem quod docet Sanctus iſte Philoſophus de fidelitate veterum Chriſtianorum erga ſæculares poteſtates: *Proinde nos ſolum Deum adoramus*, ajebat illuſtris hic Martyr cum Imperatoribus verba faciens, *& vobis in rebus aliis læti inſervimus. Imperatores, ac Principes homines eſſe profitentes, & ſimul precantes, ut cum imperiali poteſtate, ſanam quoque mentem obtinere comperiamini.* Eis repræſentat etiam paulo ſuperius, Chriſtianos eſſe omnibus ſubditis fideliores, diligentioreſque in ſolvendis vectigalibus, ac collationibus, exactoribus ordinatis: *Vectigalia ſane & collationes eis, qui a vobis ſunt ordinati exactoribus, præ omnibus ubique inferre contendimus: quemadmodum ab eo (Chriſto) ſumus inſtituti.* Hæc peragebant Chriſtiani erga crudeliores Catholicæ Religionis hoſtes: & ſi quandoque procedentibus ſæculis diverſam inierunt viam; ſi fideles nonnulli Chriſtianis Principibus obedientiam & fidelitatem eis debitam denegarunt ſub prætextu quod ab Eccleſiæ communione eſſent ſeparati ; abuſus eſt, qui excuſari nequit, & divinæ humanæque legi obſtat ; cum excommunicatio, quamvis juſte lata, Principem ſua auctoritate non privet quam a Deo tenet; idcoque eximere non poſſet ſubditos a fidelitate ei debita.

Fidelitas Chriſtianorū Principibus inſerviētiū. pag. 64.

IX. Alio loco S. Juſtinus memoriam noſtrorum Patrum commendat, dum cauſſam tradit, qua tormenta læti ſubibant pro nomine Jeſu Chriſti: *Dum ita cædimur*, inquit pius iſte Philoſophus, *lætamur: perſuaſum habentes, quod excitaturus nos ſit Deus per Chriſtum ſuum, incorruptibileſque & impaſſibiles, & immortales redditurus.* Hoc probat ſinceritatem eorum fidei. Quoniam vero de Martyribus loquimur, operæ pretium erit ea hic afferre, quæ docet S. Juſtinus de miris effectibus eorum tormentorum: *Quanto magis*, ait in eodem Dialogo, *ejuſmodi quædam in nos expediuntur tormenta, tanto alii plures fideles, & veræ Religionis per nomen Jeſu ſiunt cultores*: idque probat exemplo vitis, quæ frugiferos palmites producit, prout exciditur: *Quemadmodum enim ſi quis vitis exſcidat fructificantes partes, ut palmites, qui alios floridos & frugiferi producant ramos, illa proferat, ſuccreſcit; ita in nobis quoque accidit.* Id igitur verum eſt, quod poſtea eruditus ſcripſit Tertullianus; *Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum.*

Spe Reſurrectionis lætabantur Martyres. Dialog. pag. 265.

Miri effectus tormentorum Martyrum pag. 265.

X. Pulcherrimum veterum fidelium elogium habemus in Epiſtola ad Diognetum. Primi Chriſtiani a cæteris hominibus, juxta hunc Auctorem, fide ſecernebantur, patientia, charitate, & animo a terrenis rebus perfecte diſtracto. *Omnia*, inquit ille, *cum aliis communia habent, tamquam cives, & omnia patiuntur tamquam peregrini. Omnis peregrina regio patria eſt eorum; & omnis patria eſt peregrina .... In carne ſunt, ſed non ſecundum carnem vivunt. In terra degunt, ſed in cælo politiam ſuam habent. Obſequuntur legibus quæ ſancitæ ſunt, & ſuo vitæ genere leges ſuperant. Amant omnes, & omnes illos perſequuntur .... Mendici ſunt, & multos ditant; rebus omnibus indigent, & omnia illis redundant. Dedecorantur, & inter dedecora glorificantur; eorum fama laceratur, & juſtitiæ eorum teſtimonium perhibetur.*

Pulchrum elogium Chriſtianorum. Epiſt. ad Diogn. Pag. 497.

XI. Quod eſt in corpore anima, addit Auctor iſte, hoc ſunt in mundo Chriſtiani. Diſperſa eſt per omnia corporis membra anima ; & Chriſtiani per mundi civitates (diſperſi ſunt :) Habitat quidem in corpore anima, ſed non eſt e corpore ; ſic & Chriſtiani in mundo habitant, ſed e mundo non ſunt. Odio proſequitur animam caro, & bellum ei movet nulla affecta injuria, quod voluptatibus frui prohibeatur : odio proſequitur & mundus Chriſtianos, nulla affectus injuria, quoniam voluptatibus repugnant. Anima carnem amat quæ ipſam odit, & (amat) membra : ſic etiam Chriſtiani amant oſores. Incluſa quidem eſt anima corpore, ſed ipſa corpus conſervat : ſic & Chriſtiani detinentur quidem in mundo, tamquam in cuſtodia ; ſed ipſi mundum conſervant. Dicit tandem, quod numerus Chriſtianorum augetur, prout ſuppliciis afficiuntur, ſicuti melior fit anima in corpore quod male tractatur: *Anima, dum cibo & potu male tractatur, fit melior ; & dum Chriſtiani ſuppliciis afficiuntur quotidie, numerus eorum creſcit. Non vides*, ait inſuper ad Diognetum, *quo plures qui ſuppliciis afficiuntur, tanto majorem aliorum eſſe numerum? Hæc non videntur ab homine fieri; hæc ſunt Dei potentia; hæc adventus ejus indicia.*

Sequitur idem elogium. Ibidem. Pag. 498. Pag. 499.

XII. Epiſtola ad Zenam & Serenum pulcherrima multa continet circa veri Chriſtiani vitam. 1°. Auctor iracundiam vetat veluti perniciosiſſimum vitium ; & cum fratrum noſtrorum, ſi quando in aliquos defectus labantur, correctionem permittit, id peragi vult abſque paſſione, odio, aſperitate ; arguitque hac ſuper re zelum præter modum elatum illorum hominum, qui Evangelium propriæ ſeveritati immoderate accommodare volentes, univerſum orbem libenter damnarent, immo, quantum in eis ſitum eſt, condemnant. *Jam vero & quoſdam ſcimus*, ait ille .... *quibus ſi poteſtas ea obtigiſſet, ut nonnullos gehennæ traderent, orbem quoque univerſum conſumpſiſſent ; quin illi, quantum in eis ſitum eſt, & condemnant, & ignis tamen appetunt.* Hic eſt nonnullorum ſubtilium devotorum character ; ſed ille nunquam fuit Chriſtianæ Religionis ſpiritus. Vera pietas ſuffert, ac omnes homines ſalvos vellet : falſa juſtitia plena eſt indignatione, & omnes homines vellet igne abſorptos.

Adverſus Iracundiam. Epiſt. ad Zen. & Seren. Pag. 504.

XIII. 2°. Idem Auctor, pulcherrimam hanc docet veritatem, quæ omnium cordibus profunde inſculpi deberet: *Caro enim prorſus ſumus, nec quidquam in nobis habitat boni*, σάρκες γὰρ ἀληθῶς ἐσμεν, καὶ οὐδὲν ἡμῖν ἀγαθὸν ἐνοικεῖ ; atque inde naturalem hanc infert illationem, quod ad Divinum noſtrum Medicum recurrere debemus : *Advocandus igitur ad curam medicus* ; ac ſpondet iis qui id ſentiunt, ſuarum infirmitatum ſalutem, & præſervationem a morbis animæ : *Et quæ ita animatus fuerit, ſanabitur, & morbum effugiet.* Hoc pacto reipſa poſſumus noſtris infirmitatibus mederi, atque a ſpiritualibus morbis noſipſos tueri : Noſtrum nihilum præ oculis habentes, profunde humiliari debemus, ac ad divinum noſtrarum animarum medicum recurrere. Si Deus ſuperbis reſiſtit, iiſque denegat gratias, humilibus illas abunde impertitur.

Hominis Infirmitas. pag. 505.

XIII. 3°. Vult ut Chriſtiani utantur cibis ad ſolam neceſſitatem, aut ad aliquam utilitatem, non autem ad delectationem. *Alimentis utendum, non delectationis cauſſa, ſed ut vivere poſſimus ad uſum, utilitatemque aliquam.* Et ſi contingat, quod egeſtas nos comprehendat, vult ut æquo animo in paupertate ſimus. Ratio quam illico adducit eſt, quia non ſumus de hoc mundo. Magnam præſcribit in cibo ac potu moderationem: *Aqua neceſſitatis eſt*, ait ille, *vinum juvandi corporis gratia conceſſum.* Nec minus efficaciter vetat in cibis exceſſum, illumque ſolum cibum concedit, qui ad vitam neceſſarius eſt : *Fugienda non minus guloſitas, & pauciores cibos ac neceſſarios dumtaxat ſapiendas.* Ad eos quod attinet, qui cauſſam aliquam pro diſpenſatione ab his regulis obtinenda quærere poſſent, morbum fingentes corporeum, declarat id non excuſare ; ſecus excuſandi forent qui mœchantur, homicidæ, ac cæteri peccatores. Vera igitur excuſatio non datur pro his, qui intemperantiæ ſtudent.

In quo ſpiritu alimentis utendum. pag. 506. Paupertas æquo animo toleranda. Ibid. Moderatio in cibo & potu. Ibid.

XV. Remanent modo afferendi duo articuli ex Epiſtola ad Zenam & Serenum : primus eſt adverſus curioſitatem. *Qui bene vult vitam peragere*, inquit Auctor hujus Epiſtolæ, *neque videre multa, neque audire ſtudeat ; neque etiamſi audiat aut videat, tamen neque videre ſe, neque audire putet : nam inde tranquillitatis animi ſpecies initium ſumit.* Veritas hæc experientia comprobatur, nec ſatis amplificari poſſunt perturbationes ac damna, quæ producere ſolet curioſitas in hominibus. Articulus ſecundus modum reſpicit, quo cum mulieribus agendum eſt : *Cum mulieribus*, inquit Auctor ille, *attentione ſingulari eſt agendum. Et adeundum ad illas mente ſana, non ſtaulo & indulgentes nimium. Converſandum ergo*, concludit, *cum illis firmo & præſenti animo.* Inſurgit alibi adverſus vanos earum ornatus, noſque admonet, ut facile mutabilem earum animum proſpiciamus : *Providenda etiam earum animi ad mutabilitatem propenſio.* Notabiliora hæc ſunt, quæ perlegi in D. Juſtino circa dogma & mores. Antequam autem a Patre hoc recedam,

Adverſus Curioſitatem. pag. 506. Cum mulieribus conſiderate tractandum. Pag. 508. De earum mutabilitate diffidendum. Pag. 513.

II. SÆCULUM.

dam, nonnullos afferam ex ejusdem Scriptis textus, quos lectoribus gratos futuros confido.

Qua morte decessit Isaias. Dialog. pag. 349.

XVI. Primus est de genere mortis, qua decessit Isaias Propheta. Sanctus Philosophus tuetur in suo Dialogo, quod Judæi dissecuerunt hunc Prophetam lignea serra: *Quem (Isaiam)* ait ille, ad Tryphonem loquens cæterosque Judæos, *serra lignea dissecuistis.* Et hoc significabat juxta vetustum hunc Patrem, quod Christus dignaturus erat regno æterno aliquos Judæorum, alios vero in ignem æternum missurus: *Quod & ipsum Sacramentum est*, ait Pater iste, de morte Isaiæ loquens, *Christum bifariam genus vestrum concisurum esse; atque alios quidem .... regno æterno dignaturum; alios autem .... ad condemnationem ignis inextinguibilis missurum.*

Mira circumstantia in XL. annis peregrinationis Israelitarum in deserto. Ibid. pag. 361.

XVII. Secundus miram nos docet circumstantiam circa quadraginta annos, quos Israelitæ transegerant in deserto. S. Justinus animadvertit in eodem Dialogo, ac Tryphoni significat, quod vestimenta juniorum Israelitarum, per quadragima illos annos creverunt una cum ipsis: *Sed juniorum quoque (vestimenta) una cum ipsis creverunt.* Prodigium hoc expresse non notatur in S. Scriptura; at mihi videtur conjici id posse ex modo vivendi Israelitarum toto eo tempore, quo in deserto commorati sunt, & præcipue ex verbis istis: *Non sunt attrita vestimenta vestra &c.* (a).

Socrates, & alii Gentilium Sapientes, Christiani juxta S. Justinum. Apol. II. pag. 83.

XVIII. Tertius respicit illos ex Gentibus, ut sunt Socrates, Heraclitus, aliique, qui ante Incarnationem vixerunt congruenter ad ea quæ dictabant naturalis ratio, ac Verbum Dei, hoc est, ut opinor ego, qui vixerunt juxta præcepta moralis Christianæ, quæ omnia in lege naturali fundantur. Contendit S. Justinus, viros hos Christianorum albo adscribendos esse, etsi Athei, ac nullius Religionis habiti sint: *Et quicumque cum ratione ac verbo vixere, Christiani sunt, quamvis ἄθεοι, & nullius numinis cultores habiti sint: quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus, atque iis similes.* Dominus Dupin (b) ait in hunc S. Justini locum, quod videtur, Sanctum hunc Philosophum non desperasse de salute, qui inter gentes vixerunt, solam habentes Dei notitiam, non vero Jesu Christi: & revera videtur, si soli huic textui stare velimus, hanc fuisse Sancti Philosophi mentem. Si vero eruditus hic Auctor attendisset alium primæ Apologiæ locum, aliter sensisset. Loquens enim S. Justinus de Socrate in illa, formaliter ait, hunc Philosophum aliquam Jesu Christi notitiam habuisse: *Qui (Christus) & a Socrate ex parte est agnitus.* Dici igitur nequit, quod S. Justinus velit Socratem salvare, nec probabiliter cæteros philosophos Socrati similes, sola habita Dei notitia, absque notitia Jesu Christi; & hoc esset contra veram ejus mentem eum loquentem inducere. Nec volo ego hanc S. Justini opinionem veluti infallibilem tueri, & facile sibi persuadere nemo potest, Socratem in omnibus rectam rationem secutum esse, & fidem quæ justificat habuisse.

Apol. II. Pag. 48.

Honores Simoni Mago tributi a Romanis, & Samaritanis. Apolog. II. Pag. 69.

XIX. Quartus est de cultu Simonis Magi inter Paganos. Noster Sanctus Martyr exprobat Romanis divinos honores huic impostori tribuisse, ac statuam illi erexisse latino hoc titulo notatam: *Simoni Deo Sancto.* Aliqui vero eruditi de veritate hujus facti dubitant. Addit Sanctus Philosophus, quod fere omnes Samaritani, & aliqui etiam ex cæteris nationibus divinos honores huic Hierarchæ tribuebant, nec non cuidam mulieri, cui nomen erat Helena, quam sociam habuerat, abduxeratque a Lupanari.

(a) Deuter. cap. 29. vers. 9.

II. SÆCULUM.

Quinam essent Salvatoris sermones. Apol. II. pag. 59.

XX. Quintus est circa Jesum Christum, cujus sermones tradit S. Justinus fuisse breves ac compendiosos; quippe non erat Sophista aut cavillator, addit ille, sed verbum ejus erat virtus Dei ipsius: *Breves ejus & compendiosi fuere sermones: non enim Sophista & cavillator exstitit, sed virtus Dei, ratio & verbum ejus fuit.* Ait etiam (quod notabile est) de eodem Salvatore, quod etiamsi homo tantum fuisset, sicuti nos sumus, nomen Filii Dei nihilominus promeritus esset propter singularem suam sapientiam. *At enim Filius Dei, Jesus dictus, etiamsi, communi aliorum more, homo tantum esset, propter sapientiam tamen, digne Dei Filius diceretur.*

Doctrina Christiana. Orat. II. ad Græcos. pag. 40.

XXI. Sextus qui & postremus respicit Doctrinam Christianam, circa quam S. Justinus hæc scribit in secunda Oratione ad Græcos. Accedite, ait illis, & sapientiæ incomparabilis participes estote: ac divinis sermonibus docemini, & Regis corruptioni non obnoxii notitiam capite: minimeque heroes istos agnoscite, qui cædes patrant in hominum turba .... O tibia pacifica animæ bello appetitæ! O gravium affectuum fugatorium instrumentum! O ignis animæ insiti extinctorium magisterium! O Doctrina cœlestis! *Quæ nos non efficis Poetas, non Philosophos reddis, neque Oratores excellentes, sed docens, ex morti obnoxiis immortales, & Deos ex mortalibus facis: e terra autem in ea loca transfers, quorum termini sunt ultra Olympum. Accedite Græci*, concludit S. Justinus, *docentem: estote ut ego, quoniam & ego eram ut vos.* Alibi etiam docet, quod quidquid Sapientes & Philosophi Gentilium, vere dixerunt, ac recte, id totum a Doctrina Christianorum repeti debet: *Quæcumque ergo apud omnes recte dicta sunt, nostra Christianorum sunt.*

Virtus veterum Christianorum supra Dæmones. Ibid. Pag. 45.

Dialog. Pag. 311.

XXII. At non memineram afferre memorabilem S. Justini textum circa potestatem ac virtutem, qua sui ævi Christiani Dæmonibus imperabant. Sanctus iste Philosophus in sua prima Apologia fidenter asserit, quod Christiani ejiciebant Dæmones, quos ejicere non poterunt incantatores ac venefici, inter gentes excellentiores; & perfecte sanabant energumenos per nomen Jesu Christi: quod sane portentum, non solum Romæ patratum esse dicit ille, sed per totum terrarum orbem ubi Christiani aderant: *Complures siquidem Dæmonum*, inquit, *internperiis correptos homines per orbem omnem, & hanc vestram urbem, quos alii adjuratores, & incantatores & venefici vestri curare non potuerunt, Christianorum inquam complures per nomen Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi, ejurantes sanarunt, atque etiam nunc sanant.* Idipsum repetit in suo Dialogo cum Tryphone, Judæosque provocat, ut eamdem exerceant potestatem in malignos spiritus per nomen suorum Regum, Justorum, Prophetarum, ac Patriarcharum; non negans tamen absolute, id posse illos peragere per nomen Dei Abraham, Isaac, & Jacob: *Cæterum si quis vestrum adjuret per Deum Abrahæ, & Deum Isaaci, & Deum Jacobi (nam et Christus est) fortasse subjicietur.* Verba hæc, *nam ie Christus est*, desiderantur in textu græco, & latina versione addita sunt ut facilius locus ille S. Justini intelligatur. Hæc sunt, quæ afferenda duxi ex Operibus nostri Sancti Philosophi; & ne Lectoribus displicerem, postrema hæc loca minime omittenda esse censui, cum non minorem præstent instructionem atque ædificationem, ac illa quæ superius attulimus circa Dogma, ac circa mores.

(b) Tom. I. Biblioth. pag. 161.

DO-

DOCTRINA ATHENAGORÆ

PHILOSOPHI CHRISTIANI

QUÆSTIONES PRÆMITTENDÆ.

DUO solummodo Athenagoræ Opera ad manus nostras pervenerunt: quorum primum est quædam Apologia ad Imperatores Marcum Aurelium, & Lucium Aurelium Commodum; secundum est quidam Tractatus de Resurrectione Mortuorum. Quamvis duo hæc Scripta ignota fuerint vetustis Scriptoribus Ecclesiasticis, & S. Epiphanius primus sit, qui Athenagoræ Apologiæ in hæresi Origenis mentionem faciat; nihilominus nemo est, qui commentitia asserat duo illa Opera; & nulla reipsa nobis suppetit ratio quæ id ostendit, si antiquorum Scriptorum Ecclesiasticorum silentium excipiamus: constat enim, in Eusebio, D. Hieronymo, & Photio altum de iis haberi silentium. Si hæc ratio autem impedire non potuit, quin Christiani veritatem horum Operum agnoscerent, nec nos morari debet, quin huic subscribamus opinioni. Ad calcem Operum D. Justini habentur duo hæc scripta: pulcherrima sunt; & rationum vis, ordo ac dispositio materiarum, perspicuitas & elegantia locutionis omnem promerentur Lectoris attentionem. Quantum in iis perlegendis delectatus fuerim, prout par est significare non valeo: confido autem, fore ut eadem perfundantur lætitia, qui in iis pervolutandis operam suam navabit, cum instructionem æque ac ædificationem præseferant. Ex eorum compendio mox afferendo poterit id quisque conjicere.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA.

§. I.

Sacra Scriptura.

VEtustus iste Christianus Philosophus tradit in utroque Opere suo innumeras essentiales veritates tam quoad Dogma, quam quoad Mores. Quoad Dogma declarat primo, quod Prophetæ, quando hominibus Dei jussu loquebantur, id efficiebant Spiritus Sancti impulsu, cum essent tunc temporis extra se, ac extra proprias cogitationes rapti: insuper quod Sancti Spiritus organa erant, ac ejus afflatu loquebantur, eodem ferme pacto, quo tibia afflatu tibicinis aliquid enuntiat: *Inspiratio Prophetarum. Apolog. pag. 9.* *Qui (Prophetæ)* inquit Pater ille, *extra se suasque cogitationes rapti, divini Spiritus impulsu, quidquid ille in ipsis efficiebat, eloquebantur: cum Spiritus eis, seu organis, uteretur, ut tibiis ad inflandum uti solet tibicen*. Nescio an aliquid aptius dici possit ad comprobandam immediatam Prophetiarum inspirationem. Dominus de Tillemont (*a*) aliqua vestigia Montanismi in allato textu adinveniri veretur: at nullo negotio purgari potest hac super re Sanctus noster Philosophus, & ostendi, Prædecessorum suorum Doctrinam, immo & verba eum secutum fuisse. Dominus de Tillemont fatetur & ipse, quod neque Scultetus neque Dominus Dupin tradiderunt, in malo sensu intelligi posse verba ista. Sanctus Philosophus docet præterea alibi, quod Ethnici Scriptores veram Dei notitiam minime habuerunt; eo quia in hujus notitiæ inquisitione plus æquo propriis cognitionibus ac proprio discursui detulerunt, ac divinum lumen petere neglexerunt: *At nos*, addit ipse, *sententiæ, fideique testes habemus Prophetas qui Spiritu divino, de Deo, rebusque divinis differuerunt*.

§. II.

Deus,

SAne a divinis his fontibus pius iste Philosophus hausit quidquid de Deo scribit. Rationibus, ac Scripturarum auctoritate ostendit, quod haberi nequit *Unitas Dei, & reliquæ absolutæ ejus perfectiones. Apolog. pag. 5 seq. pag. 5.* nisi unus Deus: *Omnis sermo noster*, inquit ille, *Deum unum celebrat*: solum Deum ait esse Creatorem: *Conditorem illius universitatis*; ac a materia omnino secretum: *Nos vero ... Deum a materia separamus, & aliud quidpiam esse materiam, aliud vero Deum docemus: Nempe Deum ingenitum, æternumque asserentes, materiam genitam, & corruptibilem*. Ratio, propter quam Deum ingenitum vocat, est, quia id solummodo quod non est, generari potest; minime vero quod est: *Neque enim generari potest quod est, sed quod non est*. Perperam postremis his phrasibus abuteretur quisquam ad impugnandam æternitatem Verbi. Meridiano sole clarius est ex allatis modo textibus, sermonem hic non habere de divina generatione, qualis est generatio Verbi, quæ suæ æternitati nullum infert præjudicium; sed tantum de generatione, immo potius productione materiæ, quæ ævo subest, & in qua intelligi nequit æternitas. Ex quo sequitur, Athenagoram tueri, quod Deus, qui æternus est, essentialiter a materia separatur. Caveamus igitur ne quidquam ex hoc principio concludamus adversus Verbi æternitatem, cujus generatio tantum differt ab ordinaria ac communi generatione, sicuti in sequentibus docet ipius iste Philosophus. Inferius addit: *Est enim Deus ipse sibi omnia, lux inaccessa, mundus perfectus, spiritus, potentia, verbum ... Uni Deo, & Filio ejus, hoc est, Verbo inseparabili subjecta sunt omnia*. *pag. 15.* *pag. 17.* Tandem ut ostendat, ex Dæmonis insidiis Ethnicos Idola colere, insanias omnes coacervat, quæ in hoc cultu intercedebant, & eadem occasione gravissimam hanc docet veritatem: *Deus certe ad ea quæ præter naturam sunt neminem movet: At Dæmon homini cum struit aliquod malum, pervertit illi primitus mentem suam: Deus vero, cum absolute bonus sit, perpetuo beneficus est*. *pag. 29.* Egregia hac regula divinæ operationes a præstigiis dæmonis secerni poterunt.

§. III.

Trinitas Divinarum Personarum.

EXpositis jam divinis perfectionibus absolutis, rectus rerum ordo exigit ut afferamus modo ea Athenagoræ loca, quæ illas perfectiones respiciunt, quas Scholastici relativas appellant: & ut a Trinitate Divinarum Personarum exordiamur, en quomodo pius Philosophus de illa loquatur in sua Apologia. *Quis igitur non miratur*, inquit ille, *nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum, ita ut & unionis eorum vim, & ordinis distinctionem exponamus, impios sine Deo homines vocari? τίς ἂν οὐκ ἀπορήσαι, λέγοντας Θεὸν πατέρα, καὶ υἱὸν Θεόν, καὶ πνεῦμα ἅγιον, δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν, καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν, ἀκούσας ἀθέους καλουμένους*. *Existentia actualis Trium Divinarum Personarum, & Earum Unitas Naturæ. Apolog. pag. 11.* Notandum hic est, latinam versionem, *ita ut & unionis eorum vim &c.* originali textui non consentire; immo & Athenagoræ sensum perturbare; ideoque legi debet: *Ita ut & potentiam in eorum unione, & distin-*

(*a*) Tom. II. Histor. Eccles. pag. 350.

II. SÆCULUM.

primum, incognitam esse omnibus: se autem eum esse, qui pro hominum salute missus erat. Mundum factum ab Angelis dicebat, suamque magiam vincere Angelos: tandem immortalitatem in suum Baptismum recipere suos Discipulos, & ultra non posse mori, sed perseverare non senescentes, & immortales. Hi sunt errores, quos primi duo Hæretici excogitarunt; ex quibus constat, hos omnium primos confinxisse Æones, & Valentinum his insaniis alias addidisse.

CAPUT QUARTUM.

DE SATURNINO, BASILIDE, ET CARPOCRATE.

I. Capite vigesimoquarto primi libri exponit S. Irenæus errores duorum insignium Menandri Sectatorum, quorum unus appellabatur Saturninus, vel Saturnilus; utroque enim nomine promiscue vocabatur; alter vero Basilides. Horum primus ab Antiochia fuit, & in Syria doctrinas suas ostendit. Docebat, similiter ut Menander ejus Magister, unum Patrem, incognitum omnibus, esse, qui fecit omnia, hoc est, Auctor fuit Æonum. Mundum a septem quibusdam Angelis factum esse tradebat; & de hominis creatione docebat quæ sequuntur. Cum summa Potestas imaginem quamdam lucidam apparere fecisset, & illico sursum recepetit, Angeli capti pulchritudine hujus imaginis adhortati sunt semetipsos dicentes: faciamus hominem ad hanc imaginem & similitudinem; qui cum factus esset, & non potuisset erigi plasma, sed quasi vermiculus gradieretur super pectus suum, miserans ejus suprema Virtus, quoniam in similitudinem ejus esset factus, emisit scintillam vitæ, quæ erexit hominem, & articulavit, & vivere fecit. Anima hominis, ajebat Saturninus, post præsentem vitam perseverare debet, & ad suum principium recurrere; corpus vero resolvi absque ulla Resurrectionis spe. Docebat insuper, Salvatorem carnem non assumpsisse, & revera esse sine corpore, sine figura, & solummodo putative apparuisse hominem; & Judæorum Deum, unum ex Angelis fuisse, & duo hominum genera plasmata esse, alterum quidem nequam, alterum autem bonum. Nubere & generare a Satana dicebat esse. Prophetias asserebat quasdam ab iis Angelis, qui mundum fabricaverant, dictas; quasdam vero a Satana: quem & ipsum Angelum adversatium mundi fabricatoribus dicebat, maxime autem Judæorum Deo.

Errores Saturnini. Lib. 1. cap. 24.

Fabella circa Hominis creationē.

Errores Basilidis.

II. Basilides diversas in Deo admittebat generationes, quarum ultima produxerat Angelos illos, qui primum cœlum creaverant; & ab his Angelis alii exorti erant, qui secundum Cœlum, primo similem, condiderant, sicque semper successive usque ad tercentum sexaginta quinque cœlos, juxta numerum dierum unius integri anni. Angeli autem postremi cœli, constituerunt quæ in mundo sunt omnia, & partem sibi fecerunt terræ, & earum quæ super eam sunt, gentium. Horum Angelorum Princeps ille erat, qui Judæorum putatur Deus esse; & quoniam hic suis Judæis voluit subjicere reliquas gentes, reliqui omnes Principes contra steterunt ei, & contra egerunt. Christus de Cœlo descenderat ut liberaret homines a potestate eorum qui mundum fabricaverant; sed carnem vere non assumpsit; quapropter nec vere passus est, sed Simon quidam Cirenæus, angariatus portare Crucem ejus pro eo, crucifixus est. Hinc, juxta Basilidem, nemo fateri debebat Crucifixum. Si quis igitur, inquiebat impius iste, confitetur Crucifixum, adhuc servus est, & sub potestate eorum qui corpora fecerunt. Carnis resurrectionem negabat, & solum de anima deprædicari posse salutem asserebat. Ejus Discipuli edebant absque scrupulo Idolothyta, & sine ulla trepidatione eis utebantur; sed & reliquarum operationum usum indifferenter habebant, & universæ libidinis. Utebantur insuper & Magia, invisibiles & incogniti extraneis erant, & ipsorum Mysteriorum silentium suis Sectatoribus vehementer commendabant. Tandem parati erant abrenuntiare propriæ fidei in persecutione: unde erant veri hypocritæ tristes.

Errores Carpocratis. Lib. 1. cap. 25.

III. Carpocrates, alter insignis Hæresiarchus, errores qui sequuntur docebat. Mundum ab Angelis multo inferioribus ingenito Patre, factum esse dicebat: Jesum autem a Joseph natum, & quum similis reliquis hominibus fuerit, distasse secundum id, quod anima ejus firma & munda esset, & per hoc mundi fabricatores Angelos eam effugere potuisse, & ad cœlum ascendisse; quod sane non concedebat hominibus ejus Doctrinam non sequentibus. Quoad ejus sectatores, ad tantum elationis provecti sunt, ut quidam similes sese dicerent Jesu, quidam autem secundum aliquid illo fortiores, cum crederent posse se illo meliores evadere. Artes magicas operabantur, idque tam publice, ut viderentur id sibi ipsis honori ducere. Omnia quæcunque irreligiosa & impia sunt operabantur; sola enim humana opinione negotia bona & mala dicebant. Metempsycosim admittebant, sive animarum transmigrationem: Signabant suos Discipulos in posterioribus partibus dextræ auris: imagines, quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habebant, dicentes formam Christi factam a Pilato illo in tempore, quo fuit Jesus cum hominibus: habebant etiam imagines similes Pythagoræ, Platonis Aristotelis &c. hasque imagines coronabant, & reliquam observationem circa eas, similiter ut Gentes, faciebant. Fœmina quædam, Marcellina nomine, quæ huic sectæ nomen dederat, Romam venit sub Aniceto Pontifice, & multos exterminavit, hoc est pervertit.

CAPUT QUINTUM.

DE CERINTHO, DE EBIONITIS, DE NICOLAITIS, DE CERDONE, ET DE MARCIONE.

I. Cerinthus non a primo Deo factum esse mundum docuit, sed a virtute quadam valde separata ab illo, & eum ignorante. Negabat Jesum natum esse ex Virgine; impossibile enim hoc ei visum est. Docebat, in Jesum post baptismum descendisse Christum; in fine autem revolasse iterum Christum de Jesu, & Jesum passum esse: hinc concludebat, Jesum quidem esse passum; Christum vero impassibilem perseverasse, existentem spiritalem.

Errores Cerinthi. Lib. 1. cap. 26.

II. Ebionæi autem consentiebant quidem mundum a Deo factum esse; ea autem quæ sunt erga Dominum (Jesum Christum) non similiter ut Cerinthus & Carpocrates opinabantur. Judaicas cæremonias scrupulose observabant. Hierosolymam adorabant, quasi Domus Dei esset; circumcidebantur; prophetias curiosius exponere nitebantur. Solo Matthæi Evangelio, ex omni novo Testamento, utebantur (certe quia illud solummodo hebræo sermone exaratum est); & Apostolum Paulum recusabant, *Apostatam eum Legis* dicentes. S. Irenæus omittit plures articulos supra computationes Ebionitarum. Videri autem possunt in S. Epiphanio, Eusebio, aliisque Patribus.

Errores Ebionitarum. Ibid.

III. Nicolaitæ, si fides Sancto huic Doctori adhibenda sit, Magistrum habebant Nicolaum, unum ex septem, qui primi ad Diaconium ab Apostolis ordinati sunt. Hæretici isti indiscrete vivebant, viri scilicet ac mulieres. Nullam differentiam esse dicebant in mœchando, & idolothyton edebant: hinc credimus, eadem principia hæreticos istos admisisse, quæ admittebant Hæretici superius recensiti circa indifferentiam operationum nostrarum.

Errores Nicolaitarum. ibid.

IV. Cerdon Romam venit sub Hygino Pontifice, & errores suos seminavit, qui erant; eum, qui a Lege & Prophetis annuntiatus est Deus, non esse Patrem Domini nostri Jesu Christi: hunc enim cognosci, illum vero ignorari; & primum solummodo justum esse; alterum autem bonum esse. Hæc sunt quæ narrat S. Irenæus de Cerdone.

Errores Cerdonis. cap. 27.

V. Docebat Marcion, eum, qui a Lege & Prophetis annuntiatus est Deus, malorum factorem esse, & bellorum concupiscentem, & inconstantem, & sibi ipsi contrarium; Jesum Christum alium Patrem ab isto Deo habuisse; hunc Salvatorem dissolvisse legem & Prophetas, & omnia opera *Demiurgi* qui mundum fecit, quem & *Cosmocratorem* appellat, quæ vox Principem, seu mundi Gubernatorem significat. S. Irenæus accusat hunc Hæresiarchum, quod mutilaverit Evangelium Divi Lucæ, & præcipue omnia, quæ de generatione Domini conscripta sunt, & de Doctrina Domini multa abstulerit, in quibus manifestissime conditorem hujus universitatis suum Patrem confitetur; sicuti est illud: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ &c.* (a) Similiter & alios Novi Testamenti libros abscindebat, in quibus haud dissimilia testimonia occurrebant. Suadebat Discipulis suis, semetipsum veraciorem esse, quam sint Apostoli. Carnis resurrectionem negabat, quoniam a terra sumpta erat. Sequitur modo originalis quædam insania, ex qua verum genium, indolemque hujusce Hæresiarchi conjicere quisque poterit. Dicebat, Cain, & Sodomitas, & similes eis, salvatos esse a Domino cum descendisset ad inferos; Abel autem, & Enoch, & Noe, & reliquos veteris Testamenti justos non participasse salutem;

Errores Marcionis. ibid.

(a) Luc. cap. 10. v. 21.

II. Sæculum.

tem; quoniam enim sciebant, inquiebat impius iste, Deum suum semper tentantem eos; & tunc tentare eum suspicati, non accurrerunt Jesu, & propterea remanserunt animæ eorum apud inferos.

CAPUT SEXTUM.

DE TATIANO, AUCTORE SECTÆ CONTINENTIUM, ET DE ALIQUIBUS ALIIS HÆRETICIS.

Errores Encratitarum. Lib. 1. cap. 28.

I. TAtianus, ejusque Sectatores appellati Continentes, seu Encratitæ, abstinentiam a nuptiis docuerunt; qua sane in re, sicuti egregie S. Irenæus animadvertit, oblique accusabant Deum, qui masculum & fœminam fecit ad hominum generationem. Abstinentiam a carne animalium induxerunt, in quo quidem ingrati extiterunt ei, qui omnia fecit, Deo. Adami salutem negabant; & in hoc, ut ait S. Irenæus, blasphemabant. Tatianus iste, de quo loquimur, fuit D. Justini Discipulus, qui nonnisi post illius mortem proprium characterem Doctrinæ constituit. Hic est ille idem Tatianus, cujus superius protulimus Doctrinam ex suo Tractatu contra Gentes.

Barbelitæ, cap. 29. Ophitæ, cap. 30.

II. Inter Hæreticos, de quibus loquitur S. Irenæus, insigniores sunt Barbelitæ, Orphitæ, Sethiani, & Cajanitæ. Sanctus Lugdunensis Episcopus de erroribus horum Hæreticorum pluribus disserit; sicuti vero insaniæ sunt haud absimiles erroribus Valentinianorum, ex una parte; ex altera vero nihil quod notabile sit, exhibent; hinc ethymologiam horum nominum unice exponam. Barbelitæ sic appellabantur a quodam Barbelo, seu Barbero, quem in octavo cœlo locabant, & de quo non tam mira quædam, quam fabulosa narrabant. Orphitæ, seu Serpentini hanc derivabant nuncupationem a veneratione erga serpentem, a quo scientiam boni & mali nobis profluxisse opinabantur. Vocabantur etiam Barborieni, seu Cœnosi propter eorum immunditias. Sethiani sic dicti sunt, quia deprædicabant, Seth, filium Adæ, esse quandam divinam virtutem. Cajani sic nuncupabantur, quia Cain veluti magnum Virum venerabantur, & Esau, Core, & Judam proditorem, quem cæteris Apostolis præferebant, cognatos suos confitebantur. Hæ sunt omnes Hæreses, quarum varios errores exponit S. Irenæus in primo suo libro, & in quatuor sequentibus refutat. Nec mirari debemus hanc Sectarum multitudinem, cum, ut monet S. Irenæus, omnes Hæretici velint esse Doctores, & recedant a Secta quam prius amplexi erant, ut alia dogmata deinde confingant. *Ab his autem*, inquit Pater iste, *qui prædicti sunt (Hæreticis) jam multæ propagines multarum Hæresium factæ sunt; eo quod multi ex ipsis, immo omnes, velint esse Doctores, & absistere quidem ab hæresi in qua fuerunt; aliud vero Dogma ab alia sententia, & deinceps alterum ab altera componentes, nove*, sive potius *nova*, juxta editionem Erasmi, *docere insistunt, semetipsos adinventores sententiæ .... enarrantes*. Idipsum semper peregerunt qui a doctrina veritatis, quam docet Ecclesia, recesserunt; & facillime evenit, quod hanc fidei unitatem repellentes, in diversas abeant opiniones. Pulcherrimum hujusce veritatis exemplum præbent hæretici nostri ævi; & innumeræ variationes, quas eruditissimi inter Catholicos ipsis objiciunt, id evidentissime comprobant. Transiliamus modo ad veritates, quas in suo Opere docet S. Irenæus.

Sethiani. Ibid. Cajani. cap. 31.

A quo procedat multiplicatio Sectarum Hæreticarum. Lib. 1. cap. 28.

SECTIO I.

PUNCTA DOGMATICA.

IN immensum abiret oratio, si omnia exacte afferre vellem, quæ in quinque libris Divi Irenæi occurrunt circa Dogma & Mores. Sublimiorem Theologiam ibi traditam explanare humanas superat vires: hinc nostræ sollicitudini cogimur limites ponere, & ex hoc Opere quæ magis notabilia sunt extrahentes, agemus de Sacra Scriptura, Traditione, Ecclesia, Divinis Perfectionibus absolutis, SS. Trinitate, Divinitate Verbi, aliisque æque necessariis articulis in S. Irenæo satis superque comprobatis. Afferemus nihilominus quasdam peculiares Sancti hujus Doctoris opiniones, quin immo & errores in quos prolapsus est cum vetustis aliis Ecclesiæ Patribus.

CAPUT PRIMUM.

DE SACRA SCRIPTURA.

II. Sæculum.

Inspiratio Sacræ Scripturæ. Lib. 5. c. 18. n. 2. Lib. 4. c. 20. n. 4.

I. SAcræ Scripturæ inspirationem docet primo loco S. Irenæus. Scribit perspicue, Sacros libros esse perfectos, quia sunt Opus Verbi Dei, & Spiritus Sancti: *Scripturæ perfectæ sunt; quippe a Verbo Dei, & Spiritu ejus dictæ*. Scribit insuper, Prophetas Verbo afflante prædixisse hominibus ejus Incarnationem: *Et propterea Prophetæ ab eodem Verbo propheticum accipientes charisma, prædicaverunt ejus secundum carnem adventum*.

Obscuritas Sacræ Scripturæ. Lib. 4. c. 26. n. 1.

II. Nec minus expresse loquitur Sanctus Doctor de obscuritate Sacræ Scripturæ; inquit enim: *Omnis autem Prophetia πᾶσα γὰρ προφητεία, priusquam habeat effectum, ænigmata & ambiguitates sunt hominibus. Cum autem .... evenerit quod prophetatum est, tunc Prophetia habent liquidam & certam expositionem; & propter hoc quidem Judæis, cum legitur lex in hoc nunc tempore, fabulæ similis est, non enim habent expositionem omnium rerum pertinentem, ad adventum Filii Dei .... a Christianis vero cum legitur, thesaurus est absconsus in agro, Cruce vero Christi revelatus est*. Docet etiam paulo inferius, Jesum Christum esse thesaurum in Scripturis absconditum, quia Divinus iste Salvator significatur reipsa per typos & parabolas: *Absconsus vero in Scripturis thesaurus, Christus, quoniam per typos & parabolas significabatur*. Hinc ante Incarnationem adinveniri non potuit thesaurus iste, & hujus mysterii consummatio necessaria fuit, ut aliquo modo cognosci posset: *Unde non poterat hoc intelligi, priusquam consummatio .... veniret, quæ est adventus Christi*. Ex hac Scripturæ obscuritate inferre debemus cum S. Irenæo, necessario requiri infallibilem quamdam auctoritatem, quæ illius sensum determinet: hæc autem auctoritas in sola Ecclesia Catholica residet, sicuti infra videbimus.

Ibid.

Uti non possumus obscuris Sacræ Scripturæ Parabolis ad difficilia puncta comprobanda. Lib. 2. cap. 27. n. 1. 2. 3.

III. Sapientissime animadvertit Sanctus iste Episcopus, quod quando in Scripturis obscura quædam occurrunt loca, uti sunt Parabolæ, quarum verus sensus non innotescit, rem periculi plenam aggrederetur ille, qui iis uti vellet ad aliquid, quod difficillimum sit, comprobandum, sicuti in more positum novimus apud veteres hæreticos: hancque reddit rationem, quæ facile ab omnibus percipitur: quia scilicet quæ obscura ac difficilia occurrunt, interpretari debent per facilia & perspicua loca: Parabolis autem hæ notæ desunt; & e contra earum obscuritas ac difficultas probe noscitur ex diversis, quibus donantur interpretationibus. Qui igitur Parabolis utitur, concludit S. Irenæus, ad ea comprobanda, quæ explicatione indigent, is non in petra firma & valida, sed in incertum effusæ arenæ ædificat domum suam. Animadversio hæc, dicam iterum, sapientissima est, & in praxi adhibenda. Qui ab ea recedit, in errorem incidat necesse est: nec veteres Hæretici, quibus S. Irenæus hunc exprobat defectum, in apertos errores prolapsi essent, nec pertinaciter iis adhæsissent, si huic regulæ sapientia ac moderatione plenæ sese accommodassent. Eorum exemplum doceat nostri ævi Theologos prudentiam.

Cur Deus non tradiderit legem scriptam antiquis Patriarchis. Lib. 4. c. 16. n. 3.

IV. Si quis scire cupit, cur Deus antiquis Patriarchis legem scriptam non dederit, S. Irenæus illico respondet, quia lex non est posita justis: *Quare igitur*, inquit Pater ille, *Patribus non disposuit Dominus testamentum? quia Lex non est posita justis*. Justi autem Patres, addit Sanctus Doctor, virtutem Decalogi conscriptam habebant in cordibus & animabus suis diligentes Deum qui fecit eos, & abstinentes ab injustitia erga proximum: *Propter quod non fuit necesse admoneri eos correptoriis litteris, quia habebant in semetipsis justitiam legis*. Cum autem hæc justitia & dilectio, quæ erat erga Deum, (cessit in oblivionem, & extincta esset in Ægypto,) necessario Deus, propter multam suam erga homines benevolentiam, semetipsum ostendit per vocem, ut rursus fieret homo discipulus & sectator Dei. Hinc caussa occasionalis Legis scriptæ, fuit Hebræorum prævaricatio.

Quid dicendum de criminibus, quæ S. Scriptura aliquibus Patriarchis attribuit. Lib. 4. c. 27. n. 2.

V. Quando Scriptura narrat peccata, in quæ prolapsi sunt aliqui Patriarchæ, S. Irenæus docet, Spiritum Sanctum id unice intendere, quod non glorietur omnis caro in conspectu Domini; ac ad nostram correptionem actus eorum esse conscriptos, ut sciremus, quoniam unus est Deus noster, & illorum, cui non placent peccata, etiamsi a claris fiant, deinde ut abstineamus a malis. Si enim hi qui præcesserant nos in charismatibus veteres, propter quos nondum Filius Dei passus erat, delinquentes in aliquo, & concupiscentiæ carnis servientes, tali affecti sunt ignominia; quid passuri sunt, qui nunc sunt, qui contempserunt adventum Domini, & deservierunt voluptatibus suis?

quippe,

II. SÆCULUM.

quippe, quibus plurimum dedit, plurimum ab eis exiget. Non debemus ergo, inquit ille, superbi esse, neque reprehendere veteres; sed ipsi timere, ne forte post agnitionem Christi agentes aliquid quod non placeat Deo, remissionem ultra non habeamus peccatorum, sed excludamur a Regno ejus.

Lib. 4. c. 31. n. 2.

Peculiaris opinio S. Irenæi circa crimina, quæ S. Scriptura narrat, sed non increpat. Lib. 4. c. 31. n. 1.

VI. Alibi etiam docet S. Irenæus eamdem veritatem, & propter allatas modo rationes exemplum proponit Cham, qui irrisit turpitudinem patris sui, & in maledictionem decidit. Postea vero principium quoddam ponit, cujus auctor esse nolem, scilicet non debere nos vituperare ea quæ Scriptura simpliciter narrat: *De quibus autem Scripturæ non increpant, sed simpliciter sunt posita, nos non debere fieri accusatores.* Principium hoc incertissimum est, & si in suo sensu sumatur, illationes, quæ valde periculosæ sunt, ex eo deducuntur. Ex hoc enim sequitur, incestum Loth damnari non posse, sicuti reipsa sentit S. Irenæus, qui talem incestum ab omni criminis macula immunem asserit: tuetur enim, nec voluntarie, nec ex concupiscentia, neque ex alio malo sine Loth crimen illud commisisse; quod fuit, inquit ille, typus ac mysterium: *Etenim non ex sua voluntate, neque ex sua concupiscentia carnali .... consummavit typum*: & recitato Geneseos textu, in quo narratur, ignorasse Loth cum major nata dormisset secum, & cum surrexisset, concludit his verbis: *Nesciente igitur homine, neque libidini serviente, dispensatio perficiebatur, per quam duæ filiæ, idest duæ Synagogæ ab uno & eodem Patre in sobolem adoptuta significabantur, sine carnis libidine.* Purgato Loth apologiam filiarum ejus suscipit S. Irenæus: excusat enim illas, eo quod in simplicitate & innocentia circumvenerint Patrem, putantes universos homines periisse, & in omnem terram iracundiam Dei supervenisse, & arbitrantes se solas relictas ad conservationem humani generis: *Quapropter & ipsæ excusabiles sunt*, inquit ille, *arbitrantes se solas relictas cum Patre ad conservationem generis humani, & propter hoc circumveniebant Patrem.* Quidquid vero dicat S. Irenæus, nunquam eo adduci potero ut credam, vere Loth & filias ejus absque culpa fuisse; cum Loth ex ebrietate occasionem sumpserit admittendi actionem, quæ in se mala est; & filiæ ejus actionem malam patraverint ex plena advertentia, & ex arbitrii libertate. Si incestus est in seipso malus, si est essentialiter malus, si Deus hunc damnat, sicuti in dubium revocari non potest, non video quo pacto Loth & filiæ ejus possint a culpa excusari. *Nusquam & nunquam excusatur*, ait egregie Tertullianus (a) *quod Deus damnat ..., non potest aliud esse, quod vere quidem est malum.* Observandum nihilominus est, Sanctum hunc Doctorem aliquam promereri excusationem dum hæc tradit; pugnat quippe adversus Marcionitas acerrimos veteris Testamenti hostes, cujus Testamenti Deum distinguebant a Deo Testamenti novi, illumque (Deum Testamenti veteris) auctorem mali credebant.

Incestus Loth a S. Irenæo purgatur. Ibid.

Ibid. n. 2.

VII. Si S. Irenæus tam vehementer propugnat auctoritatem veteris Testamenti contra sui ævi Hæreticos, non minus sollicitus est in auctoritate novi Testamenti vindicanda. Declarat, Apostolos nos docuisse viam salutis, & veritatem Evangelii, quod ab ipso appellatur: *Fundamentum & columna fidei nostræ.* Scribit, quod Apostoli postquam repleti fuerunt Spiritu Sancto, annuntiaverunt Evangelium: quod Jesus Christus, ejusque Apostoli, docuerunt veram salutis doctrinam in omni possibili sinceritate, absque fictione & hypocrisi, non secundum Auditorum opinionem, sicuti quidam Hæretici calumniabantur, sed secundum veritatis manifestationem. Et ut blasphemiam hanc refutet, demonstrat, Christum ostendisse Judæis, se esse Filium Dei, eum qui per Prophetas prædicatus fuerat, & Apostolos docuisse Gentes, ut relinquerent ligna & lapides, quæ suspicabantur esse Deos, & verum Deum colerent, & innumeras alias veritates eorum erroribus omnino oppositas.

Auctoritas librorum novi Testamenti. Lib. 3. c. 2. n. 2.

Cap. 5. n. 1. 2. 3.

VIII. Sicuti inter Hæreticos diversæ erant opiniones circa Canonicos Sacræ Scripturæ libros, cum aliqui solum admitterent Evangelium S. Matthæi, sicuti Ebionitæ; alii illud S. Marci, sicuti Marcionitæ; & alii illud S. Joannis, sicuti Valentiniani, S. Irenæus aperte asserit, Evangelia quatuor esse, eorumque auctoritatem unumquemque revereri debere, nec numero plura, neque minora esse admittenda: *Neque autem plura numero, neque rursus pauciora capit esse Evangelia.* Quatuor hæc Evangelia sunt illud S. Matthæi, S. Marci, S. Lucæ, & S. Joannis, quorum innumeros textus habet in suis quinque contra hæreses libris. Ad quatuor Evangelistas refert illud Apocalypsis: *Et animal primum &c.* (b) Sumpta occasione a quatuor Evangeliis, loquitur de quatuor Testamentis, sive Pactis Dei cum hominibus. Primum est a creatione Mundi usque ad Diluvium; secundum a Diluvio usque ad Legem scriptam; tertium a Lege scripta usque ad Incarnationem Verbi; quartum est præsens Legis Evangelicæ pactum; quod quidem renovat hominem, ac elevat in Cœlum: *Quartum vero, quod renovat hominem .... quod est per Evangelium, elevans & pennigerans homines in cæleste regnum.* Exprobrat Hæreticis, quod quatuor Evangeliorum numerum auxerint, aliosque in suorum errorum patrocinium confinxerint; per quæ peccant, ut ait ille, in Spiritum Sanctum, & irremissibile crimen committunt: *Per hæc igitur omnia peccantes in Spiritum Dei, in irremissibile incidunt peccatum.* Marcionitas præ cæteris, ac Valentinianos accusat, quod idipsum tentare per summum nefas ac mendacium ausi sint; & de his postremis scribit, eorum Evangelium sub hoc titulo promulgari: *Veritatis Evangelium.* Ostendit vero, de hoc titulo gloriari illud haud posse, cum tam aperte opponatur Apostolorum scriptis, in quibus pura veritas continetur.

Evangeliorũ numerus. Lib. 3. c. 11. n. 8.

num. 9.

IX. Quoad D. Pauli Epistolas, omnes admittit S. Irenæus in Scripturæ Canone, quippe omnes citat, earumque auctoritate, non secus ac Evangelii, utitur ad comprobandas veritates, quas docet in Opere suo. Solius Epistolæ ad Philemonem nunquam meminit; idque fortasse, quia nusquam se præbuit occasio de illa loquendi, vel non erat ad rem, quam præ manibus habebat, accommodata. Cæteras vero omnes citat; etiam illam ad Hebræos de qua loquebatur in quodam Opere quod periit; absque eo quod tamen illam expresse D. Paulo adscribat. De hoc Opere sermonem habet Eusebius in sua Historia Ecclesiastica (c) scribens: „ Præter S. Irenæi supradicta Opera & Epi„stolas extat libellus variarum disputationum, in quo „ Epistolæ ad Hebræos, & Sapientiæ Salomonis men„tionem facit, & quasdam sententias ex iis libris „ adducit. „ Allegat pariter S. Irenæus Catholicas Epistolas, illam S. Jacobi, illam S. Judæ, & secundam D. Petri, nulla tamen facta mentione Auctorum, sicuti in more positum fuit penes antiquos. Secundam autem S. Joannis Epistolam, eidem expresse attribuit, sicuti & Apocalypsim: ait siquidem: *Joannes enim* (d) *Domini Discipulus superextendit damnationem in eos* (Hæreticos), *neque ave a nobis dici eis volens: Qui enim, inquit, dicit eis ave, communicat operibus ipsorum nequissimis.* Locus autem iste occurrit in secunda S. Joannis Epistola versiculo undecimo. *Sed & Joannes*, scribit alibi (e) S. Irenæus, *Domini Discipulus in Apocalypsi sacerdotalem & gloriosum regni ejus videns adventum, conversus sum, inquit, videre vocem, qua loquebatur mecum &c.* Quæ verba occurrunt reipsa in Apocalypsi (f). Igitur pene omnes novi Testamenti libros ut Canonicos admittit S. Irenæus.

Omnes S. Pauli Epistolas ut Canonicas recognoscit S. Irenæus, illa excepta ad Philemonem.

S. Irenæus utitur etiã auctoritate aliarum Epistolarũ Canonicarum in suis V. libris.

X. Verum utitur æque auctoritate librorum veteris Testamenti. Citat inter cæteros libros Jeremiæ Lamentationes ut comprobet Jesu Christi Divinitatem; & quandoque Librum Baruch, sed Auctoris nomen reticens, ut Librum sacrum ac propheticum illum proponit. Recognoscit pariter ut Canonicam Historiam Susannæ & Beli, hujusque Auctorem dicit Danielem. Tandem admittit Sapientiæ Librum, utpote Salomonis Opus, sicuti testatur Eusebius in sua Historia Ecclesiastica. Tanquam quid singulare in S. Irenæo notandum est, 1º. quod affert textum quemdam, veluti ex Sacra Scriptura, qui nihilominus deest in nostris exemplaribus, sed non deerat fortasse suo ævo, cum accuset Judæos quod a Sacra Scriptura illum abraserint. 2º. Utpote quid indubium refert, quod cum Divini libri tempore Captivitatis Babylonicæ corrupti fuissent, Deus inspiravit Esdram, ut populo restitueret Prophetas, & Legem Moysis, quorum librorum pars aliqua periisse videtur: *In ea captivitate populi*, verba sunt, S. Irenæi, *quæ facta est a Nabuchodonosor, corruptis Scripturis, & post septuaginta annos Judæis descendentibus in regionem suam, post deinde temporibus Artaxerxis Persarum Regis, inspiravit* (*Deus*) *Esdræ Sacerdoti Tribus Levi, præteritorum Prophetarum omnes rememorare sermones, & restituere populo eam legem, quæ data est per Moysen.* Idipsum sentit Tertullianus, (g) sicuti & S. Clemens Alexandrinus, (h) & S. Basilius, (i) uti videbimus inferius, cum ad eorum scripta

Auctoritate librorũ veteris Testamenti utitur S. Irenæus. Lib. 3. cap. 10. Lib. 4. cap. 20. Lib. 4. cap. 15. Lib. 5. cap. 26. Lib. 4. cap. 22.

Corruptio S. Scripturæ Babylonicæ Captivitatis tempore. Lib. 3. cap. 25.

(a) Lib. de Spectac. pag. 99.
(b) Cap. 4. vers. 7.
(c) Lib. 5. cap. 26.
(d) Secunda S. Joannis, lib. 1. cap. 16.
(e) Apocalyps. Lib. 4. cap. 20.

(f) Cap. 1. vers. 12.
(g) Lib. de habitu Mulierum, cap. 3.
(h) Lib. 1. Strom.
(i) Epist. ad Chilon.

II. SÆCULUM.

pta perveniamus. Dubitant nonnulli, an agatur hoc loco de generali Sacræ Scripturæ corruptione: mihi autem magis arridet dicere, quod Esdras quædam peculiaria loca emendaverit, quæ temporum injuria corrupta fuerant. Hæc videtur esse S. Irenæi opinio, si recte accipiatur; quin immo & Eusebii, qui hunc Sancti Doctoris textum recitat. (a) Cæterum, si asserere velimus, S. Irenæum, aliosque Patres modo recensitos, locutos fuisse de generali Sacrorum librorum corruptione, fatendum nihilominus erit ingenue, hos se decipi passos esse ab Auctore quarti Libri Esdræ, qui nullam in Ecclesia auctoritatem obtinet.

Historia commendatia Versionis LXX. Lib. 3. cap. 21. n. 2.

XI. Inter opiniones peculiares ac controversas S. Irenæi poni potest Historia quam refert ipse de versione Septuaginta Interpretum. Narrat ipse post S. Justinum, quod cum Ptolemæus Lagi filius cuperet eam Bibliothecam, quæ a se fabricata esset in Alexandria, omnium hominum dignis conscriptionibus ornare, petiit ab Hierosolymitis Septuaginta Seniores, qui in græcum sermonem interpretarent Sacras Scripturas; & separans eos ab invicem, jussit omnes eamdem interpretari Scripturam. Convenientibus autem ipsis in unum apud Ptolemæum, & comparantibus suas interpretationes, Deus glorificatus est, & Scripturæ vere divinæ creditæ sunt: *Scriptura vero Divina*, inquit ille, *credita sunt, omnibus eadem, & iisdem verbis, & iisdem nominibus recitantibus, ab initio usque in finem, uti & præsentes gentes cognoscerent, quoniam per adspirationem Dei interpretatæ sunt Scripturæ*. Superius jam diximus quid sentiendum sit de hac historia, supra quam eo magis insistit S. Irenæus, quod intendit hic purgare versionem Septuaginta contra mentem Theodotionis & Aquilæ, qui pro his verbis, *Ecce Virgo concipiet*, quæ expresse habentur in hac Versione, legendum esse asserebant, *Ecce Adolescentula*, ut Salvatoris Genitrici Sanctissimæ adimerent prærogativam Virginitatis. Hac de caussa D. Irenæus extollit auctoritatem hujus Versionis, historiam supradictam referens: quod sane præstat insuper aliis rationibus, quæ licet prodigium non sapiant, tamen magis concludunt.

Auctoritas hujus versionis. Ibid. n. 3.

XII. Harum duas, quæ notabiliores sunt, afferam modo. 1°. Versio illius reformari nequit in iis quæ Christianæ Religioni favent, cum consummata fuerit ante Jesu Christi adventum, & per consequens antequam Christiana Religio in controversiam vocaretur: Christus enim apparuit in terris anno circiter quadragesimo primo Imperii Augusti: sed Ptolemæus, cujus ætate Versio hæc exarata est, multum præcessit hunc Imperatorem: igitur dici nequit, quod facta fuerit in favorem Religionis Christianæ, ideoque fides ei præstari debet in omnibus quæ tradit circa Doctrinam Christianorum. 2°. S. Irenæus dicit, quod Apostoli & Discipuli eam exacte sectati sunt quotiescumque utuntur auctoritate Sacrorum librorum Veteris Testamenti: *Etenim Petrus, & Joannes, & Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum Sectatores, omnia ista annuntiaverunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet*. Ex quo necessario deducitur, debere omnes Christianos hujus Versionis auctoritatem revereri. Dominus Massuet in suis adnotationibus in hunc locum animadvertit, quod S. Irenæus non vult hic dicere, Apostolos eorumque Discipulos, omnes auctoritates, de quibus est sermo, a Septuaginta Interpretum versione eruisse; sed solum quod eas citant conformiter ad spiritum hujus Versionis; ita ut dici possit cum eodem S. Irenæo, quod Apostoli consonant prædictæ Septuaginta Versioni, sicuti eorum Versio consonat Doctrinæ Apostolorum: *(Adeo ut Apostoli) consonent prædictæ interpretationi, & interpretatio consonet Apostolorum traditioni*.

Veritas historiæ Improbi Divitis. Lib. 4. c. 2. n. 4.

XIII. Hæc sunt quæ ex D. Irenæo afferenda erant ex Sacra Scriptura; sicuti & locus quidam, qui respicit divitis Historiam a S. Luca allatam, quam Sanctus iste Doctor perhibet velut historiam, quæ a nemine in dubium possit revocari; aitque, Salvatorem non enarrasse fabulam quando de divite nequam, & de paupere Lazaro verba fecit: *Non autem fabulam retulit nobis pauperis & divitis*. Animadvertendum est insuper, priusquam huic articulo finem imponamus, aliquod intercedere discrimen in duobus tribusve Novi ac Veteris Testamenti textibus allatis a S. Irenæo.

Animadversio in aliqua S. Scripturæ loca, quibus utitur S. Irenæus.

Legitur, exempli caussa, in tertio Genesis capite: *Et ipsa conteret caput tuum*; & S. Irenæus legit, *Filius mulieris*; & per hunc filium intelligit Messiam, qui debebat reipsa conterere caput serpentis. At, quemadmodum unicuique innotescere potest, hæc varietas non officit vero Scripturæ sensui. Mirari magis debemus, quod afferens Decretum Concilii Apostolorum, circa observantias legales, id omiserit, quod respicit prohibitionem edendi suffocata, & textui hæc adaderit verba: aliis ne feceritis quod vobis fieri non vultis. Alia ex D. Irenæo testimonia erui possent circa S. Scripturam: quia vero necessario cum aliis articulis sunt connexa; hinc de iis, quando opportuna sese obtulerit occasio, sermonem instituemus.

(a) Lib. 5. Hist. Ecclesiast. cap. 8.

CAPUT SECUNDUM.

DE TRADITIONE.

Via cognoscendi verã Traditionem Apostolorum. Lib. 3. c. 3. n. 1.

I. TRaditionem summopere diligit S. Irenæus, estque veluti summa ejus Theologiæ, ac peremptorium argumentum contra omnes hæreticos. Nihil dici potest quod æque prosit, ac quæ tradit S. Doctor de Traditione; quæ omnia ad duo præcipua capita revocari possunt. Primum est via dignoscendi veram Apostolorum Traditionem. Secundum necessitas & utilitas hujus Traditionis. Quoad primum articulum docet S. Irenæus, quod omnes qui cupiant verum videre, possint nullo negotio respicere in omnibus Ecclesiis Traditionem Apostolorum, quæ in toto mundo manifestata est: *Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre; & habemus annumerare eos*, addit ille, *qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi, & successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, quale ab his (Hæreticis) deliratur*. Ille igitur tutiorem viam detegendi veram Traditionem percurrit, qui Discipulos Apostolorum adit, eorumque in Ecclesiæ regimine Successores: *Etenim*, egregie addit Sanctus ille Doctor, *si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim ... perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant*. Valde enim perfectos, & irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes; quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas.

Sequitur idem argumentū. Ibid.

II. Quia vero nimis longum esset, & solummodo hominum eruditissimi numerare possent omnium Ecclesiarum successiones, hinc Sanctus Lugdunensis Episcopus optimum ducit inhærere traditioni earum Ecclesiarum, quas rexerunt Apostoli; potissimum vero Traditioni Ecclesiæ Romanæ, quæ est omnium vetustissima, omnibus cognita, & ab Apostolis fundata: *Sed quoniam valde longum est ... omnium Ecclesiarum annumerare successiones; maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo* (vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam) *præterquam oportet colligunt*. Satis igitur erit fidelibus, ut de propria fide securi sint, si eamdem se tenere fidem sciant, quam recepit in particulari ab Apostolis qui eam gubernarunt Romana Ecclesia: nilque aliud requiritur ut orthodoxa eorum fides in tuto posita sit, ac possint hæreticis insidias effugere.

Magna auctoritas Ecclesiæ Romanæ ob potiorē ejus principalitatē. Ibid. n. 2.

III. *Ad hanc enim Ecclesiam*, prosequitur S. Irenæus *propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio*. Nostri hujus ævi Hæretici, Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ hostes acerrimi conjicere ex his possunt, num prærogativæ hujus Ecclesiæ, suorumque Pontificum, recenter adinventæ sint, nulloque vetustatis fundamento innitantur, sicuti falso ipsi opinantur. Habemus hunc Episcopum, ex Vetustioribus unum, qui Apostolorum ævo floruit, qui sanctitate & eruditione primos coæquat Ecclesiæ Doctores, & fatetur, Ecclesiam Romanam omnes Ecclesias dignitate antecellere, *maximæ*; omnium esse antiquissimam, *antiquissimæ*; omnibus esse cognitam, *omnibus cognitæ*; debere omnes ad hanc convenire propter potiorem ejus principalitatem super omnes Ecclesias, *propter potiorem ejus principalitatem*; omnesque Ecclesias ac fideles debere in ejus communione persistere, *necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles*, quia semper in illa conservata est Traditio, quam ab Apostolis accepit: *In qua semper ... conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio*. Si verba hæc habeamus cum Novatoribus nostri ævi, evoment injurias contra Catholicos omnes, illosque velut assentatores, vanosque Pontificatus adoratores traducent. Sed prius oportet ut calumnias has in illustrem hunc Episcopum contorqueant, ostendantque,

II. SÆCULUM.

que, ex simplicitate illorum sæculorum aut Pontifices assentationes repetiisse, aut Episcopos assentatores fuisse Pontificum. Si id demonstrare non valeant, fateantur igitur tandem aliquando, Catholicos Theologos nequaquam esse vanos Pontificum adoratores, ac desinant denegare illis, eorumque Ecclesiis ea privilegia, de quibus usque modo locuti sumus, quæ vetustissima sunt, ac validissimis momentis confirmantur, dummodo tamen limites hac super re a Patribus præscriptos non egrediantur.

Pontifices series usque ad S. Irenæi tempora. Ibid. n. 3.

IV. Completo hoc de Romana Ecclesia elogio S. Irenæus narrat successionem Romanorum Pontificum, qui usque ad illa tempora eidem Ecclesiæ præfuerant. Scribit itaque, quod instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt; succedit autem, prosequitur ille, ei Anacletus: post eum tertio loco Episcopatum sortitur Clemens: huic autem Clementi succedit Evaristus; deinde Alexander, Sixtus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus, Soter, & Eleutherius nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet: *Hac ordinatione & successione*, concludit Sanctus Lugdunensis Episcopus, *ea quæ est ab Apostolis Traditio, & veritatis præconatio, pervenit usque ad nos*. Et est plenissima hæc ostensio, unam & eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate. Deinde loquens de S. Polycarpo

Auctoritas a Polycarpi. Ibid. n. 4.

Smyrnensi Episcopo scribit, quod illustris iste Pater non solum, ab Apostolis edoctus est, & conservatus cum multis ex eis qui Dominum viderunt; sed etiam ab Apostolis in Asia in ea quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus est Episcopus; eaque docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat; & testimonium illi perhibebant quæ sunt in Asia Ecclesiæ omnes, & qui usque adhuc successerant Polycarpo, quod vir multo majoris auctoritatis, & fidelior erat, quam Valentinus & Marcion, & reliqui hæretici. Hoc pacto utebatur S. Irenæus auctoritate Patrum, qui ante ipsum floruerunt, ut sui ævi hæreticos confunderet, ac ostenderet quantum a veritate recederent & ab Apostolorum doctrina, dum præterire non verebantur proprias insanas opinationes intemeratæ Catholicæ Ecclesiæ fidei.

Necessitas & utilitas Traditionis. Lib. 3. c. 4. n. 1.

V. Quod ad necessitatem Traditionis spectat, ingentesque ejus utilitates, S. Irenæus sequentibus verbis se explicat. Si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt? *Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis? Nonne oportebat ordinem sequi Traditionis quam*

Num. 5.

tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt, addit ille, multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt sine charta, & attramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem custodientes. Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt; quantum autem ad sententiam & consuetudinem & conversationem, propter fidem per quam sapientissimi sunt, & placent Deo, conversantes in omni justitia, & castitate, & sapientia. Quibus si aliquis annuntiaverit ea, quæ ab hominibus adinventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. *Sic per veterem illam Apostolorum Traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt quodcunque eorum portentiloquium est: necdum enim congregatio fuit apud eos, neque doctrina instituta.* Consideret hic Lector, num quæ docet S. Irenæus hoc loco de necessitate maximisque utilitatibus Traditionis insimul stare valeant cum eo notabili contemptu, quo eam suscipiunt nostri ævi Hæretici. Cæterum, eruitur ex postremis allatis verbis Sancti hujus Doctoris, eum credidisse, non secus ac Tertullianus, a Scripturis divinis hæreses omnes exortas esse: *Quæ hæreses sine Scripturis esse non possunt*. Ex quo necessario infertur, Sanctum Lugdunensem Episcopum necessariam credidisse Traditionem ad determinandum verum sensum eorum Scripturarum textuum, quibus abuti quis posset in erroris tutelam: sine Traditione enim veritas semper succubuisset, & Ecclesia manere non potuisset.

CAPUT TERTIUM.

DE ECCLESIA.

Auctoritas Ecclesiæ. Lib. 5. c. 20. n. 1.

I. PLuribus in locis peregregie loquitur S. Irenæus de Ecclesia: & ut ab iis exordiamur textibus, in quibus de gravi ejus auctoritate loquitur, Sanctus iste Doctor scribit, Ecclesiæ vocem esse semitam quæ mundum universum circuit, quippe firmam habet ab Apostolis Traditionem. Addit insuper, quod ostendit camdem fidem in omnibus suis membris, quod ejus prædicatio vera est ac firma, apud quam una & eadem salutis via in universo mundo ostenditur: huic *enim creditum est lumen Dei*, & propter hoc Sapientia Dei, per quam salvat omnes homines: *ubique enim Ecclesia prædicat veritatem, & hæc est ἑπτάμυξος, Lucerna Christi bajulans lumen*. Demonstratis deinde periculis, quibus se exponunt qui recedunt ab Ecclesia, eam comparat Paradiso terrestri, in cujus sinu fideles educantur, & Dominicis Scripturis enutriuntur. Scribit alio loco, non oportere quærere veritatem apud alios, cum in Ecclesia facile sit hanc reperire, &c. *Tanta igitur ostensione cum sint, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quæ sint veritatis: ut omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ.*

Miracula in Ecclesia etiã tempore S. Irenæi. Lib. 2. c. 32. n. 4.

II. Evidentius autem probat S. Irenæus gravem Ecclesiæ auctoritatem, cum narrat prodigia, quæ suo etiam ævo in illa operabantur. De his enim sequentibus verbis loquitur, postquam de hæreticorum præstigiis verba fecit. Quapropter & in nomine illius, qui vere illius sunt Discipuli, (hoc est in suo sensu, Ecclesiæ filii) ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim Dæmones excludunt firmissime & vere, ut etiam sæpissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus, & sint in Ecclesia. Alii autem & præscientiam habent futurorum, & visiones, & dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curant, & sanos restituunt. *Jam etiam ... & mortui resurrexerunt, & perseveraverunt nobiscum annis multis, ἤδη δὲ .... καὶ νεκροὶ ἠγέρθησαν, καὶ παρέμειναν σὺν ἡμῖν ἱκανοῖς ἔτεσι.* Tandem, non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens, in nomine Christi Jesu, crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit, neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens: quemadmodum enim gratis accepit a Deo, gratis & ministrat. Nec invocationibus Angelicis facit aliquid, nec incantationibus, nec reliqua prava curiositate; sed munde, & pure, & manifeste orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Jesu Christi invocans, virtutes ad utilitates hominum, sed non ad seductionem perficit. Habes igitur veri Miraculi notas. 1°. Ea parabant orationibus publicis præmissis. 2°. Invocatione Nominis Jesu Christi. 3°. Absque superstitione. 4°. Gratis. 5°. Ad hominum utilitatem, & semper in veritatis favorem. 6°. Tandem qui aliqua infirmitate laborabant, curabantur, & sani restituebantur. Cum omnes hæ notæ non occurrunt, præstigium est, non verum miraculum.

Unitas fidei & sententiarum in Ecclesia Catholica. Lib. 1. c. 10. n. 2.

III. Magis vero apparet, Ecclesiæ auctoritas ex suæ fidei unitate, ac unanimitate suæ doctrinæ. Acceptam prædicationem ac fidem, inquit S. Irenæus, Ecclesia, tametsi per totum terrarum orbem sparsa, summo studio, & cura, perinde atque unam domum incolens, conservat, ac velut animam unam, atque unum idemque cor habens, his æque fidem accommodat, & mirum consensu, quasi uno ore prædita, hæc prædicat, docet, ac tradit. *Quamquam enim dispares inter se mundi linguæ sint, una tamen & eadem est Traditionis vis.* Ac neque hæ, quæ in Germania sitæ sunt, Ecclesiæ, aliter credunt aut aliter tradunt, nec quæ in Hispaniis, aut Galliis, aut in Oriente, aut in Ægypto, aut in Africa, aut in mediterraneis orbis regionibus sedem habent. *Verum, ut Sol hic a Deo conditus, in universo mundo unus atque idem est, ita etiam veritatis prædicatio passim lucet, omnesque homines qui ad veritatis agnitionem venire cupiunt, illustrat.* Addit insuper Sanctus Doctor, quod cum una eademque sit Ecclesiæ fides, nemo potest ei aliquid addere dum de ea orationem habet, aut illam imminuere: *Nam cum una atque eadem fides sit, neque qui de ea orationem uberrimam habere potest, exuberat; neque, qui pauca habet, quæ dicat, imminuit, μιᾶς γὰρ καὶ τῆς αὐτῆς πίστεως οὔσης, οὔτε ὁ πολὺ περὶ αὐτῆς δυνάμενος εἰπεῖν, ἐπλεόνασεν, οὔτε ὁ τὸ ὀλίγον ἠλαττόνησεν.* Constat ex his 1°. Ecclesiam per totum terrarum orbem diffusam fuisse tempore S. Irenæi, licet primis illis sæculis furerent persecutiones. 2°. Hanc eamdem Ecclesiam, licet tam late propagatam, unam nihilominus eamdemque fidem habuisse, eamdem doctrinam ubique docuisse, unum eumdemque sermonem ubique fuisse locutum. Unus erat idemque ejus spiritus in quacunque regione, spiritus veritatis, qui est secundum Apostolum, *Unus atque idem spiritus*. Licet natione, climate, moribus, indole differens Ecclesiæ istæ

in diver-

II. SÆCULUM.

in diversis plagis sitæ, ac invicem distarent; nihilominus admirabilis hæc unanimitas in omnibus conspiciebatur perperam reluctantibus Dæmoniis, quæ Hæreticorum ministerio nullum non movebant lapidem ut unitatem hanc proscinderent. Hæc fidei unitas fuit semper ex præcipuis Ecclesiæ Catholicæ notis; & absque hac unitate vera Ecclesia haberi nequit. Quælibet doctrina ac opinio, quæ hac destituatur prærogativa, Catholica non est, sed falsa ac extranea.

Fidei Symbolum ab Apostolis traditum. Ibid. n. 1.

IV. Nec solum narrat in genere S. Irenæus, Ecclesiam ubique unam eamdemque fidem tenere, ac prædicare; sed loquitur insuper in particulari de articulis fidei, quibus fideles invicem uniuntur. Ecclesia enim, loquit ille, per universum orbem seminata, ab Apostolis, & a Discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem Omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: & in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute; & in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas prædicavit dispositiones Dei, & adventum, & eam, quæ est ex Virgine, generationem, & passionem, & resurrectionem a mortuis, & in carne in cœlos ascensionem dilecti Jesu Christi Domini nostri, & de cœlis in gloria Patris adventum ejus, ad resuscitandam omnem carnem humani generis, ut judicium justum in omnibus faciat, & spiritalia nequitiæ & Angelos transgressos, atque Apostatas factos, & impios homines in æternum ignem mittat; justis contra & pietate præditis, quique ipsius præcepta servaverunt, atque in ipsius charitate partim jam inde ab initio, partim ex pœnitentia perstiterunt, vitam donet atque incorruptibilitatem largiatur, gloriamque sempiternam afferat. Hæc fidei Dogmata nobis tradidisse Apostolos scribit S. Irenæus. Nonnullas movent hic Critici quæstiones, quæ supervacaneæ mihi videntur; scilicet, num, exempli caussa, Sanctus Irenæus loquatur hoc loco de vera fidei formula, quam Apostoli tradiderint; vel potius de eorumdem Doctrina, quæ temporis decursu sub certa quadam formula, ac quibusdam articulis sit exarata. Inquirunt etiam, num, dato quod sermo sit hic de quodam Symbolo, idem sit tamen cum eo Symbolo, quod communiter sub nomine Apostolorum circumfertur. At mihi in animo non est hujusmodi quæstiones solvere, quæ vanæ ac futiles sunt. Quidquid igitur sit, num de fidei formula agatur, nec ne, inficiari tamen nemo potest, sermonem hic fieri de Doctrina quam Apostoli tradiderunt; & hoc sat superque est, ut summa veneratione omnibus hisce articulis subscribamus.

Catholicitas, & Visibilitas Ecclesiæ. Lib. 4. c. 36. n. 2.

V. Superius jam vidimus, S. Irenæum prædicare Catholicitatem de vera Ecclesia; sed occurrit modo alius textus eamdem essentialem notam comprobans, quin immo & ejus Visibilitatem, quæ æque est illi necessaria. Sanctus iste Episcopus ad Ecclesiam referens quidquid scribit de mystica vinea Sanctus Mattheus (*a*), ait, Deum tradidisse eam aliis colonis: *Quapropter tradidit eam Dominus Deus, non jam circumvallatam, sed expansam in universum mundum, aliis colonis, turre electionis exaltatam ubique & speciosam. Ubique enim*: addit ille, *præclara est Ecclesia, & ubique circumfossum torcular; ubique enim sunt qui suscipiunt spiritum*. Si nostra hac ætate viveret S. Irenæus aptius loqui non posset contra recentiores Hæreticos, qui æque negant Ecclesiæ Catholicitatem, ac Visibilitatem.

Characteres Doctrinæ Ecclesiæ. Lib. 3. c. 24. n. 1.

VI. Dabimus modo veras notas, quibus vult S. Irenæus ut nobis innotescat Doctrina Ecclesiæ, ac ab omni extranea doctrina secernatur. Ait ille, semper & ubique Ecclesiæ Doctrinam eamdem fuisse, ac testimonium habuisse n Prophetis, Apostolis, cæterisque Discipulis: *Prædicationem vero Ecclesiæ ubique constantem, & æqualiter perseverantem, & testimonium habentem a Prophetis, & ab Apostolis, & ab omnibus Discipulis*: & alibi scribit: Agnitio vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status, in universo mundo, & character Corporis Christi secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt: quæ pervenit usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum, neque ablationem recipiens. Ostendit deinde, Hæreticos invicem inter se pugnare, innumeras de uno inter eos esse diversitates, & de iisdem Scripturis varias habere sententias, ac omnes quotquot sunt, tantas de uno eodemque Doctrinæ articulo gestantes sententias, in abscondito terere secum sua acumina: ac concludit: *Nos autem unum & solum verum Deum, Doctores sequentes, & regulam veritatis habentes ejus sermones, de iisdem semper eadem dicimus omnes*. Doctrina igitur Ecclesiæ, ejusque vera fides in Scripturis fundatur, ac Traditione: huic testimonium reddunt Patres, nec ulli obnoxia est mutationi, & ubique constans est, & æqualiter perseverat. Si alicui doctrinæ hujusmodi desint notæ, suspecta est, ac debet vitari.

Lib. 4. c. 33. n. 8.

Ibid. c. 35. num. 4.

Necessitas recurrendi ad Pastores Ecclesiæ. Lib. 4. c. 26. n. 2.

VII. Ut autem fidelibus innotescat quænam sit vera Ecclesiæ fides, ac Doctrina quam amplecti debent, recurrant oportet ad suos ministros ac Pastores, ut ex ore ipsorum quid credere debeant, ediscant. Quapropter, inquit S. Irenæus, eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus; qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt: Et paulo inferius ait: Oportet adhærere his, qui & Apostolorum, sicut prædiximus, doctrinam custodiunt, & sermonem sanum, & conversationem sine offensa præstant: *Hi enim fidem nostram custodiunt ..... & Scripturas sine periculo nobis exponunt. Post deinde*, scribit ille alio loco, *& omnis sermo ei constabit, si & Scripturas diligenter legerit apud eos qui in Ecclesia sunt Presbyteri, apud quos est Apostolica Doctrina, quemadmodum demonstravimus*. Longe igitur aberant fideles beatis illis sæculis a falsis ac periculi plenis illusionibus spiritus particularis, quem Sectatores hodie etiam adeo reverentur, ut eo duce omnes controversias dirimant, ac difficultates solvant, quæ respiciunt Religionem.

Ibid. n. 5.

Lib. 4. c. 32. n. 1.

Magnæ utilitates pro iis, qui Pastoribus Ecclesiæ obediunt. Ibid. c. 33. num. 1.

VIII. Addit S. Irenæus paucis interjectis, quod fidelis, qui regulæ modo præscriptæ sese conformat, scilicet ab Ecclesiæ Pastoribus verum Scripturarum sensum expectat, hic est homo spiritualis, qui, juxta Apostoli doctrinam, judicat omnes, ipse vero a nemine judicatur. Talis Discipulus vere spiritalis, verba sunt Sancti hujus Episcopi, judicat primo Gentes, Creaturæ magis quam Creatoris servientes. Judicat Judæos, non percipientes Verbum libertatis, neque volentes abire liberos, quum habeant præsentem liberatorem. Judicat Marcionis doctrinam admittentis duos Deos esse, infinita distantia separatos ab invicem. Judicat Valentinianos, qui dividunt Personam Jesu Christi. Judicat Ebionitas, qui negant realitatem Incarnationis Verbi. Judicat Pseudoprophetas, qui non accepta a Deo prophetica gratia, nec Deum timentes, sed aut propter vanam gloriam, aut ad quæstum aliquem, aut & aliter secundum operationem mali spiritus, fingunt se prophetare, mentientes adversus Deum. Tandem, *Judicabit autem & omnes eos qui sunt extra veritatem, idest qui sunt extra Ecclesiam*: *ipse autem a nemine judicatur*.

num. 7.

Veri Martyres dari non possunt extra Ecclesiam Catholicam. Lib. 4. c. 33. n. 9.

IX. Postremo loco de Ecclesia agit S. Irenæus libro quarto, in quo loquens de Charitate, quæ in Ecclesia Catholica reperitur, hæc habet: *Quapropter Ecclesia omni in loco, ob eam quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem Martyrum in omni tempore præmittit ad Patrem*: reliquis autem omnibus (Hæreticis) non habentibus hanc rem ostendere apud se: nisi si unus, addit Sanctus Doctor, aut duo aliquando, cum martyribus nostris opprobrium simul bajulavit nominis, & cum eis ductus est ad supplicium. Tuetur autem, in sola Ecclesia Catholica haberi veros martyres, quia in illa solummodo extat dilectio, sine qua veri Martyres dari non possunt: *Sola Ecclesia pure sustinet*.

CAPUT QUARTUM.

DE HÆRETICIS ET SCHISMATICIS.

In quo veteres Hæretici cognoscerentur. Lib. 1. cap. 22.

I. VEteres Hæretici dignoscebantur, quia, sicuti docet S. Irenæus, aberant n veritatis regula, qua credimus, quod sit unus Deus omnipotens qui omnia condidit ex nihilo per Verbum suum. Omnes enim fere quotquot sunt hæretici, inquit Sanctus iste Doctor, Deum quidem unum dicunt, sed per sententiam malam immutant, ingrati existentes ei, qui fecit eos, quemadmodum & Gentes per Idololatriam: Distinguebant quippe veteres hæretici inter Mundi conditorem, quem appellabant Demiurgum, sicuti supra vidimus, & Deum Patrem, qui, juxta ipsos, solus verus Deus erat, & Principium omnium Æonum. Plasma autem Dei contemnunt, prosequitur S. Irenæus, contradicentes suæ saluti, ipsi sui accusatores amarissimi, & falsi testes existentes: contemnebant enim materiam tamquam quid mali, & a malo principio proveniens, & opinabantur, nec carnis resurrectionem, nec corporum salutem sperandam esse. *Qui quidem resurgent*, ait Sanctus Doctor, *in carne, licet nolint*: cum justis autem non annumerabuntur, propter incredulitatem suam. Hi sunt igitur duo præcipui veterum hæreticorum errores; denegare scilicet vero Deo titulum

(*a*) Cap. 21.

II. SECULUM.

lum creatoris, quem impertiebantur imaginariæ cuidam Divinitati; & contemnere corporeas substantias, quas malo Principio tribuebant. Expresse ipse S. Irenæus asserit, omnes errores hæreticorum sui ævi, ad duo hæc primaria capita referendos esse; quod omnium Conditorem blasphemabant, & Creaturæ salutem denegabant. *Quæcunque enim*, inquit ille, *cum gravitate summa dixerint omnes Hæretici, in ultimum ad hoc deveniunt, ut blasphement fabricatorem, & contradicant saluti plasmatis Dei*.

Lib. 4. Præfat. num. 4.

Artificia Hæreticorum. Lib. 3. c. 15. n. 2.

II. Ut cavere possint fideles ab his erroribus, S. Irenæus omni studio detegit varia hæreticorum artificia. Isti enim quandoque, ut scribit Sanctus iste Episcopus, inferunt sermones, per quos capiunt simpliciores; & queruntur etiam de Catholicis, quod cum similia cum illis sentiant, abstineant a communicatione eorum, & quod cum eadem dicant, & eamdem habeant doctrinam, vocent illos hæreticos; hinc suasorio hoc ac verisimili sermone decipiunt, ut supra innuimus, multos. Hac arte utuntur hæretici ut fideles seducant: quæ quidem ars periculi plena est maxime quoad indoctos, qui insidias haud valent detegere. Quid enim ad seducendum aptius, quam hæc quæ prætenditur species unanimitatis in credendo quæ Catholica credit Ecclesia? Nihilominus seductio isthæc nequaquam est inevitabilis; indocti quippe æque ac sapientes hanc vitare possunt; sapientes quidem diligens examen instituendo de doctrina horum pseudo-Catholicorum, hancque cum doctrina Ecclesiæ comparando; indocti vero ad proprios Pastores confugiendo, ut sub eorum custodia liberentur ab artificiis horum luporum, qui sub ovis pelle conantur ingerere facilius in animis incautorum erroris venenum. Memores simus iis in circumstantiis pulcherrimæ hujus S. Irenæi sententiæ: *Suasorius enim, & verisimilis, & exquirens fucos error; sine fuco autem est veritas, & propter hoc pueris credita est*. Ibid.

Ficta Miracula Hæreticorum. Lib. 2. c. 31. n. 2.

III. Sicuti autem simplices ad hæresim seducere possent pariter simulata prodigia, ab Hæreticis quandoque patrata in erroris confirmationem, sicuti contigit primis Ecclesiæ sæculis; hinc huic periculo occurrit S. Irenæus, tradens primo loco, sicuti & superius præstitit, veri miraculi proprietates; secundo falsi miraculi notas significans. Ait ergo, quod simulata hæc prodigia non faciebant in virtute Dei, neque in veritate, neque ut benefici hominibus, sed in perniciem & errorem; quin immo & per magicas operationes; *Neque enim*, verba sunt S. Irenæi, *cæcis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes dæmones effugare, præter eos qui ab ipsis immittuntur, si tamen & hoc faciunt*: quod sane ostendit, S. Irenæum de hoc etiam dubitasse: Addit insuper, quod non poterant infirmos sanitati restituere, multoque minus mortuum excitare, quemadmodum Dominus excitavit & Apostoli, & sicuti in Ecclesia per jejunium & orationem etiam suo ævo peragebatur: *Et in fraternitate sæpissime, propter aliquid necessarium .... Ecclesia universa postulante perjejunium & supplicationem multam, reversus est spiritus mortui, & donatus est homo orationibus Sanctorum*.

Characteres Hæresis. Lib. 3. c. 24. n. 1-2.

IV. Ex iis quæ Sanctus Lugdunensis Episcopus superius tradidit de doctrina Ecclesiæ, & de notis, quibus dignosci ea potest, videtur quod nulla difficultate secerni valeat ab hæresis doctrina: nihilominus etiam hujus in particulari notæ exponit S. Irenæus, ita ut solus ille qui id velit, seduci queat. Scribit enim, exempli caussa, quod cum hæretici alienati sint a veritate, digne in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora de eisdem sentientes, & nunquam sententiam stabilitam habentes, Sophistæ verborum magis volentes esse, quam discipuli veritatis: *non enim*, addit ipse; *fundati sunt super unam petram, sed super arenam habentem in seipsa lapides multos*. Et alio loco ait: *Sic autem abeunt omnes quotquot sunt hæretici, tantas de uno gestantes sententias, in absondito ferentes secum sua acumina*. Omnes isti, loquitur semper S. Irenæus, valde posteriores sunt quam Episcopi, quibus Apostoli tradiderunt Ecclesias: *Necessitatem ergo habent .... hæretici, quoniam sunt cæci ad veritatem, alteram & alteram ambulare exorbitantes viam; & propter hoc inconsonanter & inconsequenter dispersa sunt vestigia doctrinæ ipsorum*.

Lib. 4. c. 35. n. 4.

Lib. 5. c. 20. n. 1.

Damna Hæresis. Lib. 3. c. 24. n. 1.

V. Talis est hæreticorum calamitas, eorumque qui ab Ecclesia recedunt. Fraudant a vita semetipsos, inquit S. Irenæus, per sententiam malam & operationem pessimam: Ubi enim Ecclesia, ibi & Spiritus Dei; & ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia, & omnis gratia; Spiritus autem veritas: *Quapropter qui non participant eum (Spiritum) neque a mammillis Matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem; sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis, & de cœno putidam bibunt aquam*. Prudenter itaque Sanctus iste Doctor vetat nobis noxium hæresis fructum, ut non projiciamur a paradiso vitæ hunc fructum edentes, qui nos ultra rectos veræ justitiæ limites elevaret: *Ut non, illorum manducantes agnitionem, eam quæ plusquam oportet, sapit, projiciamur de paradiso vitæ*. Omnia hæc pulcherrima loca maximam præstant ædificationem, dulcique consolatione replent humiles fideles, qui ex corde puro captivant intellectum in obsequium fidei, ac mentem subjiciunt infallibili Ecclesiæ auctoritati; at æque terribilia sunt iis, qui superbi, ac vana sapientia inflati, in negotio fidei pro regula habent errores particularis spiritus, & sæpe cordis corrupti. Utinam isti omnes, qui voluntaria cæcitate laborant, serio meditarentur periculum in quo versantur, dum hoc modo a veritatis doctrina recedunt, ac sincere intelligerent, *Quanto pluris sit idiota religiosus*, ut S. Irenæi verbis utar, *a blasphemo, & impudente Sophista*. Ibid.

II. SECULUM.

Lib. 4. c. 20. n. 2.

Quid pro Hæreticorum conversione agendum. Lib. 2. c. 31. n. 1.

VI. S. Irenæus misericordia motus pro infelici horum hæreticorum statu, vehementer illum urget, cui Opus suum inscribit, omnesque qui id possunt, ut serio propriæ conversioni attendant. Hinc præbet consilium, ei, cui ut diximus Opus suum inscribit, ut mitiores eorum & humaniores avertat & confundat; feroces autem & horribiles & irrationabiles effuget a se longe, ne amplius sustineat verbositates eorum. *Eum autem qui velit eos convertere, oportet diligenter scire regulas, sive argumenta ipsorum*: Nec enim possibile est, scribit Sanctus Doctor, alicui curare quosdam male habentes, qui ignorat passionem eorum, qui male valent: *Quapropter qui ante nos fuerunt, & quidem multo nobis meliores, non tamen satis potuerunt contradicere his qui sunt a Valentino, quia ignorabant regulam ipsorum*: quem defectum se omni sollicitudine effugisse narrat; quod sane verissimum est; quidquid dicat Abbas Faydit in Opusculo, cujus superius memini, in quo non veretur asserere, quod S. Irenæus, cæterique veteres Patres perfecte non callebant Valentinianorum principia; immo audet horum Hæreticorum doctrinam veluti perfecte orthodoxam traducere. Ex momentis autem, quibus id probare contendit, probe dignoscitur hujus paradoxi imbecillitas. Cæterum optimum erit obiter hic animadvertere, S. Irenæum summa moderatione suorum prædecessorum innuisse defectus.

In Præfat. ad Lib. 4. num. 2.

Hæretici tentandi sunt omni virtute ut convertantur. Lib. 3. c. 25. n. 7.

VII. Nec silentio præteriri potest Sancti hujus Episcopi dilectio erga Hæreticos ac zelus pro eorum conversione. Nos autem precamur, inquit ille, non perseverare eos in fovea, quam ipsi foderunt, sed legitime eos generari, conversos ad Ecclesiam Dei, & formari Christum in eis. Hæc precamur de illis, utilius eos diligentes, quam ipsi semetipsos putant diligere: quæ enim est a nobis dilectio, quum sit vera, salutaris est eis, si quidem eam recipiant: est enim austero medicamini similis abstergens improprìorem ac superfluam vulneris carnem; elationem enim illorum, & inflationem evacuat: *Quapropter tentantes omni virtute, manum porrigere eis non tædebit nos*. Habent hic unde instruantur Hæretici æque ac Catholici. Hæretici quidem: inde enim conjicient se perperam scandalum pati si quis importune satagit a fovea eos eripere, ac ad Ecclesiæ sinum reducere: Catholici autem, qui inde discent, minime abjiciendam omnimodam sollicitudinem pro hæreticorum salute. Dummodo ex charitate id peragant, eadem semper fati debent cum Sancto Irenæo, *Non tædebit nos*: certum quippe est, idem cum Sancto hoc Doctore præmium se esse recepturos.

Icon Schismaticorũ. Lib. 4. c. 33. n. 7.

VIII. Antequam huic Capiti finem imponamus, superest ut exhibeamus imaginem Schismaticorum, iisdem S. Irenæi verbis, qui libro quarto hæc scribit: Homo spiritalis, hoc est juxta S. Irenæi mentem, fidelis qui Ecclesiæ subjicitur, *judicabit & eos qui Schismata operantur, qui sunt inanes, non habentes Dei dilectionem, suamque utilitatem potius considerantes, quam unitatem Ecclesiæ, & propter modicas & quaslibet caussas, magnum & gloriosum Corpus Christi conscindunt & dividunt, & quantum in ipsis est, interficiunt; pacem loquentes, & bellum operantes, vere liquantes culicem, & camelum transglutientes*. Pulcherrima est hæc Schismaticorum imago, eorumque naturam & indolem ob oculos ponit.

CA-

II. SECULUM.

CAPUT QUINTUM.

DE DIVINIS PERFECTIONIBUS ABSOLUTIS.

I. PRæ omnibus Divinis Perfectionibus Dei Unitas cordi est Divo Irenæo in suo Opere contra Hæreses; hæc quippe præ cæteris in controversiam vocabatur ab omnibus ferme vetustis hæreticis contendentibus, Deum Mundi conditorem differre a Patre Jesu Christi, quem appellabant Deum bonum, ac Patrem omnium Æonum asserebant, cum e contra Demiurgus esset solummodo justus, ac Deus veteris Testamenti. Varum hanc imaginationem pluribus refutat rationibus S. Irenæus, quarum notabiliores sunt quæ modo sequuntur.

Unitas Dei. Lib. 4. c. 1. n. 1. & 2.

Ait ergo primo loco, Unitatem Dei evidenter ex eo probari, quod Jesus Christus unum Deum confessus est, & unum scire Deum præcepit Discipulis suis, quemadmodum constat ex pluribus Evangelii textibus, quod quidem non fecisset, si alios habuisset Patres ac Deos: *Non est autem hoc Magistri boni, sed seductoris & invidi*; seductor quippe ac invidus fuisset, si alia præcepisset Discipulis, alia vero ipse fecisset: Hæc autem est horribilis blasphemia: Jesus Christus igitur unum Deum confessus est, & per consequens Deus unus est.

Lib. 2. c. 35. n. 3. 4.

Secundo docet S. Irenæus, quod etsi diversas dictiones usurpaverint Prophetæ ad eum indigitandum cujus virtute loquebantur; nihilominus non alterius atque alterius nuncupationes ac pronomina sunt, sed unius ejusdemque Dei. Hinc de uno eodemque Deo, inquit Sanctus Doctor, dicimus quod sit Pater omnium, & Deus omnipotens, & Altissimus, & Dominus cœlorum, & Creator, & Fabricator, & his similia. Tertio tandem veritatem hanc probat ex omnium hominum unanimi consensione ab Adam ad nos usque, qui unum eumdemque Deum fatentur, Conditorem Universi. Ait enim, Veteres Patriarchas didicisse hanc Veritatem a primis Parentibus per traditionem; Judæos vero qui subsecuti sunt, illam didicisse a Prophetis; Ethnicos hanc percepisse ex consideratione Creaturarum; tandem Ecclesiam ea traditione Apostolorum:

Ibid. c. 9. num. 1.

Omnibus hominibus ad hoc demum consentientibus; veteribus quidem .... a primoplasti traditione hanc suadelam custodientibus, & unum Deum fabricatorem cœli & terræ hymnisantibus: reliquis autem post eos, a Prophetis Dei hujus rei commemorationem accipientibus: Ethnicis vero ab ipsa conditione discentibus .... Ecclesia autem omnis per universum orbem hanc accepit ab Apostolis traditionem. Ex egregio hoc textu concludamus invincibiliter ignorari non posse Deum, cujus Unitas & Existentia nititur Universali omnium sæculorum Traditioni, nec ipsis Ethnicis exceptis, qui ex consideratione Universi, ex pulchritudine, ordine, ac dispositione Creaturarum idipsum senserunt cum cæteris hominibus.

II. Idem Sanctus Doctor loquitur pariter de simplicitate Dei, hoc est de simplicitate Divinæ suæ Essentiæ, suarumque operationum.

Summa Dei simplicitas. Lib. 1. c. 12. n. 2.

Qui simul ut cogitat, inquit ille, *jam perficit hoc quod voluit; & simul ut vult, etiam hoc cogitat quod voluit; tunc cogitans cum vult, & tunc volens cum cogitat; cum totus sit cogitatus, totus mens, totus lux, totus oculus, totus auditus, totus fons omnium bonorum.* Si autem Valentiniani Scripturas cognovissent, scribit alio loco S. Irenæus,

Lib. 2. c. 13. n. 3.

& a veritate docti essent, scirent utique, quoniam non sic Deus, quemadmodum homines, & non sic cogitationes ejus, quomodo cogitationes hominum: multum enim distat omnium Pater ab his, quæ proveniunt hominibus, affectionibus & passionibus: *Et simplex, & non compositus, & similimembrius*, quæ originalis vox posset græce verti per ὁμοιόκωλος aut ὁμοιομερής *& totus ipse sibimet similis & æqualis est, totus cum sit sensus, & totus spiritus, & totus sensuabilitas, & totus ennœa, & totus ratio*, Hæc Dei idea magna est & sublimis: excludit hæc omnem diversitatem, differentiam, distinctionem, compositionem, & maximam in re Theologica utilitatem præstat quando sermo est de simplicitate Divinæ essentiæ suarumque Operationum.

III. Nec minus sollicitus est Divus Irenæus ut ostendat, Deum esse Universi conditorem; & eo magis veritatem divinæ hujus perfectionis comprobare nititur Sanctus Doctor, quod hanc impugnabant, sicuti supra innuimus hæretici sui ævi, præcipue vero Valentiniani, contra quos hæc scribit.

Solus Deus Creator Mundi. Lib. 2. c. 2. n. 5. 2. 3. 4. 5. & 6.

Si Deus cœlum & terram non creavit, si ex seipso, una cum Verbo suo omnia non condidit, sed Angelis adscribi debet hæc operatio, dicamus oportet, aut Angelos id fecisse ex Dei mandato, aut fecisse sine ejus consensu, & contra ejus voluntatem: si secundum hoc dicatur, consequens est, quod Deus negligens sit, aut minor existens, aut nullam curam habens eorum, quæ in propriis ipsius fiunt: quæ sane contumeliam in Deum sapiunt, & rectæ rationi adversantur. Si autem non præter voluntatem Dei, sed volente & sciente Universum condiderunt Angeli, consequens est ministros solummodo fuisse ejus voluntatis, ideoque Mundi fabricationem non ipsis, sed voluntati Dei adscribi debere; quemadmodum in Regem correctio belli refertur, qui præparavit ea quæ sunt causa victoriæ; & non securim concidere ligna vel serram secare, sed hominem, qui ipsam securim & serram ad hoc fecit, concidere & secare rectissime dicimus. Nemo autem credat, Deum hoc pacto Mundum condidisse juxta S. Irenæum: quando enim sic loquitur S. Irenæus, unice ob oculos habet hæreticos, qui vero Deo Creatoris perfectionem denegabant, ut Angelis illam tribuerent, nec intendit ibi determinare Fidelium fidem circa Creationem.

num. 4.

Sit fortasse hic sermo suasorius, inquit S. Irenæus ipse, sive seductorius apud eos, qui ignorant Deum, & qui hominibus assimilant cum inopibus, & his qui non possunt statim aliquid ex parato fabricare, sed indigentibus multis organis ad eorum fabricationem; non autem verisimilis in totum apud eos, qui sciunt, quoniam nullius indiget omnium Deus: omnia autem quæ facta sunt, infatigabili Verbo fecit. Et hoc probat Sanctus Doctor nonnullis Scripturarum testimoniis, præcipue vero illo Joannis: (a) *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Deinde concludit his verbis:

num. 5.

Cui igitur magis credemus de mundi fabricatione? his, qui prædicti sunt, hæreticis, sic fatua & inconstantia garrientibus, an Discipulis Domini, & fideli famulo Dei Moysi & Prophetæ? ... Quale enim est (qualis stultitia) Prophetarum, & Domini, & Apostolorum relinquentes nos voces, attendere his nihil sani dicentibus?

num. 6.

IV. Alibi etiam urget Valentinianos hoc ratiocinio,

Sequitur idem argumenti. Lib. 2. c. 16. n. 1. 2. 3. & 4.

Vel Deus Creator a semetipso accepit exemplum mundi fabricationis, vel ab aliqua alia potentia. si a semetipso, ergo solus Deus est Creator; quod quidem destruit opinionem Valentinianorum: si vero ab aliqua superiori potentia, inquiritur, a quonam potentia hæc acceperit tale exemplum; & sic usque in infinitum. Quanto igitur tutius & diligentius est, quod est verum statim initio confiteri, quoniam fabricator Deus hic, qui mundum fecit, solus est Deus, qui creavit omnia? Tandem Sanctus Doctor aperte docuit Deum ex nihilo omnia condidisse: Attribuere enim, inquit ille, substantiam eorum, quæ facta sunt, virtuti & voluntati ejus, qui est omnium Deus, & credibile, & acceptabile, & constans, & in hoc bene dicetur:

Cap. 10. num. 4.

Quoniam homines quidem de nihilo non possunt aliquid facere, sed de materia jacenti: Deus autem, quam homines hoc primo melior, eo quod materiam fabricationis suæ, cum ante non esset, ipse adinvenit.

V. Denegare igitur Deo perfectionem Creatoris, error est, qui juxta S. Irenæum, defendi nequit; sed æque errat, qui huic Deo Creatori denegat perfectionem Bonitatis, ac fatetur solummodo justum, sicuti & Marcionitæ qui duos finxerant Deos bonum unum, alterum justum. Chimæricam hanc distinctionem refutat Sanctus ille Doctor, ostendens unum solum principium haberi, quod simul bonum est ac justum. Hanc veritatem comprobat testimonio Ethnicorum Philosophorum, ut contundat Hæreticos, & demonstret, religiosiores esse profanos istos Scriptores:

Solus Deus Justus & Bonus. Lib. 3. c. 25. n. 4. 5.

Quibus, inquit ille, *religiosior Plato ostenditur, qui eumdem Deum & justum & bonum confessus est, habentem potestatem omnium, ipsum facientem judicium, ... & iterum fabricatorem & fabricatorem hujus universitatis bonum ostendit.* Sicuti vero Marcionitæ non poterant invicem unire mansuetudinem & misericordiam Jesu Christi, quem Filium Dei boni dicebant, & rigorem ac severitatem Dei hebræorum, quem distinguebant a Patre Jesu Christi,

Lib. 4. c. 8. n. 1. 2. 3.

hinc S. Irenæus ostendit illis, quod non obstante clementia Salvatoris, ejusque Patris, acerbiores nos manent pœnæ si Divinarum legum violatores fuerimus; & quod gratia novi fœderis, licet maxima sit, ac immensum superet gratiam veteris Testamenti, nostram augebit condemnationem, nisi optimi efficiamur, ac perfecti Christiani. Contendit insuper, quod quidquid asserebant Marcionitæ de Deo veteris Pacti, in Jesum Christum recidit, quod quidem tanta evidentia demonstrat, ut major desiderari nequeat.

VI. Marcionitæ ut ostenderent, Deum veteris Testamenti esse auctorem mali, ac proinde denegandam illi esse perfectionem Bonitatis, dicebant, quod Deus induravit cor Pharaonis, & famulorum ejus; respondet

Deus non est auctor mali. Lib. 4. c. 29. n. 1.

vero

(a) Evangel. cap. 1. vers. 3.

II. Sæculum. pag. 70. *morabor; animi tui oculos probe videntes, & cordis tui aures da operam ut audiant.* Nam Deus, addit ipse paulo inferius, *non ab hominibus videtur; verum illis soli ejus aspectu frui possunt, quibus datum est; iis nempe, qui animi oculos offerunt .... apertos.* Hæc revera est prima dispositio, & magis necessaria ad acquirendam Dei ac veritatis notitiam. Christianus fieri potest solummodo qui homo est, scilicet ratione præditus. Antequam fidei donum accipiatur deponi debent præjudicia, ac præventiones, & absque hoc vetus Christianus, ac sincerus fidelis nemo esse potest.

Secunda dispositio. Ibid. III. Secunda dispositio quam requirit Theophilus ab iis, qui ad veritatis agnitionem pervenire cupiunt, est cor purum, hoc est, liberum a servitute passionum, quæ ita caligine suffundunt oculos mentis, ut Deum videre non possint. Omnes habent oculos, egregie inquit ille, sed quidem caligine suffusos, ac Solis lucem non videntes: *Cæterum, non propterea solares radii fulgore carent, quod a cæcis non videntur.* Sic & tu mentis tuæ oculos caligine suffusos habes, prosequitur Theophilus ad Autolicum verba faciens, ob peccata, & malas actiones tuas. Ut speculum renidens, ita animam hominis puram esse decet. Cum igitur ærugo in speculo extiterit, non potest hominis vultus in speculo conspici: ita cum peccatum in homine fuerit, non potest quisquam hujusmodi Deum videre. *Si itaque desideras ut Deum meum tibi ob oculos ponam; primum peto, temetipsum mihi ostendas, ut sciam, si sis adulter, scortator, fur .... His qui prædictis criminibus sunt inquinati, nequaquam apparet Deus, nisi prius ab omni inquinamento se repurgarint.* Constat ea his quid nonnullis respondendum sit (qui se devotos nihilominus jactant) quando conqueruntur non posse se quasdam Evangelii veritates percipere, nec iis delectari. Ad cor revocandi sunt & ad seipsos, & demonstrari debet, in ipsis adesse caussam obscuritatis & ariditatis, quibus perfunduntur & perturbantur; ac fœditatem passionum impedire, ne speculum animæ radiis cœlestibus pateat, ardentesque mystici veritatis solis, qui super ipsos perpetuo refulget, radios recipiat: sed hæc est lux quædam, quæ lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehendunt: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* (a)

Tertia dispositio. Ibid. IV. Tertia & postrema, quæ, juxta Theophilum, requiritur dispositio, ut ad Dei cognitionem quis perveniat, est fides, quam comitari debet timor Dei: *imprimis autem*, inquit ille, *requiritur fides, & timor Domini, quæ duo in animo tuo præcedere oportet.* Demonstrata, sicuti superius innui, familiaribus exemplis, hujus fidei necessitate, his verbis concludit: *Si igitur Agricola credit telluri, navigaturus navi, infirmus medico, tune refugis temetipsum credere Deo, a quo tot fidei arrhabones accepisti?* Verba hæc excitandis animis idonea sunt, & solum obdurati commoveri his non poterunt. II. Sæculum.

§. III.

PRINCIPES TERRÆ.

I. PRo hujus Sectionis Coronide, Theophili doctrinam circa Principes terræ proferre in animo est. Præcipit Pater iste, ut colamus Principes terræ, & debito honore observemus, necnon fidelitatem præstemus, ac obedientiam iis debitam: caveamus autem monet, ne cultum solius Dei proprium, iis tribuamus, quia licet Principes supra cæteros homines fulgore dignitatis ac dominatione extollantur, mortales tamen sunt, & ex sola Dei liberalitate imperium obtinent. *Honorabo Regem*, inquit ille, *sive Cæsarem, non tamen eum adorabo, verum pro eo orabo; Deum, qui vere & verus Deus est, adorabo, sciens Cæsarem ab ipso esse ordinatum.* Si tu me interrogas, prosequitur Theophilus, cur Regem non adoro? Respondeo: quia Rex non est Deus, sed homo, sicut cæteri, & constitutus a Deo Rex, non ut adoretur, sed ut legitimo honore observetur, & ut juste judicet: *Quia non ad id institutus est (Rex) ut adoretur, sed ut legitimo .... honoretur honore. Rex enim sive Cæsar Deus non est: sed meminerit se esse hominem a Deo in hanc dignitatem promotum, non ut adoretur, sed ut justo, quemadmodum justitia exigit, judicet:* Θεὸς γὰρ οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἄνθρωπος ὑπὸ Θεοῦ τεταγμένος, οὐκ εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι, ἀλλ' εἰς τὸ δικαίως κρίνειν. Quomodo colendi sint Principes terræ. p. 16.

III. At si Theophilus tam æquos auctoritati Principum limites præscribit ex una parte; ostendit ex altera vim potestatis eorum, & unde originem trahat: Declarat enim, Deum ipsum committere Regibus Regnum, rerumque administrationem: *Nam Regnum .... rerumque administratio ipsi (Regi) a Deo commissa & demandata est.* A solo Deo igitur habent Reges terræ auctoritatem, potentiam, ac Regnum, ideoque solus Deus potest illos his exuere: hinc Rex ipse, prosequitur Theophilus, quos sub se præfectos habet, Reges vocari non patitur; est enim Rex ipsius nomen, quo nomine alium vocari non licet .... *Regem quidem sive Cæsarem honora, honora, inquam, magna cum benevolentia, subjectus ei existens, & orans pro eo: hoc facious, Dei voluntatem exequeris:* τὸν βασιλέα τίμα, τίμα εὐνοῶν αὐτῷ, ὑποτασσόμενος αὐτῷ, εὐχόμενος ὑπὲρ αὐτοῦ, τοῦτο γὰρ ποιῶν, ποιεῖς τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ. Principibus igitur non obedientiam servilem, ac mere exteriorem præstare debemus, sed filiale obsequium, ac benevolentiam: hæc est enim voluntas Dei. A quonam Principes terræ habeant auctoritatē. pag. 76.

(a) Joann. cap. 1. vers. 5.

DOCTRINA TATIANI ASSYRII

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

TESTATUR Eusebius in sua Historia Ecclesiastica (1) vetustum hunc D. Justini Discipulum, quem deinceps Encratitæ hæretici, seu Continentes parentem habuerunt, plurima opera conscripsisse: ex quibus omnibus solus nunc apud nos extat Tractatus adversus Gentes, sive Græcos. Tractatus iste, prout refert Eusebius percelebris est, omniumque Tractatuum hujus Scriptoris elegantissimus est, atque utilissimus: *Maximum certe librorum numerum ab eo (Tatiano) relictum esse constat; ex quibus præcipue, multorum testimonio laudatur insignis ille adversus Gentiles liber διαβόητος αὐτοῦ λόγος ὁ πρὸς Ἕλληνας, qui quidem liber, omnium quos ille scripsit, elegantissimus simul atque utilissimus videtur, ὃς δὴ καὶ δοκεῖ τῶν συγγραμμάτων ἁπάντων αὐτοῦ κάλλιστός τε καὶ ὠφελιμώτατος ὑπάρχειν.* Idipsum sentit D. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Tatianus, ut creditur, adhuc Catholicus erat, quando hunc Tractatum concinnavit; & nihil reipsa in illo adinvenire est, quod Encratitarum sapiat errorem. Afferemus modo quidquid notabilius in illo continetur tam quoad Dogma, quam quoad Mores.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA.

§. I.

Sacra Scriptura.

Antiquitas sacræ Scripturæ. pag. 170. 171. 172. 173. & 174.

OMnia quæ in hoc Tractatu continentur, Dogma respiciunt & Chronologiam, & quoad mores fere nihil in eo reperitur. Tatianus ibi urget præcipue vetustatem Scripturarum, imprimis vero Pentateuchi, ostenditque illius Scriptorem, omnes profanos Scriptores longe præcessisse. Evidenter id comprobat ex ipsis profanis Scriptoribus, qui de Moysis vetustate testimonium perhibent. Homerus, juxta Tatianum, omnium Græcorum Scriptorum antiquissimus est: at Moyses hunc præcedit tempore; extat enim antequam mœnia Trojæ ponerentur; cum econtra Homerus, prout ille refert inter Græcos Historicos, qui hunc omnium primum dicit, non extiterit nisi post celebre Trojanum bellum, ipsiusque Trojæ incendium. Quod Moyses præcesserit Trojæ fundationem, id ostendit Tatianus ex Scriptoribus Chaldæis, Phœnicibus, ac Ægyptiis. Scribit, exempli gratia, quod Berosus Babylonius commemorat Nabuchodonosor, a quo suscepta est in Judæos expeditio: quod Theodotus, Hypsicrates, ac Mochus, tres Phœnices Historici loquuntur de amicitia Salomonis, & Chirami; hosque Viros rebus Iliacis vicinos dicunt. In dubium revocari nequit, quod duos hos Principes longe præcesserit Moyses. Tandem Ptolemæus Sacerdos Mendensis in Ægyptho testatur, Judæos sub Amosæ Ægyptiorum Rege ex Ægypto, duce Moyse, profectos esse: ille vero Princeps æqualis fuit Inacho, qui primus fuit Argivus Rex: tempus vero, quod ab Inacho ad Ilii excidium effluxit, ætates implet viginti. Hinc, cum Moyses æqualis Inacho constituatur, jam præcessit Trojanum bellum per annos quadringentos, & per consequens Trojæ fundationem per annos centum & quatuor, cum steterit hæc Urbs annis bis centum octoginta sex. Tatianus probat insuper Moysis vetustatem ex successione Regum Athenarum ac Macedoniæ, & hac occasione narrat seriem Legumlatorum, ac Sapientum Græciæ.

§. II.

Deus.

Attributa Divina. pag. 144.

EN quid sentiret de Deo vetustus hic Scriptor: *Deus noster*, inquit ille, *non consistit intra tempus; solus sine principio μόνος ἄναρχος ὤν, cum ipse sit principium rerum omnium quæ inceperunt*. Ait insuper, Deum esse Spiritum, qui materiam non permeat, sed materialium spirituum, ac figurarum quæ sunt in materia, auctor est; & visu, & tactu incomprehensus; omnium tamen sensibilium æque ac invisibilium est parens: *Deus est spiritus non insinuans se materiæ πνεῦμα ὁ θεὸς οὐ διήκων διὰ τῆς ὕλης, sed spirituum materialium, & formarum in materia opifex, invisibilis, intactibilis, omnium autem Pater, quæ vel sensu percipiuntur, vel visum fugiunt. Hunc ex opere quod condidit*, prosequitur ipse, *agnoscimus, & potentiam ejus invisibilem ex factis æstimamus*. Hæc Dei cognitio in Scholis appellatur *a posteriori*.

§. III.

Deus Verbum.

I. POst D. Joannem Apostolum docet Tatianus, quod Deus erat in principio Θεὸς ἦν ἐν ἀρχῇ, & per illud principium intelligendum esse Divinum Verbum docet τὴν δὲ ἀρχὴν, λόγου δύναμιν παρειλήφαμεν, *Principium autem, Verbi potentiam esse accepimus*: in quo convenit cum cæteris veteribus, qui eum præcesserunt. Ait, Deum fuisse solum, quatenus quidem mundus nondum erat creatus; quatenus autem ipse potentia omnis, & eorum quæ videntur & non videntur sustentatio erat: *In ipso enim*, addit noster Auctor, *per potentiam Verbi, tum ipse (Deus Pater,) tum Verbum quod in eo erat, subsistit*, potius quam *existere*, ut habet Versio σὺν αὐτῷ γὰρ διὰ λογικῆς δυνάμεως αὐτὸς καὶ ὁ λόγος ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε. Constat ergo, Tatianum sensisse, sicuti communiter ante & post ipsum senserunt cæteri, omnia cum Deo *ab æterno* esse *in potentia*, ut loquuntur Scholæ. Hanc autem rationem adducit, quia Verbum, quod ille repræsentat nobis ut principium rerum omnium quæ creatæ sunt, existebat ab æterno cum Patre, & in Patre. In hoc igitur sensu dici potest, mundum esse æternum, cum potentia, per quam mundus conditus est æterna sit. Magni autem interest hic animadvertere, Tatianum recognoscere coæternitatem Verbi cum Patre, & actualem ejus existentiam, quæ differt ab existentia Patris: quod sane importat necessario & identitatem naturæ in Patre & Verbo, & personalem differentiam inter utrumque. Dixi primo loco identitatem naturæ, quia, juxta veterum ratiocinium in veritate fundatum, id quod est coæternum, est inde consubstantiale; & ex hac caussa materiæ æternitatem admittere nolunt, prout superius in Theophilo notavimus. Dixi insuper personalem differentiam inter Patrem ac Verbum; etenim quando supponimus, sicuti supponit Tatianus, utrumque ab æterno actualem existentiam habuisse, ac propriam subsistentiam ὑπόστασιν; necessario inde sequitur, personam Patris a persona Filii differre, licet eadem sit essentia ac natura in utroque. Quod autem Tatianus crediderit, Patrem, ac Verbum propriam habuisse existentiam, peculiarem, & actualem ab æterno, eruitur ex verbis hujus Auctoris superius allatis: *Tum ipse Pater*, inquit ille, αὐτὸς; *tum Verbum quod in eo erat, subsistit* καὶ ὁ λόγος ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε. Cum Tatianus vero fuerit D. Justini

Existentia actualis Verbi ab æterno cum Patre, & in Patre. pag. 145.

Disci-

(1) Lib. 4. Hist. Eccles. cap. 29.

II. SAECULUM.

Discipulus, ut dixi in animadversionibus quas præmisi, non sine validissimo fundamento asserere possumus, S. Justinum idipsum sensisse circa has præcipuas Religionis veritates, quidquid in oppositum dicant Recentiores aliqui, quos, ut opinor, suo loco prout par erat, refutavimus.

Emanatio Verbi. Pag. 145. II. Præter modo allatum textum, alius etiam occurrit circa eamdem Verbi personam, in quo expresse ait Tatianus, Verbum tuum prosiliisse ex Patris simplicitate, quando Pater ipse voluit: *Cum voluit autem ipse, Verbum ex ejus simplicitate prosiliit*: docet insuper, Verbum natum esse per communicationem, non per abscissionem *γέγονε δὲ κατὰ μερισμὸν, οὐ κατὰ ἀποκοπήν*. Quod explicat ille paritate sumpta ex pluribus facibus, quæ ab una face accenduntur, absque eo quod hujus facis, ob plures accensas faces, lux imminuatur. Sic Verbum, prosequitur Tatianus, ex Patris potentia prodiens, Genitricem Verbi expertem non fecit: *Quemadmodum enim ab una face alia multa accenduntur, nec tamen primæ facis lux minuitur; sic etiam Verbum a Patris potentia progressum, non reliquit Genitorem Verbi expertem οὕτω καὶ ὁ λόγος προελθὼν ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς δυνάμεως, οὐκ ἄλογον πεποίηκε τὸν γεγεννηκότα. Nam & ego si loquor*, ait insuper, *& vos audiatis, non tamen propter transitum sermonis, ego qui vobiscum loquor, sermone vacuus fio.*

§. IV.

Resurrectio Mortuorum.

De Mortuorum Resurrectione adeo expresse ac orthodoxe loquitur Tatianus, ut nihil ultra desiderari queat. *Per mortem ad non esse redactus*, inquit ille, *atque iterum conspicuus oculis denuo fiam. Quamvis enim caro tota incendio consumatur, materiam tamen evaporatam mundus excipit. Quamquam aut in fluviis, aut mari contabescam, aut a feris dilanier, condor tamen in penu prædivitis Domini ταμείοις ἐναπόκειμαι πλουσίου δεσπότου .... qui substantiam, sibi soli conspicuam, quando voluerit, ad pristinam integritatem reducet*. Idque illico probat, quia Verbum Dei quod hominem creavit, illum ad imitationem Patris fecit; ut quemadmodum immortalitas est apud Deum, sic etiam homo immortalitatem habeat: *Verbum enim illud cæleste, Spiritus a Patre progenitus, πνεῦμα γεγονὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς, & ratio ex rationali potentia, καὶ λόγος ἐκ λογικῆς τῆς δυνάμεως, hominem immortalitatis imaginem fecit ad imitationem sui genitoris; ut quemadmodum immortalitas apud Deum est, eodem modo divinam portionem nactus homo, immortalis quoque evaderet*. Majori vi loqui nemo potest pro carnis Resurrectione.

§. V.

Libertas Angelorum ac Hominum.

pag. 146. I. Nec minus perspicue ostendit Tatianus veritatem liberi arbitrii in Angelis & Hominibus. *Verbum igitur*, habet ille, *ante creatos homines, produxit Angelos: utraque vero Creatura arbitrii sui libertate permissa est .... Relictum est autem humano generi voluntas libera, ut in improbos jure animadvertatur, utpote sua culpa tales; justi contra, laudes de præclaris actionibus merito auferant, qui libere & ingenue Dei voluntatem non aspernati sint*. Hoc loco refutat erroneam Fati opinionem, docetque, non solum nos fato non subesse, sicuti falso opinabantur Pagani, sed fato nos esse superiores, & nos gubernatores esse fati, nequaquam vero a fato gubernari: *Cæterum*, inquit, *nos & fato superiores sumus, ἡμεῖς δὲ καὶ εἱμαρμένης ἐσμὲν ἀνώτεροι, & pro planetis, hoc est erraticis dæmonibus, unum erroris nescium Dominum accepimus; & cum fato non gubernamur, gubernatores ejus contendimus*.

Adversus erroneam opinionem Fati. Pag. 148.

Mali effectus peccati Originalis. Pag. 150.

II. Tradit insuper, nos originem non habuisse ut moreremur, sed nostra culpa nos mori; liberam nostram voluntatem nos perdidisse; nos qui liberi eramus, servos factos fuisse, ac per peccatum nosmetipsos vendidisse: *Non nati sumus ut moreremur, morimur autem nostra culpa; perdidit nos libera voluntas ἀπώλεσεν ἡμᾶς τὸ αὐτεξούσιον, & qui liberi eramus, in servitutem redacti sumus δοῦλοι γεγόναμεν οἱ ἐλεύθεροι, propter peccatum venditi sumus*. Addit, nihil mali a Deo factum esse, ac nos ipsos improbitatem produxisse: *οὐδὲν φαῦλον ὑπὸ θεοῦ πεποίηται, τὴν πονηρίαν ἡμεῖς ἀνεδείξαμεν, nihil mali factum est a Deo: nos ipsi produximus pravitatem*; vel potius, *miseram vitæ nostræ conditionem*; cum vox *πονηρία* utrumque significet. Veritatem autem, quæ consolationem affert, illico docet, nos scilicet posse malum vitare, illudque jam patratum, repudiare: *Eam vero qui produxerunt, denuo etiam repudiare possunt οἱ δὲ ἀναδείξαντες, δυνατοὶ πάλιν παραιτήσασθαι*, & inferius: *Cæterum quicumque victus est homo, denuo repudiata conditione mortis, vincere potest*. Pulcherrima hæc loca æque probant veritatem peccati Originalis, & veritatem liberi arbitrii in homine etiam post illud peccatum: ex his enim eruitur, quod licet humana libertas maximum detrimentum passa sit ex prævaricatione primorum parentum, nihilominus destructa omnino non est. Innumera privilegia, quibus a Deo cumulata fuerat, amisit: nihil vero amisit de sua essentia.

Errores Tatiani circa Angelos. Pag. 152.

III. Optandum esset, quod Tatianus ita accurate de Angelis locutus fuisset, sicuti locutus est de libero arbitrio: non possumus enim in utroque loco idem judicium de illo ferre. Contendit ille, Angelos materia constare ac spiritu; immo hunc spiritum extrahit a materia. Tradit, ipsos luxuriosos evasisse: perfecte immortales esse illos non credit; docetque carne amictos non esse, sicuti homines, sed ex subtiliori materia esse conflatos, sicuti ignis est, & aer: *Quin etiam Dæmones ex materia concreti, & spiritu ex ea sumpto, luxuriosi & delicati evaserunt .... non facile autem moriuntur, dum carnei non sint οὐ θνήσκουσι μὲν ῥᾳδίως, σαρκὸς γὰρ ἀμοιροῦσι .... Porro Dæmones*, addit ille, *non carnem, sed spirituali concretione constant; qualis est ignis & aeris*. Fatendum tamen est, Tatianum æque mortales non credere Angelos, ac Homines: Angelorum mors, juxta ipsum, est omnino spiritualis, & consistit in negotiis mortis, quæ exercent: post verba superius recitata, illico subjungit: *Sed viventes, negotia mortis exercent: toties nimirum & ipsi morientes, quoties illos, quibus præeunt peccatis imbuerint .... in præsentia peculiare habent, nempe non similiter ut homines mori, μὴ ὁμοίως τοῖς ἀνθρώποις ἀποθνήσκειν*. Fatetur etiam, quod sicuti nos immortali præmio vel pœna in alia vita donari debemus, ita Angeli, qui hac vita abutuntur ad peccandum, vel alios ad peccatum erudiunt, erunt immortales: *Quemadmodum nos autem, quibus nunc facile mors supervenit, futuro sæculo vel immortalitatem cum voluptate, vel tristitiam cum immortalitate assequemur; sic dæmones, qui præsenti vita abutuntur ad peccandum, eamdem imposterum immortalitatem habebunt, similem priori, qua tum vivebant, quoad ejus constitutionem sive essentiam*. Addit vero insuper, quod horum immortalitas eadem erit ac illorum hominum, qui impie vixerunt: quod idem est ac si dicat, æterna tormenta ipsos manere. Licet Auctor iste parum accurate de Angelis, sive Dæmonibus locutus sit; aliqua nihilominus docuit, quæ in dubium revocari non possunt; uti sunt exempli gratia, quod nullus remanet ipsis pœnitentiæ locus: *Dæmonum substantia pœnitentia locum non habet*: quod Dæmones non sunt animæ hominum, quibus imperant: *Porro Dæmones, qui hominibus imperant, non sunt animæ hominum*: quod neminem sanant Dæmones, sicuti ex superstitione opinabantur Pagani, sed præstigiis hominea decipiunt: *Non sanant Dæmones, sed dolo capiunt homines*. Hoc loco recitat Tatianus quemdam S. Justini Magistri sui locum his verbis conceptum. Justinus eos latronibus similes esse declaravit; qui homines vivos capere solent, ac deinde suis eos pretio restituere. Undenam eruerit hunc S. Justini locum Tatianus ignoro, nisi dicere velimus, extitisse in aliquo ex his quæ perierunt hujus Patris Operibus. pag. 154. pag. 157.

Errores circa Animam. Pag. 150.

IV. In Tatiano difficultates occurrunt etiam dum de Anima sermonem instituit: Nihil minus exacte dici potest, quam quæ pluribus locis scribit. Primo admittit in homine duo spirituum genera, quorum unum dicit Animam, alterum vero imaginem Dei: *Duo spirituum genera nos agnoscimus, δύο πνευμάτων διαφορὰς ἴσμεν ἡμεῖς, quorum alterum, anima vocatur; alterum vero præstantius est anima, imago scilicet, & similitudo Dei*. Tradit, utrumque primis nostris Parentibus datum fuisse, ut ex una parte materia constarent, ex altera vero materiam superarent: *Utrumque autem priscis hominibus*, vel potius (*primis*) *datum erat, ἑκάτερα δὲ παρὰ τοῖς ἀνθρώποις τοῖς πρώτοις ὑπῆρχεν, ut partim materia constarent, partim eam superarent*. Eruitur ex his, quod Tatianus arbitrabatur, nostram animam non esse id quod nos appellamus in nobis imaginem & similitudinem Dei; sed credebat animam materialem, & ex necessaria illatione morti obnoxiam. Auctor iste in sequentibus idipsum confirmabit.

V. Etenim aperte declarat paulo infra, eumdem spiritum adinveniri in stellis, Angelis, hominibus, animalibus, plantis &c. eumdem, esse in omnibus substantiis, si quædam excipiantur differentiæ, juxta differentiam subjectorum, in quæ reperitur: *Spiritus igitur inest stellis, Angelis, stirpibus, aquis, hominibus,* Pag. 151.

II. SÆCULUM.

bus, animalibus, & quamvis unus ac idem sit, differentias tamen in se habet. Quem portentosium errorem Scripturarum auctoritate fulcire contendit. Hinc concludit, paucis interjectis: *Non immortalis est anima suapte natura, sed mortalis*, οὐκ ἔστιν ἀθάνατος ἡ ψυχὴ καθ᾽ αὐτήν, θνητὴ δέ; *Eadem tamen ne moriatur, fieri potest. Moritur enim*, prosequitur ipse, *& dissolvitur cum corpore, quæ veritatis ignara est* (anima); *resurgit autem postea in consummatione mundi una cum corpore, mortem in ipsa immortalitate per cruciatum & pœnam sentiens. Et rursus anima, quæ Dei cognitione instructa est, licet ad tempus solvatur, non moritur*. Addit pariter, quod si anima solitaria degens consideretur, & prout divino Spiritu caret, una cum carne moritur: cum divino autem spiritu est copulata, ad cœlum ascendit, & illic deducitur ab eodem spiritu. Constat igitur, Tatianum admittere animam materialem, morti obnoxiam, immortalemque tantum ex gratia: ex quo sequitur, illum morti subjicere impiorum animas, perfecte immortales vero fateri animas justorum. Impiorum autem mors contingit, ut ipse tradit, ex eorum separatione a spiritu divino, qui idem est ac illud, quod imaginem Dei ille appellat. Alia possem circa idem argumentum loca proferre; sicuti vero ex una parte inutile id foret, ex altera vero Tatiani mens perspicue eruitur ex allatis huc usque textibus; hinc unum solummodo afferam locum, in quo confidenter tuetur, animam non esse simplicem, pluribus constare partibus, esse materialem: etenim, addit ipse, anima sine corpore apparere nequit; nec caro resurgit sine corpore. Consequuntur hæc omnia ex erroneis philosophiæ profanæ principiis quæ didicerant Veteres antequam Christianam amplecterentur Religionem, & quibus nimis adhærebant. Sane melius locuti fuissent, si scivissent distinguere substantiam spiritualem a corporea, & si diversas earum operationes ad diligens accuratumque examen revocassent.

Pag. 152.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

I. VErum ab his erroribus oculos avertamus, ut consideremus veritates Morales, quæ in Tatiano leguntur. 1°. Damnat Auctor iste divinationes, quæ frequentissime apud Paganos in usu erant; ac demonstrat, quod posita veritate illarum superstitionum, homo inferior esset animalibus ac plantis, quibus Pagani propheticam virtutem tribuebant, quam virtutem ipsis hominibus denegabant: *Vere ne quercus divinat, dicit ille Gentibus, & aves præsagiant? Tu vero animalibus & plantis ignobilior es. Præstaret igitur te fieri lignum præsagum, & volucrum alas sumere*.

Contra Divinationes Paganorum. pag. 158.

II. 2°. Tatianus describit vitam & mores Paganorum Philosophorum: Quid magnum, inquit ille, aut mirabile faciunt apud vos Philosophi? Alterum humerum negligunt, plurimam demittunt comam, barbam alunt, ungues ferinos circumferunt; ac nullius quidem sese dicunt egere. Ut ostendat vero Tatianus Gentilibus, hos Philosophos falso sibi blandiri quoad postremum articulum, recitat eos omnes, a quibus necessaria accipiebant, atque inter cætera, nonnullos accipere consuevisse ab Imperatore sexcentos in annum aureos, quos haud recte impendebant: *Tantum ab hoc studio*, inquit, *absunt Philosophi vestri, ut nonnulli sexcentos in annum aureos ab Imperatore Romano, ad nullum utilem finem accipiant*. Hæc erat paupertas istorum, qui magni habebantur viri.

Vita & Mores Philosophorum Gentiliũ. pag. 152.

Pag. 157.

III. 3°. Nec solum reprehendit Tatianus profanorum Philosophorum vitam; sed contemnit insuper eorum doctrinam. Paganos provocat, ut in scriptis suorum Auctorum soliditatem ac veritatem illam ostendant, quæ in sacris libris adinvenitur: *Vos*, habet ad eos, *qui conviciis nobiscum agitis, fabulas vestras nostris narrationibus conferte*. Et ob illorum oculos positis fabulis ac mendaciis, quibus horum Philosophorum Doctrina scatebat, eos irrationabiliter irridere Doctrinam Christianorum dicit: *Talis cum sit Religio vestra, quomodo nos irridetis? Ergo respicite ad vestras narrationes, & saltem velut similiter fabulantes nos admittite. Atqui nos non deliramus, vestra vero plena sunt nugis*.

Adversus Doctrinam Paganorũ. pag. 159. & 160.

IV. 4°. Quod Doctrina Christianorum præstet Paganorum Doctrinæ, Tatianus hoc pacto ostendit. Apud nos autem, inquit ille egregie, nec inanis gloriæ cupiditas, nec varietas sententiarum. Remoti enim a pervulgata & terrena doctrina, Dei præceptis parentes, ac legem patris incorruptionis sequentes, quidquid humanis opinionibus continetur, rejicimus. Philosophantur non solum divites, sed & gratuito pauperes doctrina perfruuntur: majora enim sunt quæ a Deo proficiscuntur, quam ut mundi muneribus rependi possint. Quicunque autem audire voluerint, omnes hoc modo admittimus, etiamsi anus, etiamsi adolescentes fuerint; ac omni prorsus ætati suus est apud nos honor ... Nec de accedentibus judicium ex specie & habitu facimus: nam robur animi omnibus inesse posse censemus, quamvis infirmis sint corporibus.

Idea Doctrinæ & Religionis Christianæ. pag. 167.

V. 5°. Postremus tandem Tatiani locus respicit potestatem Principum ac Regum. Quid est igitur, o Græci, ait Tatianus ad eos loquens, cur tanquam in pugilatu aliorum instituta incitare in nos velitis? ac si nonnullorum institutis uti nolo, cur tanquam scelestissimus odio habeor? Jubet Rex tributa pendere? paratus sum solvere. Servire & ministrare Dominus? servitutem agnosco. Homo enim, ut hominem decet, colendus est, solus autem Deus metuendus. Hunc negare si jubeat, hac tantum in re non parebo, moriarque potius, ne mendax & ingratus arguar. Locus hic esset doctrinæ Hermiæ exponendæ, cujus extat Tractatus quidam adversus Gentiles. Sicuti autem brevissimus est Tractatus ille, nihilque continet memorabile pro re theologica, satis erit id Lectoribus indicasse, qui illum perlegere poterunt post Tatiani Tractatum inter Opera D. Justini.

Justi limites Potestatum temporalium. pag. 144.

DO-

DOCTRINA SANCTI IRENÆI

EPISCOPI LUGDUNENSIS, ET MARTYRIS.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

Elogium S. Irenæi. I. INFORTUNIUM est pro Ecclesia, quod ex tot pretiosis scriptis, quæ Auctores Ecclesiastici magno Divo Irenæo adscribunt, supersint tantum quinque libri adversus Hæreses, ac fragmenta aliqua aliorum ejus Operum. Jacturam hanc solus ille non persentiet, qui ignorat excellens meritum vetusti hujus Lugdunensis Episcopi, quem semper Ecclesia præstantioribus suis defensoribus accensuit, & cujus immensos labores compensare voluit pulcherrimis elogiis, quæ celebriores Patres de illo concinnarunt. Hinc Tertullianus illum recenset inter Doctores, qui sanctitate vitæ, ac eruditionis profunditate commendabiliores sunt, ejusque memoriæ gloriosum hoc testimonium reddit, quod scientias omnes ingenti studio, maximoque mentis acumine penetravit (1): *Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator*. Eusebius eum perhibet veluti testem fide dignissimum, Catholicæque doctrinæ propugnatorem egregium, qui Hæreticorum abdita pandit, necnon eorum initia, vitam, falsorum Dogmatum caussas ac rationes, studia denique & instituta singulorum palam omnibus detegit (2). Divus Epiphanius eum nuncupat beatum Apostolorum successorem, qui subtiliter disputans, Hæreticorum stultitiam cum pari imbecillitate conjunctam admirabiliter convicit, qui Spiritus Sancti donis instructissimus, ac cœlestibus ornamentis ad certamen perunctus, & sinceræ fidei ac scientiæ præsidiis munitus, omnia illorum prostravit, evertitque mendacia (3). Cyrillus Hierosolymitanus illum eximium dicit interpretem Doctrinæ Ecclesiæ (4). Divus Hieronymus appellat eum, Episcopum Apostolicorum temporum, immo virum Apostolicum (5): *Vir Apostolicorum temporum, vir Apostolicus Irenæus*. S. Augustinus vocat eumdem *Antiquum hominem Dei*; eumque præficit memorabili ac venerabili consessui propugnatorum veritatis, qui de Pelagianis solemne tryumphum reportarunt (6). Tandem Theodoretus scribit, Beatum Irenæum successorem fuisse Apostolorum, virum Apostolicum, admirabilem, & Gallorum, immo totius Occidentis lumen, illumque considerandum exhibet sub imagine spiritualis cujusdam Fontis, ex quo salutares doctrinæ omnino cœlestis aquæ ad nos derivarunt; ac cujusdam hortorum cultoris, qui fidelissime Celticas gentes excoluit & illuminavit (7). Quis igitur ex veris Ecclesiæ Filiis, elogia hæc præ oculis habens, jacturam tantam lugere non poterit? Quod si solatii nobis esse possunt pauca, quæ Divinæ Providentiæ dono supersunt adhuc illustris hujus Gallorum Doctoris scripta, inauspicato tamen originalem textum amisimus; & ex omnibus quæ conscripsit ipse adversus Hæreses, unius libri primi textus græcus fere integer ad nos usque pervenit: ex reliquis vero, qui subsequuntur, quatuor libris aliqua remanent loca sejuncta, quæ conservavit Deus in Eusebio, S. Epiphanio, D. Joanne Damasceno, ac nonnullis aliis Græcis Patribus.

Testimonia Patrũ in favorẽ V. Librorum S. Irenæi. II. In dubium revocari nequit veritas horum quinque S. Irenæi librorum, si piissimos æque ac clarissimos viros attendamus, qui hujusmodi libros Episcopo illi adscribunt. Primus qui id asserat est Tertullianus in suo libro contra Valentinianos, in quo Irenæum accenset Patribus iis, qui Hæreses impugnarunt *instructissimis voluminibus* (8). Tertullianum sequitur Eusebius, qui expresse meminit quinque librorum adversus Hæreses his verbis: *Hæc Irenæus*, inquit ille (9), *breviter perstrinxit ..... in illis quinque libris, quos de falsæ doctrinæ refutatione ac eversione inscripsit*. S. Epiphanius postquam dixit, Spiritum Sanctum instruxisse Irenæum ut dispelleret Hæresum illusiones, ac de vanis Hæreticorum conatibus triumphum reportaret, statim subjungit, id perfecisse magnum hunc Virum, potissimum in secundo libro, ac sequentibus: *Quod in secundo libro, ac sequentibus aliis potissimum perfecit* (10). S. Cyrillus Hierosolymitanus refert, impiissimos omnium Hæreticos etiam contra Spiritum Sanctum linguam acuisse, & nefanda dicere ausos esse sicuti narrat, (addit ille) Irenæus in suis libris adversus Hæreses (11) *καθὼς Εἰρηναῖος . . . ἐν τοῖς πρὸς τὰς αἱρέσεις ἔγραψεν, Quemadmodum Irenæus ..... in suis adversus Hæreses libris scripsit*. D. Hieronymus aperte habet: *Irenæus scripsit quinque adversus Hæreses libros* (12): quod quidem Opus, sicuti ipse monet, doctissimum est atque eloquentissimum (13): *quos ..... libros doctissimo & eloquentissimo sermone composuit*. Tandem S. Augustinus quemdam citat locum ex libro quarto S. Irenæi cap. 2. num. 7. (14). *Iste ait*, inquit ille de Sancto Lugdunensi Episcopo loquens, *non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga &c.* ut legere est in loco superius a me allato. Et ut silentio prætercam cæteros Scriptores, qui posterioribus Sæculis floruerunt, quique de hoc Opere sermonem habent, finem imponam his Photii verbis (15): *Legimus volumen Irenæi Episcopi Lugdunensis, ... sic inscriptum: Libri quinque Elenchi, λόγοι πέντε ἐλέγχου, atque confutationis falso dictæ cognitionis, sive contra hæreses.*

III. Opus

(1) Lib. contra Valentinianos cap. 5. pag. 252. edition. de Rigaut.
(2) Lib. 3. Histor. Ecclesiast. cap. 23. & Lib. 4. cap. 11.
(3) Hæresi 31. cap. 33.
(4) Catechel. 16. pag. 246. Edition. recentioris Domin. Touttée.
(5) Epist. 29. & Comment. in Isaiæ cap. 64.
(6) Lib. 1. contra Julianum, Tom. 7.
(7) Dialog. 1. pag. 33. Præfat. Oper. advers. Hæres. & Lib. 1. Hæretic. fabular. cap. 5.
(8) Lib. & cap. superius citato.
(9) Lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap. 7.
(10) Hæres. 31. cap. 33.
(11) Catechel. 16. pag. 246.
(12) In Catalog. Scriptor. Ecclesiast.
(13) Commentar. in Isaiæ cap. 64.
(14) Lib. 1. contra Julianum, Tom. 7.
(15) Cod. 120. Biblioth.

Judicium Criticum V. Librorum.

III. Opus hoc pulcherrimum est, doctissimum, atque eruditissimum. Peculiaris quædam in eo elucet eruditio, præcipue cum de rebus sacris est sermo; & tam sæpe occurrunt aliqua Scripturarum loca, ut credi possit, illum totam Scripturam memoriæ mandasse. Fateri nihilominus oportet, diligentiam quandoque desiderari accuratiorem in eo, cum Scripturas argumentis quæ præ manibus habet accommodat. Ejus stylus satis nitidus est, nervosus, sed parum sublimis. Vehementia sunt ipsius ratiocinia, ac concludunt, si nonnulla excipias, quæ propriis locis adnotabo. Maximam præstant ædificationem in hujus Operis lectione immensa Sancti istius Episcopi charitas erga Hæreticos, & zelus pro eorum conversione. Hunc unice scopum sibi proponit, præmunire scilicet fideles contra Hæresum seductionem, sicuti declarat ipse in præfatione ad primum librum, in qua humilitatis suæ præbet argumenta, dum ingenue fatetur (16), in iis quæ conscripsit deesse dicendi artem, cum hanc nunquam coluerit: Non autem exquires a nobis, inquit ille, qui apud Celtas commoramur, & in barbarum sermonem plerumque vacamus, orationis artem, quam non didicimus, neque ornamenta verborum, quæ nescimus .... sed hæc, addit ipse, simpliciter, & vere, ac vulgari sermone scripta sunt. Erubescant ad hoc exemplum Scriptores nonnulli recentiores, Sancto huic Episcopo tum eruditione, tum merito inferiores, qui in proprias effunduntur laudes, dum ostentant labores insumptos, institutas perquisitiones, ac omnigenam eruditionem, ut Lectoribus fucum faciant, eorumque animos præveniant in favorem Operum, quæ in publicam lucem emittunt. Judicium de libris relinquendum est Lectoribus, sicuti D. Irenæus exemplo præivit cæteris Auctoribus; nec illa extorquenda est approbatio, quam non meretur editum Opus: Qui ex sola charitate aliquid conscribit, hanc inire viam formidat. Verum, D. Irenæi Doctrinam exponamus: ut autem id facilius peragatur, innumeræque vitentur digressiones, quæ necessario occurrerent nobis tradentibus Dogmaticas ac Morales veritates, quas docet vetustus iste Pater contra Hæreses quas impugnat; operæ pretium est harum Hæresum ideam aliquam lectoribus exhibere: quod facere aggredimur in quadam particulari Sectione, quam exponendæ Sancti Irenæi Doctrinæ præmittimus.

SECTIO PARTICULARIS.

DE DIVERSIS HÆRESIBUS A S. IRENÆO IMPUGNATIS.

Divi Irenæi primum ac secundum contra Hæreses libros vehementer fastidire debent lectores omnes: enumerat enim ibi exacte S. Episcopus Lugdunensis insana Hæreticorum principia, eorumque mira paradoxa de Divinitate, de Angelis, de Hominibus, cæterisque argumentis, quæ Theologia complectitur. Obscura sunt, quæ docent, commentitia ac subellia mysteria, nulloque innituntur valido fundamento cerebrosæ illorum allucinationes: immo percipi nequit, quomodo homines communi sensu prediti, hujusmodi ineptias excogitare potuerint. Principio novaram satis consultum in Lectoribus, si hæc referre destitissem; deinceps vero consideravi, Doctrinam S. Irenæi haud facile percipi posse nisi hæc præmittantur, nullamque veritatem posse illi innotescere, qui oppositum errorem probe non calleat. Hisce instructus præsidiis unusquisque nullo negotio assequitur cujusque Patris mentem: si hisce destituatur, omnia obscura, incerta omnia deprehendet. Hac unica ratione permotus summa animi tranquillitate referam quæ impatienter in propriis fontibus perlegi. Nec omnes exacte errores, de quibus in D. Irenæo sermo occurrit, enarrare mens est: præcipuos tantum cujusque Hæresis afferam; & rem totam in diversa capita claritatis gratia dividam, juxta numerum Hæresum, quarum compendium dabo: qua quidem in re, quem servat S. Irenæus, ordinem servabo, nulla habita ratione ad veram earum epocham. Hinc ab Hæresi Valentinianorum incipiam, quemadmodum incipit Sanctus Doctor, licet aliquæ eam tempore præcesserint.

CAPUT PRIMUM.

DE HÆRESI VALENTINIANORUM.

Æones Valentinianorum L. 1. cap. 1. pag. 5. 6. 7.

I. De hac Hæresi pluribus differit S. Irenæus, & Valentinianos quaquaversum exagitat. Magnam sui primi Libri partem occupat hæc pertractatio, & notabiliora sunt quæ sequuntur. Loquitur primo loco de Æonibus Valentinianorum. Totidem Personas ex his Æonibus efficiebant Hæretici isti, & triginta esse asserebant. Omnium Primus, ac magis perfectus Æon, juxta ipsos, erat Pater æternus, invisibilis, incomprehensibilis, ingenitusque, quem Præexistentem appellabant: commune autem illius nomen eorum lingua erat Βυθὸν, quæ græca vox significat altitudinem. Hic Bythus, ajebant ipsi, in summa quiete ac tranquillitate infinitis temporum sæculis fuit; Cum ipso autem fuisse dicebant 'Εννοια (*Ennoja*) hoc est cogitationem, quam vocabant etiam Χάρις (*Charis*) & Σιγὴ (*Sigè*) quæ voces significant gratiam & silentium. Ennoeam mulierem *Bythi* dicebant, quia, juxta eorum errores, unicum filium suum ex ea habuerat, quem græco nomine appellabant, hoc est, intelligentiam, cui sororem quamdam dabant nomine 'Αλήθεια, (*Aletheja*) scilicet veritatem. Quatuor hi Æones erant veluti basis eorum Systematis.

II. Quoad eorum autem *Nun* contendebant, hunc genuisse duos alios Æonas, λόγος (*Logos*), & Ζωὴ (*Zoe*), Verbum & Vitam; & hos, duos alios genuisse, 'Ανθρωπος & 'Εκκλησία (*Anthropos & Ecclesia*) hominem & Ecclesiam. Isti erant præcipui Valentinianorum Æones. En nomina eorum qui remanent, Βυθιος (*Buthius*) Profundus; Μίξις (*Mixtis*) Mixtio; 'Αγήρατος (*Ageratos*) Non senescens; 'Ενωσις (*Enosis*) Conjunctio, sive Unitas; 'Αυτοφυὴς (*Autophyès*) Naturalis, 'Ηδονὴ (*Hedonè*) Amor; 'Ακίνητος (*Acinetos*) Immobilis; Σύγκρασις (*Syncrasis*) Confusio, seu Commistio; Μονογενὴς (*Monogenès*) Filius unicus; & Μακαρία (*Macaria*) Felicitas. Decem isti Æones originem a Verbo & Vita habebant. Reliqui duodecim geniti erant ab Homine, & Ecclesia. Eorum nomina sunt sequentia: Παράκλητος (*Paracletos*) Consolator, Advocatus, Paracletus; Πίστις (*Pistis*) Fides; Πατρικὸς (*Patricos*) Paternus; 'Ελπὶς (*Elpis*) Spes, Μητρικὸς (*Metricos*) Materna; 'Αγάπη (*Agapè*) Charitas; 'Αείνους (*Æinous*) Σύνεσις (*Suneſis*) Prudentia; 'Εκκλησιαστικὸς (*Ecclesiasticos*) Ecclesiasticus; Μακαριότης (*Machariotes*) Felix; Θελητὸς (*Theletos*) Perfectus; & Σοφία (*Sophia*) Sapientia. Hi sunt triginta celebres Valentinianorum Æones, quos omnes simul copulabant; efficiebantque eorum *Pleroma*, hoc est, nescio quam plenitudinem invisibilem & spiritualem. Dicebant insuper, triginta horum Æonum haberi typum in triginta annis privatæ Salvatoris vitæ, eosque significari in Parabola eorum Operariorum, qui in vineam mittuntur, ut Matthæus narrat cap. 20. Rationem vero hanc afferebant, quia Operarii isti, alii missi sunt in vineam circa horam primam, alii circa tertiam, alii circa sextam, alii circa nonam, alii tandem circa undecimam horam. Unum, autem, dicebant subtiles hi Mystici, tres, sex, novem, & undecim efficiunt triginta.

III. Reliquum hujus Systematis eosdem errores sapit, immo majorem obscuritatem adinvenio in eo quod tradunt de diversis utrorumque actionibus, ac passionibus. Qui hæc super re instrui cupiunt, caput secundum primi Libri contra Hæreses perlegant, ubi S. Irenæus in plenissimo Sole exponit Opera hæc tenebrarum. Eumdem pariter consulant Sanctum Doctorem, & percipient quibusnam Scripturarum textibus uteren-

---

(16) Præfat. in 1. Lib. contra Hæres. pag. 4. recentior. Edition. Dom. Massuet.

II. SÆCULUM.

Productio Christi, Paracleti, & Salvatoris. Lib. 1. cap. 2. pag. 11. 12.

uterentur Valentiniani in confirmationem suarum imaginationum. Mysteria ubique offendebant, & satagebant accommodare stultis eorum Dogmatibus tum verba, tum opera Redemptoris, sicuti in eodem capite S. Irenæus iisdem exprobrat. Accipe modo quid docerent in particulari de productione Christi, Paracleti, & Servatoris. Ajebant, Sophiam (hoc est Æonem hoc nomine appellatum) qua voce significatur Sapientia, postea quam separata est extra Pleroma Æonum, alteram emisisse conjugationem, Christum, & Spiritum Sanctum, a quibus Æones numeris omnibus absoluti sunt: ac Christum declarasse in eis Patris agnitionem, quoniam incomprehensibilis est; & Spiritum Sanctum gratias agere docuisse, & induxisse veram requiem. Hisce addebant, omnes Æones volentes lætitia magna Patrem laudibus extollere, communi consilio ac sententia, consentientibus etiam Christo & Spiritu Sancto, perfectum fructum produxisse, hoc est, Jesum, qui significat Salvatorem: huncque Jesum ornamentum totius *Pleroma* evasisse, eo quod ex omnibus ortus esset, atque omnes, quidquid pulcherrimum ac præstantissimum in se habebant, in eum contulissent. Ex hoc solo articulo deprehendere quisque potest, quam recte S. Irenæus, loquens de fabulosa Valentinianorum Theologia, asserat, stulta dogmata, quæ in illa continentur, æque semota esse, prodigiosa, ac profunda, eorumque notitiam difficillimam esse iis etiam, qui fictionibus illis delectantur: *Semota sunt ac prodigiosa, & profunda mysteria, quæque non sine magno labore ab hominibus mentiendi studiosis comparentur.* Oblitus eram narrare, quod Valentiniani tribuebant productioni Servatoris Angelorum productionem, quos ipsius Jesu satellites, dicebant. Quod ostendit quidem, contra Abbatem Faydit, (a) Angelos Valentinianorum differre ab Æonibus, de quibus modo locuti sumus.

Fabella circa Creatione Universi. Lib. 1. cap. 4. pag. 18. 19. 20. 21. & 22.

IV. Nec minus ridicula est Valentinianorum fabula de Universi creatione. Ajebant, Enthymesin illius superioris Sophiæ, quam & Achamoth vocant, separatam a superiore Pleromate cum passione, extra lumen factam esse, & extra Pleroma, informem, & sine specie: quæ vox hebræa *Achamoth* pluraliter significat sapientiam. Dicebant insuper, superiorem Christum, misertum hujus *Achamoth*, sua virtute formalle formam, quæ esset secundum substantiam, sed non secundum agnitionem. His peractis, Christus misertus est Achamoth, misitque ei Salvatorem cum potestate Patris, omniumque Æonum. Scientiam ei dedit, qua destituebatur, ac mentis compotem effecit, coercens ne ulterius progrederetur. Ex hac coagmentatione passionum corporalis quædam substantia originem duxit, quæ duabus constabat naturis: earum una mala erat, utpote ex passionibus ipsis exorta, altera bona, quia producta ex conversione harum passionum, quibus nihilominus hæc subjecta fuit. Inde materiæ essentiam, ex qua hic mundus conflatus est, ortam esse tradebant Fanatici isti. Ex ipsius lacrymis facta est universa humida substantia; ex mœrore & stupore corporea mundi elementa extiterunt; ex ejus conversione omnis anima genesim accepit; ex risu autem lux facta est, quæ Angelos complexa spiritualem fructum iis similem concepit. Ex animali substantia, hoc est, ex illa quam passiones produxerant, exiit Demiurgus, scilicet Deus, & artifex omnium quæ sunt extra *Pleroma*. Iste Remiurgus septem Cœlos fecerat, supra quos regnabat ipse: eorum autem quartus erat Paradisus. Ille omnibus materialibus substantiis formam dedit, creavitque *Cosmocratorem*, hoc est, illum, qui Mundum gubernat, qui est Diabolus juxta Valentinianos, insuper creavit omnes malos spiritus, & ipsum hominem, in quem animam inspiravit animalem; spiritualem enim animam creaverat *Achamoth*. Hæc est Mundi origo in inani Valentinianorum imaginatione.

Formatio Demiurgi, & ejus Operationes. Lib. 1. cap. 5. pag. 23. & 24.

Fabella circa finē Mundi. Lib. 1. cap. 7. pag. 32.

V. Præter subtilissimum hoc Æonum systema, alios errores æque singulares docebant Valentiniani. Afferebant 1°. circa finem Mundi, quod quando universum semen perfectum fuerit, *Achamoth* quidem migrabit de medietatis loco, & intra *Pleroma* introibit, & recipiet Sponsum suum Salvatorem, qui est ex omnibus Æonibus factus; Spirituales vero homines expoliati animas animales, & spiritus intellectuales facti, inter *Pleroma* ingredientur, ut sponsi reddantur iis, qui circa Salvatorem sunt, Angelis. Remiurgus vero transibit in Matris suæ Sophiæ locum, hoc est, in medietatis locum, quem Justorum animæ sequentur, sed nihil physici admittetur inter *Pleroma*. His peractis, is qui latet in mundo ignis exardescens, & comprehendens universam materiam consumet, & simul quoque cum ex consumabitur, & ad nihilum redigetur. 2°. Sequuntur nunc blasphemiæ quas contra Incarnationem evomebant. Jesum Christum esse Filium Remiurgi dicebant, ac transisse per Mariam, quemadmodum aqua per tubum transit; & in hunc in Baptismate descendisse illum, qui esset de Pleromate ex omnibus, Salvatorem in figura Columbæ; sed hunc sublatum esse, quum traheretur ad Pilatum, ac passum esse animalem (Physicum) Christum. 3°. tandem tria hominum genera finxerant; spiritale, physicum, Chojcum. Spiritales homines, sive pneumatici recti erant ex natura sua, nec corruptioni subjiciebantur: physici, seu animales poterant vel salutem consequi, vel pœnas subire, prout bonum vel malum essent sectati: Chojci seu materiales non solum corruptioni erant obnoxii, sed necessario perire debebant, nec ullo pacto salutem consequi poterant. Hæc sunt notabiliora, quæ, prout scribit S. Irenæus, Dogmaticam Valentinianorum Theologiam efformant. At de eorum Morali nonnulla dicamus.

II. SÆCULUM.

Errores circa Incarnationē. Lib. 1. cap. 7. pag. 32. 33.

Tres diversæ hominū naturæ juxta Valentinianos. Lib. 1. cap. 7. pag. 35.

VI. Credebant illi opera bona inutilia esse iis, qui eorum doctrinam sectabantur, & unice Catholicis necessaria esse, quia seipsos perfectos vocabant & spirituales ex propria natura; Catholicos vero appellabant carnales & animales, ita ut non possent absque bonis operibus ad æternam salutem pervenire: *Quapropter*, inquit S. Irenæus, *nobis quidem, quos physicos vocant, & de sæculo esse dicunt, necessariam continentiam & bonam operationem, uti per eam veniamus in medietatis locum: sibi autem spiritualibus & perfectis, nullo modo.* Hinc cum Valentiniani essent omnium hominum imperfectissimi, de perfectione gloriabantur; quæ perfectio in majori, quæ excogitari possit, imperfectione posita erat: & cum adeo imperfecti essent, audebant bonis Catholicis supereminere, quos post mortem in medietatis locum solummodo ponebant, ut S. Irenæus ibi monet, Cum seipsos locarent in *Pleroma* una cum Æonibus, quorum sibi blandiebantur imitari prætensam spiritualitatem. Quænam autem erat hæc Valentinianorum spiritualitas? Hanc nos docebit Sanctus Lugdunensis Episcopus. Perpetrant absque scrupulo, inquit ille eodem loco, quæ Legis interdicto prohibentur. Quæ idolis immolata sunt, libere, ac sine ullo discrimine edunt; atque ad omnia Gentium festa & oblectamenta primi confluunt; adeo ut nonnulli eorum ne a sanguinario quidem & inimico spectaculo, in quo cum feris dimicatur, vel gladiatores inter se pugnant, abstinendum sibi esse putent. Sunt etiam qui carnis voluptatibus ad satietatem usque obsequentes, carnalia carnalibus, & spiritualia spiritualibus persolvi ajunt. Quin etiam ipsi perfricta fronte quascunque adamarint mulieres, eas a viris avulsas matrimonio sibi copulant, & interim Catholicos irrident, qui nedum similia non pertentant, verum horrent & leviora peccata cogitationis & oris. Constat ex his quantum errare possit homo sibi soli relictus, quique sequitur solummodo vanos impulsus corruptæ suæ imaginationis.

Errores Valentinianorum in re Morali. Lib. 1. cap. 6. Pag. 35.

Mores Valentinianorum oppositi moribus Christianorū. Lib. 1. cap. 6. pag. 30.

CAPUT SECUNDUM.

DE HÆRESI MARCOSIORUM.

I. INter Valentini Sectatores, nonnulli aliquod sibi nomen adepti sunt, quia addiderunt Doctrinæ, & erroribus hujus Hæresiarchi. S. Irenæus recenset ex his Secundum & Ptolemæum, qui triginta Valentini Æonibus non contenti, quatuor illico adjunxerunt, & deinceps alios quatuor. Hæreticus Epiphanius est & ipse ex præcipuis Valentinianis. Ille autem, de quo prolixius disserit S. Irenæus, est Marcus, auctor Sectæ Marcosiorum, cujus statim pandit præstigia. Hæreticus iste, prout refert S. Irenæus, Magicæ artis peritissimus erat, & ad decipiendas animas illa utebatur. Seducebat præcipue fœminas, & præ cæteris ditiores, sibique blandiebatur, ut facilius eas deciperet, gratiam prophetiæ illis impertiri; & sequenti modo id peragebat. Magicis quibusdam invocationibus super fœmina peractis, dicebat, aperi os tuum, & propheta: Mulier autem seducta, & elata ab his quæ prædicta sunt, calefaciens animam, suspicione quod incipiat prophetare, audet & loquitur deliriosa; & exinde Prophetissam sese arbitratur, gratiasque Marco agit, qui gratiæ suæ participem eam fecerit; eumque non modo facultatum suarum largitione, sed etiam corporis sui communicatione remunerari conatur. Aliis etiam artibus utebatur Marcus ad eumdem finem. Pocula vino mixta fingens se consecrare, atque invocationis verba in longum protendens, efficiebat ut purpurea

Secundus, Ptolemæus, & Epiphanius, præcipui Valentini Discipuli. Lib. 1. cap. 11. & 12.

Præstigia Marci, ex quo Secta Marcosiorum. Lib. 1. cap. 13.

(a) In suis illustrationibus in duo prima sæcula pag. 29.

II. SÆCULUM.

vero S. Irenæus, quod si Deus obcæcavit & induravit Regem Ægypti, eo pacto id præstitit, quo Sol excæcat eos, qui ex aliqua oculorum infirmitate non possunt contemplari lumen ejus: *Infert cæcitatem, quemadmodum Sol ... his qui propter aliquam infirmitatem oculorum non possunt contemplari lumen ejus.*

Pharaonis induratio contrarium non probat.

Cæterum quando Scriptura narrat, quod Deus induravit cor Pharaonis, id solum significare intendit, Deum reliquisse eum in manu consilii sui, ut in viis suarum tenebrarum, suorumque errorum ambulet.

num. 3.

Si igitur, addit S. Irenæus, *& nunc quotquot scit non credituros Deus ... tradidit eos infidelitati eorum, & avertit faciem ab hujusmodi, relinquens eos in tenebris, quas ipsi sibi elegerunt; quid mirum, si & tunc nunquam crediturum Pharaonem cum his qui cum eo erant, tradidit eos sua infidelitati? Et qua ratione Dominus in Parabolis loquebatur, & cæcitatem faciebat Israel, ut videntes non videant, sciens incredulitatem eorum: eadem ratione & cor Pharaonis indurabat, ut videns, quoniam digitus Dei est, qui adducit populum, non crederet.* At nunquam ausi essent asserere Judæi, Jesum Christum fuisse auctorem incredulitatis Judæorum: igitur neque debebant adscribere Deo excæcationem & indurationem Pharaonis.

VII. Objiciebant insuper contra Dei Bonitatem & Sanctitatem id quod legitur in Exodo, (a) scilicet quod profecturus populus jussu Dei vascula omnia generis, & vestimenta acceperit ab Ægyptiis, & sic abierit: quod sane Hæretici dicebant esse furtum.

Purgantur Hebræi, qui Ægyptiis abstulerunt spolia & divitias, ut narrat Exodi caput XII. Lib. 4. c. 30. n. 1.

Sanctus Irenæus autem respondet, 1º. quod si rem hanc in Hebræis damnabant, seipsos etiam damnabant cum tota Ethnicorum Ecclesia, cui quid simile exprobrari poterat. Unde enim, inquit ille, domus in quibus habitamus, & vestimenta quibus induimur, & vasa quibus utimur, & reliqua omnis ad diuturnam vitam nostram ministratio, nisi ex his, quæ quum Ethnici essemus, de avaritia acquisivimus, vel ab Ethnicis Parentibus, aut cognatis, aut amicis de injustitia acquirentibus percepimus? 2º. ostendit, Deum nihil permisisse Hebræis quod esset injustum; Israelitis quippe *Ægyptii populi erant debitores non solum rerum, sed & vitæ suæ, propter Patriarchæ Joseph præcedentem benignitatem*: quam eamdem rationem de Christianis prædicat: *Nobis autem secundum quid debitores sunt Ethnici, a quibus lucra, & utilitates percipiunt.* 3º. S. Irenæus excusat Hebræos, eo quod pessimam servitutem servierint Ægyptiis, annis multis laborantes multum, & augentes eorum substantias, *cum illis Ægyptii*, inquit S. Doctor, *non solum ingrati essent, verum & universos perdere vellent. Quid igitur*, concludit S. Irenæus, *injuste gestum est, si ex multis pauca sumpserunt? & qui potuerunt multas substantias habere, si non servissent eis, & divites abire; paucissimam mercedem pro magna servitute accipientes inopes abierunt?*

num. 2.

Tandem aliis allatis rationibus docet, quod universa quæ ex Ægypto profectio fiebat populi a Deo, typus & imago fuit profectionis Ecclesiæ, quæ erat futura ex Gentibus.

num. 4.

VIII. Omnes ferme veteres Hæretici opinabantur, verum Deum, hoc est, illum, quem asserebant Patrem Jesu Christi, omnibus ignotum fuisse ante Incarnationem. Verum hunc etiam errorem refutat S. Irenæus dicens, quod ante Incarnationem in nomine hujus Dei salvabantur homines & a spiritibus nequissimis, & a Dæmoniis universis, cujus & invocationem tremebant Dæmones; at invocari nequit quod adhuc ignotum est: ergo verus Deus non erat ignotus ante Salvatoris Incarnationem.

Probatur, verú Deú ante Incarnationem ignotum non fuisse. Lib. 2. c. 6. n. 2.

Si autem id quod Sanctus iste Episcopus addit paulo infra de Judæis, qui suo ævo effugabant Dæmones invocatione altissimi & omnipotentis Dei, *Et propter hoc Judæi usque nunc hac ipsa (altissimi & Omnipotentis Dei) adjuratione, hoc est, invocatione Dæmones effugant*: si id, inquam, indubium est, objectio non levis momenti est, adversus miracula quæ afferuntur ad comprobandam Divinitatem Religionis Christianæ.

De Miraculis, quæ S. Irenæus tribuit Judæis.

Potius igitur dicam, S. Irenæum hoc loco id tantum intelligere, quod Judæi miracula hæc patrarunt usque ad prædicationem Evangelii Jesu Christi, & sic interpretari possent hæc verba, *usque nunc*, minime ea sumendo in toto rigore grammaticali. Hoc quidem ex eo probari potest, quod S. Irenæus aperte alibi docet, Hæreticos non posse vera miracula patrare, sed hanc potestatem in sola Christiana & catholica Ecclesia haberi. Si igitur Sanctus Doctor denegat Hæreticis vera miracula, quia ab Ecclesia recesserunt, quomodo ea concederet Judæis, qui magis quam Hæretici Christianæ Religioni advertantur? Loquitur nihilominus in allato textu de veris miraculis: ergo intelligi debet id contigisse ante prædicationem Evangelii.

IX. Etsi S. Irenæus probaverit, homines potuisse agnoscere, & agnovisse reipsa verum Deum ante Servatoris adventum; alibi nihilominus declarat, indiguisse ipsos, ut Dei Filius Patrem suum ipsis revelaret. Hunc ergo recte ostendimus, scribit S. Irenæus, a nemine cognosci, nisi a Filio, & quibuscunque Filius revelaverit. Revelat autem omnibus Filius, quibus velit cognosci, Patrem; *& neque sine bona voluntate Patris, neque sine administratione Filii cognoscet quisquam Deum.*

Revelatio necessaria ad agnoscendum Deum. Lib. 4. c. 7. n. 3.

Non agit hic S. Irenæus, ut ego opinor, de simplici Dei cognitione, quam alibi idem Sanctus Doctor inesse concedit omnibus in genere hominibus, immo & dæmoniis ipsis, sed de quadam cognitione fidei, quæ repræsentat nobis Deum ut Patrem Jesu Christi. De hac eadem cognitione loquitur ipse eodem capite dum dicit, quod Judæi excesserunt a Deo Verbum ejus non recipientes, sed putantes, per seipsum Patrem sine Verbo, idest sine Filio posse cognoscere: *Deum nescientes eum, qui in figura locutus est humana ad Abraham; & iterum ad Moysen, dicentem: Videns vidi &c.*

Ibid.

Constat hic etiam (quemadmodum de aliis Patribus disserens notavi,) quod quando veteres prædicant de Filio Dei operationes & visibilitatem, loquuntur de figura sensibili, sub qua quandoque apparuit ante Incarnationem; nunquam autem de Verbo in se ipso, & accepto secundum suam divinam essentiam; sub hoc respectu enim est unum idemque cum Patre, sicuti mox docebit nos Sanctus Irenæus.

X. Finem imponimus huic Capiti duos articulos S. Irenæi, qui breves sunt, afferendo, quorum unus respicit visionem Dei beatificam, alter visionem Prophetarum. Quoad primum articulum docet, quod Prophetæ significaverunt prophetice, quoniam Deus (Verbum) videbitur ab hominibus secundum dilectionem & humanitatem; non autem secundum magnitudinem & gloriam ejus, quippe videbitur paternaliter solum in regno cœlorum.

Visio Beatorum. Lib. 4. c. 20. n. 5.

Deinde prolixe scribit de Visione Beatifica, & hæc habet memorabilia: Quemadmodum videntes lumen, intra lumen sunt, & claritatem ejus percipiunt, sic & qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes ejus claritatem. ὄντες ἐν βλέποντες τὸν Θεὸν, ἐντὸς εἰσὶ τῦ Θεῦ. *Vivificat autem eos claritas*: & paulo infra: *homines igitur videbunt Deum ut vivant, per visionem immortales facti.*

num. 6.

Docet insuper, quod Deus incapibilis, & incomprehensibilis, & invisibilis tunc visibilem se, & comprehensibilem & capacem hominibus præstabit: Quoniam vivere sine vita, inquit ille, impossibile est: subsistentia autem vitæ de Dei participatione evenit: participatio autem Dei est videre Deum, & frui benignitate ejus.

num. 5.

XI. Circa Prophetarum visionem docet primo loco S. Irenæus; oportuisse quod ipsi Deum ipsum viderint, ut possent inde prænuntiare, debere & nos illum aliquando videre; declarat autem illico, non manifeste Prophetas vidisse Deum, & secundum suam essentiam sed tantum per dispositiones & mysteria, per quæ inciperet homo videre Deum: *Non igitur manifeste ipsam faciem Dei videbant Prophetæ; sed dispositiones & mysteria, per quæ inciperet homo videre Deum.*

Visio Prophetarum. Lib. 4. c. 20. n. 10.

Quam veritatem probat nonnullis Scripturarum testimoniis. Docet autem, Verbum ipsum visibiliter apparuisse Prophetis non una in figura & charactere, juxta varias ejus operationes, quas in veteri Testamento legimus; & in illo Prophetas vidisse Deum, ac claritatem Patris, cujus Verbum erat imago & similitudo: *Verbum autem ejus ... claritatem monstrabat Patris, & dispositiones exponebat ... non in una figura, nec in uno charactere ... sed secundum dispensationum ejus causas, sive efficaciam.*

num. 11.

Sed tempus est ut ad alia transeamus.

CAPUT SEXTUM.

DE TRINITATE DIVINARUM PERSONARUM, ET EARUM CONSUBSTANTIALITATE.

I. UT aliquis ordo servetur in hac materia, quæ summopere necessaria est Theologis, exordium sumimus ab iis S. Irenæi locis, quæ respiciunt tres Divinas Personas simul acceptas: deinde agemus in particulari de secunda Persona Sanctissimæ Trinitatis. Quod spectat ad tres Divinas Personas simul acceptas, S. Irenæus sæpe in suo opere harum meminit; & in primo libro hæc habet: Deus Omnipotens omnia condidit per Verbum suum & aptavit, quemadmodum Scriptura dicit: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Ut autem deprehendatur

Trinitas & Consubstantialitas Divinarum Personarum. Lib. 1. c. 22. n. 1.

(a) Exod. cap. 12. vers. 35. 36.

II. SÆCULUM.

hendatur Sanctum Doctorem loqui hic de tribus divinis Personis, id attendere sufficit, quod infra in eodem capite scribit; Deum scilicet mundum condidisse non per Angelos, neque per Virtutes aliquas abscissas ab ejus sententia: *nihil enim*, addit ille, *indiget omnium Deus, sed & per Verbum & Spiritum suum omnia faciens, & disponens, & gubernans.* Hic igitur sermo est de tribus divinis Personis, & de tribus Personis ejusdem naturæ, ejusdemque essentiæ: quippe, juxta S. Irenæum, secunda ac tertia non sunt Angeli, seu Virtutes abscissæ a prima: id enim infertur ex illis verbis: *Neque per virtutes aliquas abscissas ab ejus sententia*, vel potius juxta animadversionem Scripturæ, *Ennœa* aut *cogitatione*; cum verosimilius sit S. Irenæum scripsisse, ἐννοίας, quæ vox significat cogitationem.

Sequitur idem argumentum. Lib. 2. c. 3. n. 9.

II. Idipsum repetit libro sequenti, & expresse Consubstantialitatem Sanctissimæ Trinitatis tuetur. Etenim postquam dixerat, Æternum Patrem omnia fecisse visibilia & invisibilia, sensibilia & insensibilia *verbo virtutis suæ*, quæ phrasis ex Epistola ad Hebræos excerpta est, (*a*) & ornavisse Universum spiritu oris ejus, hoc est Spiritu Sancto, sicuti supra vidimus, prosequitur his verbis: *Hic Pater, hic Deus, hic Conditor ... qui fecit ea per semetipsum, hoc est per Verbum & Sapientiam.* Sane nihil clarius dici potest pro Consubstantialitate Filii & Spiritus Sancti cum Patre demonstranda, quam asserere cum Divo Irenæo, Patrem, dum condidit Universum per Filium, & Spiritum Sanctum, condidisse per semetipsum. Fieri nequit, quin ex hoc loquendi modo inferatur perfecta identitas essentiæ & naturæ in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Cæterum, miretur nemo, Spiritum Sanctum hoc loco designari nomine Sapientiæ; hujusce rei exempla in Scriptoribus, qui ante S. Irenæum floruerunt, jam supra vidimus, & alia occurrent in sequentibus ex eodem S. Irenæo.

III. Extant innumera alia loca, in quibus Doctor iste meminit trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis: sicuti vero molestum esset, quin immo & inutile ea omnia recitare, hinc duobus tribusve contenti erimus:

Existentia actualis cujusque Personæ Sanctissimæ Trinitatis. Lib. 4. c. 6. n. 7.

Itaque hæc habet in quarto libro contra Hæreses: *In omnibus & per omnia unus Deus, & unum Verbum, Filius, & unus Spiritus:* quæ verba aperte indigitant existentiam actualem & particularem cujusque Personæ Sanctissimæ Trinitatis. Et infra ostendere volens Sanctus Doctor, nullius opera indiguisse Patrem in mundi creatione, declarat, Filium, qui est imago Patris, & Spiritum Sanctum, qui est ejus Sapientia, ministrasse Patri ad omnia:

Cap. 7. n. 4.

Ministrat ei (Patri) ad omnia, sua progenies & figuratio sua, id est Filius, & Spiritus Sanctus, Verbum, & Sapientia, quibus serviunt, & subjecti sunt omnes Angeli. Animadvertendum hic est, 1°. hæc verba, *figuratio sua*, intelligi posse de solo Filio relate ad Patrem, etsi videantur ex contextu prædicari posse etiam de Spiritu Sancto. 2°. S. Irenæum hoc loco indigitare Spiritum Sanctum nomine Sapientiæ, quod alio loco paulo supra notavimus.

Nota SS. Trinitatis in Nomine Christi. Lib. 4. c. 18. n. 3.

IV. Postremo Sanctus Doctor quoddam veluti anagramma efformans de nomine Christi, contendit, tres Divinas Personas in eo contineri: *In Christi enim nomine*, inquit Pater ille, *subauditur qui unxit, & ipse qui unctus est, & ipsa unctio in qua unctus est. Et unxit quidem Pater, unctus est vero Filius in Spiritu qui est unctio.* Unicus hic textus orthodoxam S. Irenæi fidem circa actualem existentiam trium Divinarum Personarum, contra Sabellii errorem, aperte ostendit: quippe meridiana luce clarius est, eum qui unxit differre ab eo qui unctus est, & unctionem ab utroque differre. Concludamus igitur ex omnibus quæ ex D. Irenæo circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis in medium protulimus, tres haberi divinas Personas, quæ inter se sunt distinctæ; sed has tres Personas unam eamdemque naturam habere, & per consequens esse unum eumdemque Deum.

CAPUT SEPTIMUM.

DE CONSUBSTANTIALITATE ET DIVINITATE VERBI.

I. PRima fronte superfluum videri potest disserere de Divinitate & Consubstantialitate Verbi, cum utique modo de Sanctissima Trinitate verba fecerimus: quia vero articulus iste in particulari ex præcipuis est, nec nostris hisce diebus desunt impii qui eum impugnant; hinc Lectoribus gratum fore confidimus, si sub peculiari hoc titulo omnia exponemus, quæ notabiliora sunt in S. Irenæo circa hoc Dogma. Primo orthodoxa ejus fides quoad Divinitatem Jesu Christi eruitur ex sensu, quo interpretatur illud Isaiæ; Requiescet super eum Spiritus Domini (*b*) ... Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet: docet enim S. Irenæus, Prophetam illis verbis indigitasse Servatoris Humanitatem simul & Divinitatem: Humanitatem, cum dixit, requiescet super eum Spiritus Domini; Divinitatem autem cum ait, non secundum visionem oculorum judicabit:

Divinitas Filii Dei. Lib. 3. c. 9. n. 3.

Nam secundum id quod Verbum Dei homo erat ... secundum hoc requiescebat Spiritus Dei super eum ... secundum autem quod Deus erat, non secundum gloriam judicabat, neque secundum loquelam arguebat. Non enim opus erat illi, prosequitur S. Irenæus, quemadmodum & D. Joannes Apostolus in suo Evangelio (*c*) ait, ut quis testimonium diceret de homine, *Cum ipse sciret quid esset in homine.*

Sequitur idem argumentum. Lib. 4. c. 5. n. 2.

II. Divinitatem Jesu Christi tam expresse alibi docet Sanctus ille Pater, ut nihil amplius desiderari queat. Ait, exempli causa, verum Deum, quem Prophetæ adorabant, esse vivorum Deum, & Verbum ejus, qui locutus est Moysi, & redarguit Saducæos de errore contra veritatem Resurrectionis. *Qui igitur a Prophetis adorabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus, & Verbum ejus, qui & locutus est Moysi, qui & Saducæos redarguit:* Jesum Christum esse vivorum Deum cum Patre, qui Moysi locutus est, & Sanctis Patriarchis manifestatus est: *ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus, qui locutus est Moysi, qui & Patribus manifestatus est.* Si duo illi tantum extarent S. Irenæi textus, sat superque ejus mentem significarent non solum circa Divinitatem Salvatoris, verum etiam circa ejusdem Consubstantialitatem. At ex alio textu ejus fides quoad primariam hanc nostræ Religionis veritatem comprobatur.

Lib. 5. c. 17. n. 3.

Si enim, inquit Sanctus Lugdunensis Episcopus, *nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus; remittebat autem hæc Dominus; manifestum, quoniam ipse erat Verbum Dei, filius hominis factus, a Patre potestatem remissionis peccatorum accipiens, quoniam homo, & quoniam Deus, ut quomodo homo compassus est nobis, tanquam Deus misereatur nostri, & remittat nobis debita nostra, quæ factori nostro debemus Deo.*

Consubstantialitas Verbi. Lib. 3. c. 8. n. 3.

III. Nec minori utitur præcisione verborum quando loquitur de Verbi Consubstantialitate: Docet, exempli gratia, soli Deo creatori, cum Verbo suo, tribui posse nomen Dei & Domini: *Ita ut is quidem, qui omnia fecerit, cum Verbo suo juste dicatur, Deus & Dominus solus.*

Lib. 4. c. 6. n. 3.

Docet insuper, Patrem agnosci in Filio, & Filium in Patre: *Agnitio enim Patris Filius, agnitio autem Filii in Patre:* Deinde, Patrem, etsi immensum, mensuratum esse in Filio; Filius quippe est mensura Patris, eumque comprehendit:

Lib. 4. c. 4. n. 2.

Et bene qui dixit, ipsum immensum Patrem, in Filio mensuratum, mensura enim Patris, Filius, quoniam & capit eum. Verum Filius Dei nequit esse solus Deus, & solus Dominus cum Patre, quin illi sit Consubstantialis; nequit esse agnitio Patris, sicut nec Pater agnitio Filii, quin æqualis sit in utroque natura, & perfecta identitas substantiæ; dici tandem nequit, Patrem esse mensuratum in Filio, & Filium esse mensuram Patris, illumque comprehendere, quin admittantur in Filio immensitas, cæteræque Patris perfectiones. Apertum igitur est, S. Irenæum fateri in Verbo naturam, qualitates & perfectiones Patris æterni, ac utrumque in omnibus æqualem credere, & per consequens in duabus his Divinis Personis admittere perfectam Consubstantialitatem.

Coæternitas Verbi. Lib. 2. c. 30. n. 9.

IV. Hanc eamdem veritatem confirmat alio loco S. Irenæus scribens: *Semper autem coexistens Filius Patri.* Cum autem Pater sit æternus, necessario inde sequitur, Filium pariter æternum esse, ac Deum sicuti est ipse, prout supra de alio Ecclesiæ Patre loquentes notavimus. Comparemus modo pulcherrima hæc loca cum aliquibus aliis, quæ prima fronte non ita facile possunt explicari circa hoc Dogma, & innotescet imbecillitas malarum illationum, quæ ex his inferri possent: non enim ex difficillimis & obscuris textibus de mente alicujus Auctoris efformandum est judicium; & naturalis æquitas postulat, ut perspicui textus ponderentur, si quando extent, sicuti habentur in S. Irenæo. Cæterum, obiter hic animadvertamus, ex testimoniis modo allatis pro consubstantialitate Verbi adversus Arii blasphemias, æque comprobari existentiam actualem & particularem Filii Dei contra errorem Sabellii confundentis Divinas Personas. Formalis

(*a*) Cap. 1. vers. 3.
(*b*) Cap. 11. vers. 2.
(*c*) Cap. 2. vers. 25.

lis agnitio differt ab agnitione abjectiva; mensura a re mensurata differt; & de nemine dici potest, quod exstiterit cum alio, *coexistens*, quin in utroque existentia particularis & distincta admittatur.

V. Afferam modo quemdam S. Irenæi locum, quo abuti impius quis posset contra Divinitatem, & consubstantialitatem Verbi. Coercere volens Sanctus Doctor superbiam Hæreticorum sui ævi, qui blandiebantur sibi de eximia Mysteriorum intelligentia, proponit ipsis exemplum Jesu Christi, qui in Evangelio fatetur, se nescire de die illa & hora (extremi judicii): *Si igitur*, inquit Pater iste, *scientiam diei illius, Filius non erubuit referre ad Patrem, sed dixit quod verum est*) loquitur de his Salvatoris verbis: *de die autem illa & hora* (*a*)); *neque nos erubescamus quæ sunt in quæstionibus majora secundum nos, reservare Deo*. In his verbis, *sed dixit quod verum est*, stat præcipuus difficultatis nodus; & alicui videri posset, S. Irenæum hoc loco asserere velle, reipsa Filium Dei ignorasse tempus extremi judicii. Quæ quidem suspicio confirmari videtur ex his verbis, quæ allatum textum præcedunt, *quandoquidem & Dominus ipse Filius, ipsum judicii diem & horam concessit scire solum Patrem*: ex quo inferri posset, Filium Dei, juxta S. Irenæum, non esse verum Deum æqualem Patri, cum iste agnoscat ea, quæ alter ignorat.

Objectio ex S. Irenæo contra Divinitatem Verbi. Lib. 2. c. 28. n. 4.

VI. Verum ex his quæ superius diximus, nemo sanæ mentis hanc consequentiam inferre potest; & absque eo quod consideremus omnes illos pulcherrimos textus, quos ex S. Irenæo attuli ut Lectorem præmunirem contra difficultatem hanc, quæ in speciem gravis videtur, sat erit perpendere voces, quibus conflatur, ut illico evanescat. Fateamur 1°. hoc loco S. Irenæum non determinare sensum illius Scripturæ textus, quem affert, sed solum modo illum proponere Hæreticis, ut erubescant de præsumptuosa temeritate, qua Divina Mysteria perscrutari audebant. Hoc unice intendit Sanctus Doctor in toto illo capite, sicuti nullo negotio lector conjicere potest. 2°. Sanctus Episcopus nequaquam asserit præcise, Jesum Christum ignorasse diem & horam judicii, nec in hoc sensu illum Evangelii textum recitat; sed simpliciter docet, Salvatorem non erubuisse referre scientiam diei illius ad Patrem: *Scientiam diei illius non erubuit referre ad Patrem*: & supra scribit: *Ipsum judicii diem & horam concessit scire solum Patrem*: ex quo non sequitur necessario, Filium hunc diem ignorasse. Si quis autem vitilitigator urgere vellet hæc Sancti Doctoris verba, *sed dixit quod verum est*, tunc perspicua & aperta Sancti hujus Episcopi loca attendenda sunt, in quibus tuetur Divinitatem, & consubstantialitatem Verbi. Et re quidem vera, si Filius est solus Deus cum Patre, si ejusdem est naturæ, ejusdemque essentiæ, si Filius est mensura Patris, si Pater agnoscitur in Filio, sicuti docet S. Irenæus, necessario inde sequitur, Filium habere easdem proprietates ac perfectiones Patris, & per consequens scientiam Patris, & per aliud consequens eum scire diem & horam extremi judicii. Sane non video quid aliud reponi possit huic difficultati, quæ difficillime solvi posset, nisi perspicui extarent ii textus, de quibus locutus sum.

Respondetur huic difficultati.

CAPUT OCTAVUM.

De Incarnatione Verbi.

I. DE hoc Dogmate pluribus disserit S. Irenæus, & inter innumeras magni momenti veritates, quas hac super re docet, occurrunt multæ, quæ merito afferendæ sunt in hoc Opere. Ab iis exordium sumimus, quæ sunt Incarnationis veluti prolusio; deinceps eas perpendemus, quæ respiciunt veritatem, ac substantiam ipsam hujus Mysterii; tandem loquemur de Incarnationis effectibus, ac de aliquibus notabilibus circumstantiis vitæ Salvatoris. Quoad primi generis veritates docet S. Irenæus cum Scriptura, Mysterium hoc non fuisse incognitum Abrahæ: *Non incognitus igitur erat Dominus Abrahæ, cujus diem concupivit videre*. Docet insuper, Sanctum hunc Patriarcham a Verbo edoctum, quod inter homines homo futurus esset Filius Dei, per spiritum prophetiæ videntem Incarnationem exultasse: quæ Abrahæ exultatio descendit in ejus posteros, qui propriis oculis Christum viderunt: *Et Abraham ergo .... doctus repræsentatione, quod inter homines homo futurus esset Filius Dei .... concupivit eum diem videre .... & per spiritum Prophetiæ eum videns exultavit .... descendente quidem exultatione Abrahæ in eos qui erant ex semine ejus, vigilantes & videntes Christum, & credentes ei*.

Incarnatio Abrahæ nota. Lib. 4. cap. 5. num. 5.

Ibid. c. 7. num. 1.

II. Præterea ostendit S. Irenæus Mysterium Incarnationis patefactum fuisse Jacob, Sancti Patriarchæ Abrahæ nepoti; idque probat propheticis ejusdem Jacob verbis, quæ morti proximus habuit ad Judam filium suum, quemadmodum legimus in Scriptura (*b*): Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. *Inquirant enim hi*, scribit S. Irenæus in hunc Geneseos locum, *qui omnia scrutari dicuntur, id tempus, in quo defecit Princeps & Dux ex Juda, & qui est Gentium spes? .... & unumquodque ex dictis exquirant; & invenient non alium, nisi Dominum nostrum Jesum Christum*. Itaque Incarnatio Verbi aperte innuitur etiam in Lege naturæ, & antequam extaret Sacra Scriptura: ex quo eruitur, omni tempore viguisse in hominibus fidem & spem in Jesum Christum; ac per consequens Ecclesiam Catholicam de eadem cum Mundo vetustate gloriari, cum Incarnatio Verbi sit præcipuum suæ fidei Dogma.

Prophetia Jacob de Incarnatione, Jesu Christo accommodata. Lib. 4. cap. 10. num. 2.

III. Fateri tamen oportet, ex Sacris Scripturis Mysterium hoc nobis magis innotescere, cum Moysis, aliorumque Prophetarum libri, non solum loquantur de adventu Filii Dei, sed denotent etiam omnes ferme circumstantias nativitatis, vitæ, ac mortis ejusdem. *Inseminatus est ubique*, inquit S. Irenæus, *in Scripturis ejus* (*Moysis*) *Filius Dei .... & non est numerum dicere, in quibus a Moyse ostenditur Filius Dei .... cujus & diem passionis non ignoravit, sed figuratim prænuntiavit eum, Pascha nominans: & in eadem ipsa, quæ ante tantum temporis a Moyse prædicata est, passus est Dominus, adimplens Pascha .... Non solum autem diem* (mortis Jesu Christi) *descripsit, sed & locum, & extremitatem temporum, & signum occasus Solis, dicens: Non poteris immolare Pascha in nulla alia civitatum tuarum, quas Dominus Deus dat tibi, nisi in eo loco, quem delegerit Dominus Deus tuus, invocari nomen suum ibi; immolabis Pascha vespere, ad occasum Solis*. Hæc S. Irenæi loca ostendunt, Scripturarum Interpretationem circa Incarnationem Verbi, vetustissimam esse, minime vero recens quoddam Ecclesiæ inventum. Jucundissimum sane erit Theologis, qui iisdem Scripturæ auctoritatibus utuntur in tuenda catholica hujus Mysterii fide, jucundissimum, inquam, erit, adinvenire ejusdem interpretationis venerabiles testes, ac fide dignos viros Apostolicos, qui post Apostolos ipsos, veluti Ecclesiæ columnæ considerari possunt.

Prædictiones Moysis de hoc Mysterio. ibid. n. 2.

IV. Sicuti in immensum abiret oratio, & satis inutile esset omnia hic proferre quæ remanent S. Irenæi loca, in quibus proludere videtur Incarnationi; hinc ea verba unice afferam, quibus generatim adaptat Jesu Christo omnia vaticinia, quæ sunt de Messia. Neque enim, hæc habet S. Irenæus ad Hæreticos, casu quodam hæc evenisse potestis dicere, tamquam a Prophetis quidem de altero quodam dicta, similiter autem evenerunt Domino .... Omnes enim Prophetæ hæc eadem prophetaverunt: sed neque alicui ex veteribus evenerunt. Si enim evenissent alicui ex veteribus ista; non utique qui postea fuerunt, prophetassent in novissimis temporibus futura hæc? Adhuc etiam nemo est neque Patrum, neque Prophetarum, neque antiquorum Regum, circa quem proprie ac specialiter factum sit aliquid horum .... *Neque Sol medio die occidit, aliquo de veteribus moriente, neque scissum est velum Templi, neque terra mota est, neque petræ disruptæ sunt, neque mortui resurrexerunt, neque tertia die quis illorum surrexit, neque receptus est in cœlum, neque in nomen alicujus alterius crediderunt gentes, neque quis ex eis .... aperuit novum libertatis testamentum. Non igitur de altero, sed de Domino, in quem concurrerunt omnia prædicta signa, dicebant Prophetæ*. Hæc sunt notabiliora quæ docet S. Irenæus a longe, ut ita dicam, Incarnationem considerans. Videamus modo quæ tradit de veritate & substantia hujus Mysterii.

Omnia Vaticinia de Messia, uni Jesu Christo debent accommodari. Lib. 4. cap. 34. num. 3.

V. Incarnationem peractam esse vere ac realiter, non apparenter tantum, sicuti opinabantur fere omnes veteres Hæretici, veritas est, quam non uno in loco sui Operis viribus omnibus tuetur S. Irenæus. Hanc autem sic probat: *Si enim non accepit Christus ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis; & si hoc, non factus est, quod nos eramus, non magnum faciebat, quod passus est & sustinuit*. Deinceps recitatis duobus Apostoli Pauli testimoniis,

Veritas Incarnationis. Lib. 3. c. 22. n. 1.

(*a*) Matth. cap. 24. vers. 36.

(*b*) Genes. cap. 49. v. 10.

II. SÆCULUM.

monìis, quorum unum est in Epistola ad Galatas (a), alterum in Epistola ad Romanos (b), in quibus Apostolus veritatem Incarnationis aperte ostendit, sic prosequitur S. Irenæus. Cæterum supervacua est in Mariam descensio ejus. Quid enim in eam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea? Aut si nihil sumpsisset ex Maria, nunquam eas, quæ a terra erant, percepisset escas, per quas id, quod a terra sumptum est, nutritur corpus? Nec quadragima diebus jejunans esurisset corpus ejus, suam quærens escam; sed nec Joannes Discipulus ejus de eo scribens dixisset: *Jesus autem fatigatus in itinere sedebat* (c); nec David præclamasset in eum: *Et super dolorem vulnerum meorum apposuerunt* (d); nec lacrymasset super Lazarum; nec sudasset globos sanguinis, nec dixisset: *tristis est anima mea* (e): nec percusso latere exisset sanguis & aqua: *Hæc enim omnia*, addit S. Irenæus, *signa carnis, quam in se recapitulatus est, suum plasma salvans*. Aptius nihil dici potest ad veram Incarnationis existentiam demonstrandam, & perfractæ frontis fuisse veteres Hæreticos dicamus oportet, si veritatem hanc evidenter comprobatam, cui tota Salvatoris vita testimonium reddebat, impugnare non destiterunt.

Unio hypostatica duarũ naturarũ in Jesu Christo. Lib. 3. cap. 21. n. 11. Lib. 4. c. 33. n. 11.

VI. *Deus igitur homo factus est*, loquitur semper S. Irenæus, *& ipse Dominus salvavit nos*, Θεὸς ἐν ἀνθρώποις ἐγένετο, καὶ αὐτὸς Κύριος ἔσωσεν ἡμᾶς, & deinceps: *Et qui eum ex Virgine Emmanuel prædicabant, adunitionem Verbi Dei ad plasma ejus manifestabant* τὴν ἕνωσιν τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ πρὸς τὸ πλάσμα αὐτοῦ ἐδήλουν; *quoniam Verbum caro erit, & Filius Dei filius hominis .... & hoc factus quod & nos, Deus fortis est, & inenarrabile habet genus*. In hoc S. Irenæi textu, qui majori præ cæteris præcisione donatur, plures necessariæ veritates continentur. 1°. Ibi asseritur veritas & realitas Incarnationis Verbi: 2°. Unio hypostatica duarum naturarum, divinæ & humanæ in Christo Jesu: 3°. Ea quæ a Theologis vocatur communicatio Idiomatum: 4°. Divina maternitas Mariæ. 5°. Tandem ejus Virginitas. Omnia hæc Dogmata tribus vel quatuor versiculis ex S. Irenæo modo allatis includuntur; & tanta donatur evidentia, ut lector nullo negotio queat id deprehendere. Quoad Mariæ Virginitatem in particulari, hanc tuetur S. Irenæus ante partum & post partum, ut eruitur ex sequentibus verbis; quæ consulto omisi, ut hic locum habeant, & attente considerentur a Lectoribus: *Purus pure puram aperiens vulvam, eam quæ regenerat homines in Deum, quam & ipse puram fecit*: quod sane significat, Filium Dei egressum esse purum & cum puritate e purissimo Mariæ gremio, quod purum efficit temporali sua nativitate. Hic animadvertamus etiam, Sanctum nostrum Episcopum respicere gremium Mariæ veluti caussam salutis hominum, ait enim, ex purissimo hoc gremio regenerari homines in Deum: *Quæ regenerat homines in Deum*.

Pulcherrima imaginatio S. Irenæi circa Incarnationem. Lib. 4. c. 38. n. 1.

VII. Allato supra S. Irenæi testimonio pulcherrimam adnectimus ejusdem Sancti Episcopi imaginationem circa Incarnationem Verbi. Et propter hoc, inquit ille, Dominus noster in novissimis temporibus, recapitulans in semetipso omnia, venit ad nos, non quomodo ipse poterat, sed quomodo illum nos videre poteramus. Ipse enim in sua inenarrabili gloria ad nos venire poterat: sed nos magnitudinem gloriæ ipsius portare non poteramus. *Et propter hoc, quasi infantibus, ille, qui erat panis perfectus Patris, lac nobis semetipsum præstavit, quod erat secundum hominem ejus adventus, ut quasi a mamilla carnis ejus enutriti, & per talem lactationem assueti manducare & bibere verbum Dei, & eum qui est immortalitatis panis, qui est Spiritus Patris, in nobis ipsis continere possimus* ἵνα ὡς ὑπὸ μαστοῦ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ τραφέντες, καὶ διὰ τῆς τοιαύτης γαλακτουργίας ἐθισθέντες τρώγειν καὶ πίνειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, τὸν τῆς ἀθανασίας ἄρτον, ὅπερ ἐστὶ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς, ἐν ἡμῖν αὐτοῖς κατασχεῖν δυνηθῶμεν. Nullum in cæteris Patribus usque adhuc adinveni testimonium, quod pulcritudine huic possit æquiparari, cujus ex Dei providentia habemus textum originalem. Cæterum alias vidimus (& aliqua exempla etiam dedimus) Filium Dei appellari Spiritum Patris; & lectorem monuimus de modo, quo abuti quis posset hac phrasi, ut sibi præcavere valeat.

Decebat Salvatorẽ esse hominem. Lib. 3. cap. 18. num. 1.

VIII. Docet alibi S. Irenæus, conveniens fuisse, Filium Dei hominem fieri, & adversus inimicum nostrum bellum provocare, & elidere eum, & calcare ejus caput: & paucis interjectis scribit: *Quemadmodum accepit palmam mors per hominem adversus nos; sic iterum nos adversus mortem per hominem accipiamus palmam .... Neque enim juste victus fuisset inimicus*, dixerat ille paulo superius, *nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum*.

Pro quibus Verbũ caro factũ sit. Lib. 4. c. 22. n. 2.

IX. Docet insuper, venisse Jesum Christum non tantum propter eos qui in ipsum credebant quando cum hominibus conversatus est, aut post ipsius mortem vixerunt; sed etiam propter eos, qui ab initio dilexerunt Deum & proximum, & optaverunt videre Christum, & audire vocem ejus: *Non enim propter eos solos, qui temporibus Tiberii Cæsaris crediderunt ei, venit Christus, nec propter eos solos, qui nunc sunt homines, providentiam fecit Pater; sed propter omnes omnino homines, qui ab initio propter virtutem suam in sua generatione & timuerunt, & dilexerunt Deum, & juste & pie conversati sunt erga proximos & concupierunt videre Christum, & audire vocem ejus*. Sane hic agitur de applicatione effectuum Incarnationis, non autem de valore sive sufficientia hujus Mysterii, ut loquuntur Scholæ: de fide enim est in hoc postremo sensu, Jesum Christum venisse in mundum pro omnibus hominibus in genere, & id facile ostenderemus ex eodem S. Irenæo, si necessarium foret. Animadvertamus hic obiter, quidnam exigat Sanctus iste Episcopus ab iis, quibus salutaris fuerit Incarnatio Verbi: exigit quippe quod habuerint fidem in Jesum Christum; quod concupierint videre illum, ejusque vocem audire, quod Deum timuerint ac dilexerint; tandem quod juste ac pie erga proximos fuerint conversati. Hinc fides cum bonis operibus ad salutem omni tempore fuit necessaria.

Anagramma Sancti Nominis Jesu. Lib. 2. cap. 24. num. 2.

X. Ab erroribus veterum Hæreticorum, qui in litteris, sylabis, ac numeris mysteria effingebant, sicuti superius suo loco vidimus, S. Irenæus occasionem sumsit efformandi anagrammatis nominis Jesu, quod nomen constare dicit duabus litteris & dimidia secundum antiquam Hebræorum linguam: quod nomen significat, inquit ille, Dominum, qui continet cœlum & terram: *Jesus autem nomen secundum propriam Hebræorum linguam litterarum est duarum & dimidiæ, sicuti periti eorum dicunt; significans Dominum eum, qui continet cœlum & terram: quia Jesus secundum antiquam hebraicam linguam cœlum est; terra autem iterum Sura Usur dicitur. Verbum ergo quod cœlum & terram habet, ipse est Jesus*. Locus iste S. Irenæi obscurus est, tum propter anagramma Nominis Jesu, tum propter duas voces *Sura Usur*, quas Sanctus Doctor Hebraicas dicit. Verum editor S. Irenæi hanc enodat difficultatem in suis Notis in hunc locum: huic Lectorem qui id scire cupiat, ad illum remitto. Solum animadvertam hic cum Domino Massuet, quod cum S. Irenæus perfecte non calleat linguam hebraicam, fortasse putavit, nomen Jesu hebraice scribi יוש *Jaschu*; ex quo recte deduxerit, Jesum continere tres primas litteras nominis *Jehova* (Dominus), *Schamaim* (cœlum), & *Arets* (terra); ac proinde nomen Jesu in suo anagrammate significare Dominum cœli & terræ.

Explicantur munera a Magis Salvatori oblata. Lib. 3. c. 9. n. 2.

XI. Nec omittendus est quidam S. Irenæi textus, qui extat libro tertio, ubi in sensu mystico explicat id quod dicit Scriptura de muneribus quæ tulerunt Magi Domino, quando venerunt Bethleem, ut adorarent eum: *Myrrham quidem*, inquit ille, *quod ipse erat, qui pro mortali humano genere moreretur: Aurum vero, quoniam Rex, cujus regni finis non est: Thus vero, quoniam Deus*. Ex hoc pariter textu eruitur, S. Irenæum credidisse Jesum Christum verum Deum, & verum Hominem.

Jesus Christus non profanavit Sabbatũ. Lib. 4. c. 8. n. 2.

XII. Sicuti Marcionitæ in contemptum veteris Testamenti falso arbitrabantur, Jesum Christum ejus præcepta non implevisse, & præcipue Sabbatum violasse; S. Irenæus, ut silentium illis indicat ostendit, Jesum Christum non solum Sabbatum non violasse, sed e contra Sabbati obligationes, & præcipua ejus præcepta implevisse per opera charitatis, quæ diebus illis peragebat; cum non prohiberet lex opera charitatis, sed tantum opus servile, ac præterea peccatum. Hac occasione decidit, opera charitatis nullo modo vetari, immo permissa esse diebus Deo sacris. Verum in sectione de Moribus, afferemus quidquid hac super re ille scribit; & hic animadvertimus solummodo, videri S. Irenæum deceptum esse dum tradit, eodem loco, quod fons Siloa etiam sæpe Sabbatis curavit, & propter hoc assedisse ei multos die Sabbatorum. Id nullo Scripturæ oraculo comprobatur, & dicendum est, Sanctum Doctorem hoc loco memoria excidisse, ac confundisse

(a) Ad Galat. cap. 4. v. 4.
(b) Ad Roman. cap. 1. v. 3. & 4.
(c) Joann. cap. 4. v. 6.
(d) Psalm. 68. v. 27.
(e) Matth. cap. 26. v. 38.

II. Seculum.

fundisse fontem Siloa eum probatica Piscina, ubi reipsa miraculum illud peragebatur die ipsa Sabbatorum, sicuti ex capite quinto Evangelii Sancti Joannis aperte eruitur.

XIII. Antequam afferamus quidquid notabilius tradit S. Irenæus de tentatione Jesu Christi, innuere in animo est id quod scribit Auctor ille de omnibus in genere Divini hujus Salvatoris operationibus: ait siquidem, æque mysterium & figuras in iis deprehendi, ac in operationibus veterum Patriarcharum. Jesus Christus, exempli caussa, lavans pedes Discipulorum suorum, ostendit, seipsum debere abluere sordes filiarum Sion: *ipsum Verbum per seipsum sordes abluere filiarum Sion, manibus suis lavans pedes Discipulorum*. Observandum hic volo, S. Irenæum hoc loco tribuere Verbo humanam operationem. Verum ut de tentatione Jesu Christi aliquid dicamus, hæc quæ sequuntur considerat Sanctus Doctor in hac Historia. 1°. dicit, Jesum Christum per suum jejunium quadraginta dierum satisfecisse justitiæ Dei pro peccato gulæ primi hominis. 2°. scribit, quod Dæmon abscondens mendacium per sacra Scripturarum verba, sui imitatores habet hæreticos, qui eodem modo Sacris Libris abutuntur: *Mendacium abscondens per Scripturam, quod faciunt omnes Hæretici*. 3°. ait, quod elatio, quam primis parentibus inspiravit serpens, dissoluta est per Salvatoris humilitatem, qui tentanti diabolo respondit: *Non tentabis Dominum Deum tuum* (a) 4°. docet, quod cum Dæmon initio suasisset homini transgredi præceptum factoris, oportebat per hominem ipsum (Jesum Christum) colligari iisdem vinculis, quibus alligavit hominem. 5°. tandem, nulla attendenda esse temporalia bona a dæmone, qui nocere solummodo nobis potest, licet Redemptori dixerit, omnia Regna mundi ad eum spectare: *Neque enim conditio sub ejus potestate est; quandoquidem & ipse unus de creaturis est*.

Jesu Christi Operationes mysteriis refertæ. Lib. 4. c. 22. n. 1.

Animadversiones S. Irenæi supra tentationem Jesu Christi in deserto. Lib. 5. cap. 21. num. 2.

XIV. Peculiaris quidam articulus occurrit in secundo libro S. Irenæi, ubi Sanctus ille Episcopus non solum scribit, Jesum Christum omnes ætates sanctificasse, quod in dubium revocari nequit, verum etiam omnes ætates attigisse, ita ut fuerit infans inter infantes, juvenis inter juvenes, senior in senioribus, non tantum in sensu methaphorico, sed reipsa: *Non solum secundum expositionem veritatis, sed & secundum ætatem*. Asserit insuper, idque ex Traditione probare contendit, Jesum Christum quinquaginta annos natum Crucis supplicium subiisse: & id credit inniti Traditioni veterum Discipulorum Divi Joannis, qui ab eodem Apostolo idipsum didicerant: *Sicut omnes seniores testantur, qui in Asia apud Joannem Discipulum Domini convenerunt, idipsum tradidisse eis Joannem*: tuetur insuper erui eamdem rem ex Discipulis aliorum Apostolorum. Deinde ut ostendat, Traditionem hanc in Scripturis fundari, citat locum Evangelii S. Joannis, (b) in quo Christus dixit Judæis: *Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit & gavisus est*: & responderunt Judæi: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Hoc autem consequenter dicunt ei, inquit Sanctus Doctor, qui jam quadraginta annos excessit, quinquagesimum autem annum nondum attigit, non tamen multum a quinquagesimo anno abluit. *Non ergo multum aberat*, concludit ille, *a quinquaginta annis, & ideo dicebant ei: quinquaginta annorum nondum es, & Abraham vidisti?* Quid vero de singulari hac opinione sentiendum sit nemo ignorat. Adnotare hic sufficiat, hujus opinionis momenta nullum negotium nobis facessere, si id excipias, quod dicit de Traditione Apostolorum: oportere autem, minus dubiam esse hujus Traditionis veritatem, quam nobis appareat. Fortasse aliqui Papiæ haud dissimiles, male intellecta doctrina Apostolorum hac super re, ac litteraliter nimis accepta hac veritate, quod Salvator sanctificavit omnes ætates, hanc inde illationem intulerunt, ætates omnes eum attigisse. Quidquid tamen sit, Opinio hæc nullos habet, nec enim habere debet sectatores.

Peculiaris opinio S. Irenæi supra ætate Jesu Christi. Lib. 2. c. 22. n. 4.

num. 5. 6.

XV. At prolixo huic capiti de Incarnatione Verbi finem imponamus paucis his S. Irenæi verbis, quæ respiciunt miros effectus Mortis Salvatoris. *Propter hoc autem*, scribit Sanctus Doctor, *& Christus mortuus est ut testamentum Evangelii apertum, & universo mundo lectum, primum quidem liberos faceret servos suos, post deinde hæredes eos constitueret eorum quæ essent ejus*.

Effectus mortis Salvatoris. Lib. 5. c. 9. n. 4.

(a) Matth. cap. 4. v. 7.
(b) Cap. 8. v. 56. & 57.

CAPUT NONUM.

De Sancta Virgine Dei Genitrice.

I. Notabilia quædam loca extant in S. Irenæo de Sancta Virgine Dei Genitrice. Ut autem ab ejus elogio incipiamus, Sanctus iste Episcopus commendat præcipue ejus obedientiam, & fidem, quæ elucet in his ad Angelum verbis: Ecce Ancilla Domini &c. hinc ait, hanc Mariæ obedientiam, tum sibi profuisse ad salutem, tum omnibus hominibus: *Maria Virgo obediens, & sibi, & universo generi humano caussa facta est salutis*: insuper, nodum inobedientiæ Evæ solutum fuisse per obedientiam Mariæ, ac Mariam per fidem solvisse quod Eva alligaverat per incredulitatem: *Sic autem & Evæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ: quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc Virgo Maria solvit per fidem*. Notabilis est locus iste, & fides peccati originalis satis superque ibi indigitatur; & connotantur motiva grati animi nostri, nostræ observantiæ, ac devotionis erga Deiparam: fieri enim nequit quod credamus Sanctam hanc Dei Genitricem esse caussam nostræ salutis, quin diligamus eam, revereamur, & ad validum ejus patrocinium confugiamus. Recte igitur Ecclesia peculiari cultu eam honorat, ac majori solemnitate ejus memoriam celebrat, quam aliorum Sanctorum: quippe, præter Deum, nemini debitores sumus æque ac Mariæ, cum creatura nulla æque ac Maria æternæ nostræ saluti operam suam contulerit. S. Irenæus alio loco appellat Mariam advocatam Evæ: *Virginis Evæ Virgo Maria Advocata*.

Fides & Obedientia Sanctæ Virginis. Lib. 5. c. 23. n. 4.

II. Ex allatis modo testimoniis nullo negotio infertur Virginitas Mariæ; & si illis addamus aliud testimonium supra recitatum, scilicet quod Filius Dei purus pure exivit e puro Mariæ gremio: *Purus pure puram aperiens vulvam*; immo quod adauxit puritatem casti illius sinus per temporalem suam nativitatem: *Quam & ipse puram fecit*, necessario fateri debebimus Virginitatem Mariæ ante & post partum. Quod spectat autem ad Divinam ejus Maternitatem, probatur hæc ex illo Sancti hujus Doctoris textu, in quo loquens de Signo, quod Isaias (c) dat Regi Achaz, hæc habet. *Quod (Signum) non postulavit homo, quia nec speravit Virginem prægnantem fieri posse quæ erat Virgo, & parere filium, & hunc partum Deum esse nobiscum*. Alia in promptu sunt in Divo Irenæo, quæ duas has fidei veritates comprobant, testimonia: Verum, ne actum agamus, quod antiquo vetamur adagio, lectorem remittimus ad ea quæ superiori capite diximus.

Virginitas Mariæ & ante & post partum. Lib. 4. c. 33. n. 11.

III. Licet S. Irenæus pluribus commendet Mariam, eam nihilominus de intempestiva festinatione arguit, quia ad nuptias Canæ in Galilæa dixit Filio vinum deesse (d); & hoc exemplo demonstat, Jesum Christum omnia opportuno tempore peregisse, & ad voluntatem Patris sui: *Propter hoc*, ait Sanctus Doctor, *properante Maria ad admirabile vini signum, & ante tempus volente participare compendii poculo, Dominus repellens ejus intempestivam festinationem, dixit: quid mihi & tibi, mulier?* Sicuti vero hæc Mariæ festinatio ex charitate erat, hinc temerarium foret ea de caussa imperfectionem de Maria prædicare: Charitati enim omnia licent, si id quod intrinsece malum est, excipiatur: hoc autem Mariæ desiderium malum nequaquam fuit.

Maria reprehensa a Filio ad Nuptias Canæ. Lib. 4. cap. 16. num. 7.

IV. Addimus hisce omnibus pauca S. Irenæi verba, quibus Sanctos Innocentes Martyribus accenset: *Propter hoc*, inquit ille, *& pueros Christus eripiebat, qui erant in domo David; bene sortiti illo tempore nasci, ut eos præmitteret in suum regnum, ipse infans cum esset infantes hominum Martyres parans, propter Christum interfectos*.

Sancti Innocentes Martyres celebrati a S. Irenæo. ibid. n. 4.

CAPUT DECIMUM.

De Baptismo, Pœnitentia, et Eucharistia.

I. Sicuti Sacramenta sunt effectus Incarnationis Domini nostri Jesu Christi, & protulimus in superioribus quidquid tradit S. Irenæus in suo Opere circa hoc Mysterium; hinc rectus theologicarum rerum ordo postulat, ut exponamus modo quæ docet idem Sanctus Pater de Sacramentis: Ut vero a Baptismo initium

(c) Cap. 7. v. 14.
(d) Joann. cap. 2. v. 3.

II. SÆCULUM.

Necessitas Baptismi pro omnibus. Lib. 2. c. 22. n. 4.

initium ducamus, duobus in locis ejus necessitatem deprædicat S. Irenæus. Docet 1º. quod Jesus Christus *Omnes venit per semetipsum salvare, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & seniores.* Hinc omnes necessario baptizari debent, infantes, juvenes, & seniores, qui si absque hoc Sacramento decedant, æternam salutem consequi non valent. 2º. eamdem veritatem alibi etiam statuit, ac probat ex eo, quod omnes homines Originalis peccati maculam contraxerint: *Et quoniam*, inquit ille ad hanc rem, *in illa plasmatione, quæ secundum Adam fuit, in transgressione factus homo, indigebat lavacro regenerationis.* Duo hi textus nulla indigent explicatione.

Confessio peccatorum occultorum. Lib. 1. c. 13. n. 5.

II. Quoad Pœnitentiam habemus exemplum Confessionis peccatorum occultorum in capite decimotertio libri tertii, quo quidem in loco scribit S. Irenæus, ex mulieribus, quas seductor Marcus deceperat, aliquas ad Ecclesiam Dei rediisse, ac confessas fuisse, se corpore ab eo contaminatas fuisse, atque impuro ipsius amore exarsisse: *Ipsæmet sæpe cum ad Dei Ecclesiam redíissent, confessæ sunt, seque corpore ab eo contaminatas fuisse, miroque ipsius amore exarsisse:* quod animadvertendum est pro occultorum peccatorum Confessione. Addit vero infra S. Irenæus, de iisdem mulieribus a Marco contaminatis sermonem habens, quod illarum multæ velut canterio quodam inustam conscientiam habentes, etiam in manifesto exomologesin fecerunt: *Partim publice pœnitentiam egerunt*: Partim cum id facere præ pudore non sustinerent, ac tacite quodammodo de vita Dei desperarent, vel prorsus a fide desciverunt; vel certe in utramque partem propenderunt, & quod est proverbii passæ sunt, neque intus, neque foris existentes. Ex his igitur constat. 1º. in Ecclesia semper post peccatum habitam fuisse necessariam pœnitentiam ad ineundam cum Deo amicitiam. 2º. tunc temporis publicam pœnitentiam iis impositam fuisse, qui ab hæresi ad Ecclesiæ sinum revertebantur, quod crimen nemo eluere valebat per pœnitentiam occultam: si enim hanc pœnitentiam acceptavisset Ecclesia, nequaquam hic diceret S. Irenæus, præ pudore publicæ pœnitentiæ peragendæ plures mulieres prorsus a fide descivisse; potuissent quippe per pœnitentiam occultam ad Dei Ecclesiam redire.

Pœnitentia publica pro Hæresi. Ib. n. 7.

III. Fusius autem disserit S. Irenæus de Eucharistia, quam de Baptismo ac Pœnitentia; & ex vetustis erroribus occasionem sumit plura congerendi hac super re, quæ fortasse omisisset, nisi hæc sese præbuisset occasio: Quidquid ille de hoc Sacramento scripsit, exacte nunc proferam. Jesus Christus, inquit ille, accepit panem, & gratias egit (Patri suo) dicens: Hoc est meum Corpus: & calicem similiter .... *& suum Sanguinem confessus est: & novi Testamenti docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo* .... De quo, prosequitur S. Irenæus, in duodecim Prophetis Malachias (*a*) sic præsignificavit: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum: quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens: *Manifestissime significans* (Propheta) *per hæc quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offeretur ei, & hoc purum.* Possunt Novatores ex hoc S. Irenæi testimonio binas magni momenti veritates edíscere, quas ipsi æque impugnant: Prima est, præsentia realis Corporis & Sanguinis Jesu Christi in Eucharistia, quam tamen veritatem in sequentibus expressius docebit nos Sanctus Doctor: Secunda est, quod Eucharistia est verum Sacrificium novæ legis. Quando circa postremum hunc articulum Novatoribus objicimus allatum modo Malachiæ textum, varia emendicant effugia, ut difficultatem eludant, cujus vim non persentire non possunt. Verum semper Catholicis jucundissimum erit, in eodem sensu se æque ac veteres venerabilesque Ecclesiæ Patres hunc textum interpretari, ignominiosum autem semper erit Hæreticis velle potius adhærere propriæ peculiari opinioni, quam sensui totius Traditionis, & Ecclesiæ ipsius primorum sæculorum, cujus fidem se habere ac docere venditant. Ostendant, si valent, quod negaverit quisquam, vel in dubium revocaverit, Eucharistiam esse verum novæ Legis Sacrificium?

Eucharistia, Sacramentum novæ Legis. Lib. 4. c. 17. n. 5.

IV. *Igitur Ecclesiæ oblatio*, scribit præterea S. Irenæus, *quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum.* Ostendit deinde, quod Deus oblationes veteris legis reprobans, sacrificium omne non reprobavit: inquit enim: oblationes & illic, oblationes autem & hic: *Sacrificia in populo, Sacrificia in Ecclesia. Sed species immutata est tantum: quippe cum jam non a servis, sed a liberis offeratur .... Et hanc oblationem*, addit infra, *Ecclesia sola puram offert fabricatori: quoniam cum simplicitate Ecclesia offert.* Judæi autem non offerunt; manus enim eorum sanguine plenæ sunt .... Sed neque omnes Hæreticorum Synagogæ; alterum enim agnoscunt Deum præter fabricatorem mundi.

Sequitur idem argumentum e Ibid. c. 18. num. 1.

num. 2.

num. 4.

V. Occasione sumpta ab his hæreticis, ut dixi supra, perspicue probat S. Irenæus præsentiam realem Jesu Christi in Eucharistia: ait enim: *Quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, Corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis ejus, si non ipsum, fabricatoris mundi Filium dicant, id est Verbum ejus? Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ corpore Domini & sanguine alitur?* Πῶς .... τὴν σάρκα λέγουσιν εἰς φθορὰν χωρεῖν ... τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος τοῦ κυρίου καὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ τρεφομένην. Ergo aut sententiam mutent, concludit Sanctus Præsul, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. Sane nisi cæcutire consulto quis velit, fieri nequit quin hic deprehendat Dogma præsentiæ realis; Frustra eludere vellent difficultatem, ut assolent, Heterodoxi, perspicua adeo verba metaphorice interpretantes, sicuti interpretari consuescunt Scripturarum Oracula. Si vel parum attendant allata S. Irenæi verba, & ingenui esse velint, nullo negotio percipient, metaphoricum sensum locum habere in præsenti casu nequaquam posse. Vide eruditas animadversiones Patris Massuet in hæc verba, quæ extant in Dissertationibus, quas præmittit Divo Irenæo, articulo septimo, pag. 139. 140. ibi enim demonstrat, testimonia hæc S. Irenæi absolute intelligenda esse in sensu de præsentia reali, habita ratione ad errores, quos Sanctus Episcopus ibi impugnat.

Præsentia realis. Ibid. n. 5.

VI. Alia extant Sancti hujus Doctoris testimonia, formalia æque ac præcedentia in favorem ejusdem veritatis. Si Caro non resurgit, scribit ille, nec Dominus sanguine suo redemit nos; neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis ejus est, neque panis quem frangimus, communicatio corporis ejus est: Sanguis enim non est, nisi a venis & carnibus, & a reliqua quæ est secundum hominem substantia. Et inferius habet. Dominus accipiens *Eum calicem ... suum sanguinem confessus est* αἷμα ἴδιον ὡμολόγησε, *ex quo auget nostrum sanguinem; & eum panem suum corpus confirmavit* ἴδιον σῶμα διεβεβαιώσατο, *ex quo nostra auget corpora.* Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, & fit Eucharistia Sanguinis & Corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia; quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ est, vita æterna; carnem, inquam, *quæ Sanguine & Corpore Domini nutritur*, τὴν ἀπὸ σώματος, καὶ αἵματος τοῦ κυρίου τρεφομένην, & membrum ejus est? quemadmodum & Beatus Apostolus ait in ea, quæ est ad Ephesios epistola (*b*): quoniam membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus: non de spiritali aliquo & invisibili homine dicens hæc; Spiritus enim neque ossa, neque carnes habet (*c*); sed de ea dispositione, quæ est secundum verum hominem, quæ ex carnibus, & nervis, & ossibus consistit: quæ de calice, addit S. Irenæus, qui est Sanguis ejus, nutritur, & de pane, quod est corpus ejus, augetur. Perpendant Hæretici quantum iis arrideant pulcherrima hæc loca, & interpretari ea nunquam poterunt in diverso sensu ab illo, qui prima fronte sese offert: meridiana enim luce clarius est, de præsentia reali, physica, & vera hic verba fieri. Et licet textus id formaliter non exprimat, id tamen satis superque indigitat, cum loquatur de esu corporali Corporis & Sanguinis Jesu Christi, & dicat, Corpus hoc, & pretiosum hunc sanguinem nutrire & augere nostrum corpus, & nostrum sanguinem; quod quidem intelligi nequit de homine interiore & spirituali, sed de vero homine, juxta suum esse physicum accepto: *Sed de ea dispositione, quæ est secundum verum hominem, quæ ex carnibus, & nervis, & ossibus consistit.* Quomodo autem edi quidquam posset, ac corpus & sanguis de eo nutriri, si metaphoricum id esset, non vero physicum. Lacrymis igitur digni sunt obstinati Novatores, qui nunquam dimicare desistunt contra realem præsentiam Corporis & Sanguinis Jesu Christi in Sacramento Altaris. Veteres ipsi Hæretici, quos refutat hoc loco S. Irenæus, idipsum sentiebant cum Ecclesia super hunc articulum, cum hac

Sequitur idem argumenti. Lib. 5. c. 2. num. 2.

num. 3.

(*a*) Cap. 1. v. 10. & 11.
(*b*) Cap. 5. vers. 30.

(*c*) Luc. cap. 24. vers. 39.

II. SÆCULUM.

hac doctrina ita utatur Sanctus Episcopus, ac si evidenter concludat contra illorum errores. Si enim de hac veritate non consensissent cum Ecclesia, aerem verberasset eis illam objiciens veluti oppositam eorum opinionibus, ideoque petitione principii usus esset, quo vitio nonquam laboravit S. Irenæus. Hinc videmus, Marcosianos inter cæteros credidisse præsentiam realem; quippe, ut imitarentur Ecclesiam Catholicam in celebratione Divinorum Mysteriorum, accipiebant calices aqua & vino plenos, & precibus in longum protractis ad instar Consecrationis, efficiebant ut calices isti liquore quodam rubro pleni apparerent, ut crederent cæteri, realem Consecrationem peractam esse, & vinum transiisse in Sanguinem Jesu Christi. Quid tradat hac super re in suo primo libro S. Irenæus, supra jam vidimus.

Difficultas ex S. Irenæo circa efficaciam Sacrificii Eucharistici. Lib. 4. c. 18. n. 3.

VII. Pulcherrimis hisce Sancti Doctoris textibus fidem Ecclesiæ super Eucharistiam comprobantibus, æquitas postulat ut duo vel tria addamus loca, quæ obscura videntur, nec non aliquam difficultatem videntur involvere. 1°. Obscurum est quod docet S. Irenæus de Eucharistia, prout est sacrificium: *igitur non sacrificia sanctificant hominem, sed conscientia ejus sanctificat sacrificium*: ex quo concludi posset, sacrificium Eucharisticum nequaquam obtinere supra oblationes veteris legis, quæ sanctificabant solummodo prout sanctificabantur a puritate & bonis dispositionibus ministrorum; & falsum esse proinde, quod sacrificium Eucharisticum operetur ex propria virtute, & independenter a dispositionibus illius qui sacrificium offert.

Resolutio hujus difficultatis.

Verum nullo negotio objectio hæc dispellitur, 1°. quia S. Irenæus loquitur de sacrificiis veteris legis in toto illo capite, ex quo excerpta est hæc objectio. Facillime id deprehendere poterit quisquis caput illud perlegerit; ibi enim Sanctus Doctor ante allata verba, quæ in controversiam veniunt, ostendit discrimen quod intercessit inter sacrificia Abel, & Cain fratris sui; deinde ea verba subtexuit, quæ difficultatem efformant: ea quo plane eruitur, non loqui ibi S. Irenæum de sacrificio Altaris, sed de aliis sacrificiis pure exterioribus, quarum sanctitas reipsa pendet a puritate offerentium. 2°. Si quis dubitaret, hanc esse veram S. Irenæi mentem, attendat quæ scribit ille in eadem pagina de sacrificio Eucharistico in particulari: ait enim. *Ecclesiæ oblatio purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei.* Cur? quoniam, addit ipse, cum simplicitate Ecclesia offert. Si igitur Ecclesia est, quæ per suos Ministros offert, sicuti semper sancta est, semper pura, hinc ejus sacrificium semper Deo acceptum est, licet indigni sint Ministri, per quorum manus offert. 3°. S. Irenæum non docuisse, sanctitatem sacrificii Eucharistici pendere a puritate offerentium, eruitur manifestius ex capite superiori prope finem, ubi ait, Malachiam (*a*) recte dixisse, sacrificium purum offerri nomini Jesu Christi, quoniam nomen Filii proprium Patris est: *Quoniam ergo nomen Filii proprium Patris est, & in Deo Omnipotente per Jesum Christum offert Ecclesia, bene ait secundum utraque (Malachias): & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum.* Ex quo sequitur, totam sacrificii Altaris puritatem, ejusque efficaciam ab eo procedere, qui est ejusdem sacrificii præcipuus Minister, & Victima.

Ibid. n. 1.

Cap. 17. num. 6.

Alia difficultas circa Transsubstantiationem. c. 18. n. 5.

VIII. Alter extat difficilis textus de Eucharistia, in quo S. Irenæus docet, ex duabus rebus constare hoc Sacramentum; quarum una est terrena, altera cœlestis: *Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti*: quibus verbis abutuntur Hæretici recentiores contra Dogma Transsubstantiationis, falso autumantes, per rem terrenam S. Irenæum intelligere panem; per rem cœlestem vero corpus, animam, & Divinitatem Jesu Christi.

Respondetur huic difficultati.

At Dominus Massuet validissimis momentis demonstravit falsitatem hujus interpretationis, ita ut reponere nihil valeant Novatores in contrarium; docetque, per hanc vocem *terrena* S. Irenæum significare velle corpus & animam Jesu Christi, & hæc (corpus & animam) ideo terrena appellare, quia Salvator utrumque sumpsit a terra, hoc est a Virgine in Mariæ Virginis utero; per vocem vero *cœlesti* significare velle ipsum Verbum, hypostatice corpori & animæ Jesu Christi unitum. Non afferam hic omnia momenta, quibus innititur hæc Patris Massuet responsio: unum dicam in genere, & obiter, eum insistere vehementer supra finem quem sibi proponit S. Irenæus in iis omnibus quæ tradit contra Hæreticos sui ævi. Qui plura in hac re scire desiderant, adeant eruditas ejus Dissertationes, quas supra memoravi, & allatam difficultatem penitus solutam deprehendent.

(*a*) Cap. 1. vers. 11.

CAPUT UNDECIMUM.

DE CREATIONE ADÆ, ET DE EJUS SALUTE.

II. SÆCULUM.

I. Tres articulos animadversione dignos perlegi in S. Irenæo de Creatione hominis. 1°. Cur Deus creaverit hominem? 2°. Cur perfectum non creaverit illum? 3°. quo pacto pervenire possit ad suam perfectionem. Quoad primum aperte declarat Sanctus Episcopus, Deum condidisse hominem non quasi illius indigeret, sed ut haberet in quem collocaret sua beneficia: *Igitur initio, non quasi indigens Deus hominis, plasmavit Adam, sed ut haberet in quem collocaret sua beneficia.* Quod si Deus exquirit ab hominibus servitutem & obsequium, non exquirit hoc ad suam beatitudinem & gloriam, sed ad nostram beatitudinem & utilitatem: non enim nostro indiget ministerio; quippe non solum ante Adam glorificabat Verbum Patrem suum, sed & ante omnem conditionem, hoc est, ab omni æternitate, ut reipsa significare vult Sanctus Doctor. Cæterum, dives est Deus, perfectus, & sine indigentia: propter hoc autem exquirit ab hominibus servitutem, ut quoniam est bonus & misericors, benefaciat eis qui perseverant in servitute ejus. Verba sunt Sancti Lugdunensis Episcopi.

Cur Deus Hominem creaverit. Lib. 4. c. 14. n. 1.

II. Quoad secundam quæstionem, scilicet cur Deus non creaverit hominem perfectum? S. Irenæus docet, Deum reipsa præstare id potuisse; opus fuisse autem, ut homo per gradus illam participaret, cum in creatione esset adhuc infans: *Deus ipse quidem potens fuit homini præstare perfectionem ab initio; homo autem impotens participare illam; infans enim fuit.* Veritatem hanc duobus probat exemplis, quæ perbelle ad rem faciunt. Primum est de Verbo, qui cum ad nos venire posset in inenarrabili gloria sua, nihilominus venit in substantia nostræ carnis, quomodo illum nos videre poteramus. Secundum eruitur ex his Pauli verbis ad Corinthios: *Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis escam percipere*: licet enim Apostolus posset illis dare escam (Spiritum Sanctum, qui est esca vitæ), non dedit tamen ob infirmum eorum sensum erga Deum. S. Irenæus huic quam præ manibus habemus quæstioni adaptat hæc duo exempla, docetque Deum, cujus sapientia, potentia, ac bonitas mire elucet in hominis ipsius creatione, potuisse quidem initio dare illi perfectionem; non potuisse autem hominem nuper factum eam capere vel continere. Dicit insuper, quod qui aliter sentit, Deum non agnoscit, immo & seipsum ignorat, ingratus est, insatiabilis & plus irrationalis, quam muta animalia. Discrimen deinde docet, quod Deum inter & hominem intercedit; Deus enim perfectus est, quia a nullo factus; at non sic homo, qui a Deo habet quod est; & quidquid est: *Perfectus enim est infectus, hic autem Deus.*

Cur Deus non creaverit Adā perfectū. Lib. 4. c. 38. n. 1.

III. Sequuntur nunc gradus, per quos voluit Deus, hominem ad perfectionem pervenire: *Oportuerat autem*, inquit S. Irenæus, *hominem primo fieri, & factum augeri, & auctum corroborari, & corroboratum multiplicari, & multiplicatum convalescere, convalescentem vero glorificari, & glorificatum videre suum Dominum.* Ii qui patientia, quæ ad gradus hos percurrendos requiritur, destituuntur, & de imbecillitate propriæ naturæ anguntur, & ardentius quam par est ad perfectionem sui status totis viribus contendunt; isti, inquam, discant a Divo Irenæo, servandum esse naturalem ordinem ab ipsomet Deo positum, ut corona gloriæ percipiatur: *Non enim tu Deum facis*, ait ille egregie, *sed Deus te facit. Si ergo opera Dei es, manum artificis tui expecta, opportune omnia facientem, opportune autem quantum ad te attinet, quod efficeris.* Deinde monet homines istos, ut præstent Deo cor molle & tractabile, & custodiant figuram, qua figuravit eos (homines) artifex, ne indurati amittant vestigia digitorum ejus, & ab eo recedant ordine, quem in natura Deus constituit. *Fabricatur substantiam in te manus ejus*, addit eruditus iste Pater, *liniet te ab intus, & a foris auro puro & argento, & in tantum ornabit te, ut & ipse Rex concupiscat speciem tuam. Si vero statim obduratus respuas artem ejus, & ingratus existas in eum, quoniam homo factus es; ingratus Deo factus, simul & artem ejus, & vitam amisisti.* Pulcherrima hæc S. Irenæi verba perutilia esse possent iis omnibus, qui conqueruntur de propria imperfectione ac imbecillitate, & vellent in instanti, ut ita dicam, ad immortalitatis statum & perfectæ quietis pervenire.

Gradus, per quos homo perducitur ad perfectionem suam. num. 3.

Cap. 39. num. 2.

Salus Adæ. Lib. 3. cap. 23. *Probatur primo. num. 2.*

IV. Cum Tatianus cæterique Encratitæ negarent Adæ salutem, hunc odium non movet lapidem S. Irenæus ut oppositum ostendat; & probat, quod decebat Dei misericordiam, immo, & justitiam, salvare primum hominem post lapsum. Præcipua momenta quæ affert, sunt sequentia. 1°. quia posita contraria opinione, quam hæreticam ille appellat, sicuti infra videbimus, *Victus esset Deus, & superesset serpentis nequitia voluntatem Dei*, qui hominem fecit ut viveret. Sed quoniam Deus, addit Sanctus Doctor, invictus & magnanimus est, magnanimum quidem se exhibuit ad correptionem hominis, & probationem omnium; per secundum autem hominem alligavit fortem, & diripuit ejus vasa, & evacuavit mortem, vivificans eum hominem, qui fuerat mortificatus.

Probatur secundo. Ibid.

V. Secundo probat S. Irenæus salutem Adæ contra Tatianum eo ferme modo, quo illam probaverat primo loco: Docet enim, quod juste a Deo recaptivatus est Diabolus; qui hominem captivum duxerat; solutus est autem condemnationis vinculis qui captivus ductus fuerat homo. Tertio sic probat. Quum autem salvatur homo, oportet salvari eum, qui prior formatus est homo: Quoniam nimis irrationabile est, illum quidem, qui vehementer ab inimico læsus est, & prior captivitatem passus est, dicere non eripi ab eo, qui vicerit inimicum; ereptos vero filios ejus, *quos in eadem captivitate generavit*. Quidquid sit de tribus his momentis ad comprobandam salutem Adæ; attendenda tamen sunt hæc verba: *Quos in eadem captivitate generavit*, quæ probant peccatum originale in omnibus Adæ posteris. Verum alia extant insuper æque perspicua in S. Irenæo testimonia quæ hanc eamdem veritatem confirmant, & nos in sequenti capite ea exscribemus.

Probatur tertio. num. 2.

Probatur quarto.

VI. Ut probet ulterius Adæ salutem S. Irenæus ostendit Encratitis discrimen inter Adam, & ejus filium Cain. Ait enim, Cain reportasse maledictionem a Deo, quia præter necem fratris, a se peccatum tulit, hoc est perpetrasse se negavit, non reveritus Deum: econtra vero Adam, addit ille, humiliter confessus est peccatum suum coram Deo, & dedit pœnitentiæ signa, a Paradiso discedens, ac si indignus esset stare in conspectu Creatoris sui. Deinde eum sic loquentem inducit S. Irenæus. *Quoniam, inquit, eam, quam habui a spiritu, sanctitatis stolam amisi per inobedientiam, & nunc cognosco quod sim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat, mordet autem & pungit corpus.* Num convenire poterit nobis miseris infelicissimi hujus patris filiis luxus & elegantia vestium? Si autem Adæ peccatoris filii sumus, cur non etiamus & Adæ pœnitentis? Si ejus iniquitatis participes sumus, si in illo peccavimus, cur ejusdem verba non usurpamus, cur eumdem pœnitentem non imitamur?

Pœnitentia Adæ. num. 4. 5.

VII. Addamus modo caussam; propter quam, ut docet S. Irenæus, ejecit Deus Adam de Paradiso terrestri. Ejecit eum de Paradiso Deus, scribit Sanctus Doctor, non invidens ei lignum vitæ; quemadmodum quidam audent dicere: *sed miserans ejus, ut non perseveraret semper transgressor; neque immortale esset... peccatum, & malum interminabile, & insanabile.* Sane ex bonitate ac misericordia amovit Deus Adam ab occasione peccandi, (peccandi quippe occasio fuerat arbor scientiæ boni & mali) eum de Paradiso ejiciens. Hinc Deus aufert quandoque a nobis quæ summo amore prosequimur, idque præsertim ad majorem nostram utilitatem; nos vero iræ suæ in nos indicia dicimus, quæ sunt infinitæ misericordiæ signa. Animadvertamus etiam hic obiter, S. Irenæum tam certam habuisse Adæ salutem, ut scribere non vereatur; *Qui contradicunt saluti Adæ, nihil proficiunt, nisi hoc, quod semetipsos hæreticos, & apostatas faciunt veritatis, & advocatos se serpentis, & mortis ostendunt.*

Cur Deus ejecerit Adam de Paradiso. num. 6.

Quid sentiret S. Irenæus de iis, qui negabant Adæ salutem. num. 8.

CAPUT DUODECIMUM.

DE PECCATO ORIGINALI, LIBERO ARBITRIO, ET GRATIA.

I. Antequam iis quæ de Adæ persona tradit S. Irenæus finem imponamus, afferenda sunt ea ejusdem Patris loca, quæ probant diffusionem peccati Originalis ab hoc primo homine in omnes posteros ejus. Exscribo quæ magis perspicua sunt in hoc articulo. 1°. Docet Sanctus Episcopus in suo libro quarto contra hæreses: *Non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga* (sic vocat peccatum originale,) *nisi credant in eum, qui ... in ligno martyrii exaltatur a terra, & omnia trahit ad se, & vivificat mortuos.* Clare adeo & formaliter confirmat hoc loco Sanctus Irenæus Dogma de peccato Originali, ut S. Augustinus (a) perutiliter hoc testimonio usus sit contra Pelagianos hujus veritatis infensissimos hostes. Ex altera vero parte probatur etiam iisdem verbis S. Irenæi necessitas, quæ omnes affecit semper mortales, credendi in Jesum Christum; quippe absque hac fide salvari nequeunt homines ab antiqua serpentis plaga. Tandem comprobatur ibidem efficacia, & mira vis gratiæ medicinalis Servatoris, qui *Omnia trahit ad se, & vivificat mortuos.*

Peccatum Originale Lib. 4. c. 2. n. 7.

II. S. Irenæus alibi etiam fatetur veritatem peccati originalis, ejusque abolitionem per gratiam Jesu Christi: ait enim: *Quem (Deum) in primo quidem Adam offendimus, non facientes ejus præceptum: in secundo autem Adam reconciliati sumus obedientes usque ad mortem facti:* & alio loco adjungit: *Cujus & præceptum transgredientes* (in primo nostro Patre) *inimici facti sumus ejus ... cujus eramus debitores, transgressi ejus præceptum:* postremis vero temporibus Jesus Christus reconciliavit nos Deo per suam Incarnationem, *Nostram inobedientiam per suam obedientiam consolatus.*

Sequitur idem argumentũ. Lib. 5. c. 16. n. 3.

III. Mirum sane est, quod S. Irenæus diem determinat, quo primi parentes prolapsi sunt. Si quis velit diligenter discere, inquit ille, qua die ex septem diebus mortuus est Adam (mortuus Deo per prævaricationem,) *inveniet ex Domini dispositione:* & paucis interjectis subdit: *Manifestum est itaque, quoniam in illa die mortem sustinuit Dominus obediens Patri, in qua mortuus est Adam inobediens Deo ... hoc est*, loquitur semper Sanctus Doctor, *Parasceve, quæ dicitur Cœna pura, idest feria sexta.* Igitur die veneris, juxta S. Irenæum, Adam & Eva Dei gratiam amiserunt, in qua conditi fuerant: id autem simplicis conjecturæ fines non excedit; & momenta, quibus propositionem suam probat S. Irenæus, certitudinem vel minimam, aut evidentiam nequaquam præseferunt, licet utatur his vocibus, *Manifestum est.*

Qua hebdomadæ die peccaverit Adã juxta Sanctum Irenæum. Lib. 5. c. 23. n. 1. & 2.

IV. Licet liberum hominis Arbitrium per spiritualem Adæ mortem sauciatum sit, certum tamen est, hominem semper vere liberum fuisse; & hanc præcipue veritatem urget S. Irenæus, sicuti & cæteri Patres, ut supra vidimus, & infra etiam videbimus. Quoad S. Irenæum in particulari, non deerat illi maxima occasio hanc propugnandi veritatem, cum exstarent suo ævo quidam Hæretici, qui docebant, homines necessario esse vel bonos, vel malos, absque ulla in oppositum libertate. Ut error iste evertatur, satis superque erit considerare, nos bonos esse vel malos ex libera nostra electione, non autem ex natura; nos bonum vel malum posse peragere; nulla nos ad alterutrum necessitate aut coactione duci; ex hac libertate pendere vel præmium vel pœnam. Sane veritas liberi hominis Arbitrii omnibus evidenter innotescet, si vel leviter consideremus præcepta, consilia, & adhortationes quæ in Scripturis includuntur, & quæ nullum certe locum haberent, si non posset homo ad libitum eligere bonum vel malum. Hæc sunt in genere quæ scribit S. Irenæus circa Dogma liberi Arbitrii: Quod si quædam in ejus Opere occurrunt parum accuratæ phrases, non illico est inferendum, Sanctum Doctorem aliquid demere Gratiæ, ut plus tribuat viribus naturæ: omnis quippe cessabit dubitatio hac super re, si ea percurramus testimonia de Gratia, quæ infra afferemus, & consideremus, S. Irenæum ab idea libertatis humanæ unice excludere necessitatem & violentiam sive coactionem, quemadmodum probari potest sequentibus verbis, quæ habet ipse eo in capite, in quo de Gratia pertractat. *Vis enim*, inquit ille, *a Deo non fit:* & paulo infra: Quando adhortatur nos Deus ad subjectionem sibi, & avertit ab incredulitate, *non tamen de violentia cogit.* Hoc enim, & nihil aliud, libertati hominis repugnat.

Liberum Hominis Arbitriũ. Lib. 4. c. 37. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

num. 1.

V. In Deum igitur nostrorum defectuum ac imperfectionum caussa minime est refundenda; sed in nobismetipsis nostræ imbecillitatis & imperfectionis vera origo est perquirenda. *Non igitur ars deficit Dei*, scribit in hanc rem S. Irenæus, *sed ille qui non consequitur eam, sibimet suæ imperfectionis est caussa.* Ad hanc eamdem liberi Arbitrii materiam referri potest quod alio loco docet S. Irenæus; scribit enim: „ Secundum naturam, quæ est secundum conditionem, ut ita dicam, omnes Filii Dei sumus, propter quod a Deo omnes facti sumus: Secundum autem dicto audientiam & doctrinam, non omnes Filii Dei sunt, sed qui credunt ei, & faciunt ejus voluntatem. Qui autem non credunt, & non faciunt ejus voluntatem, Filii & Angeli sunt Diaboli. „ A nostro autem

Sequitur idem argumentũ. Lib. 4. c. 39. n. 3.

In quo sensu omnes Homines generaliter sint & non sint Filii Dei. Lib. 4. c. 41. n. 2.

(a) Lib. 1. contra Julianum, c. 3. postremæ edition.

II. SÆCULUM. Cap. 37. num. 5.

tem libero arbitrio pendet tum credere, tum Domini præcepta servare, sicuti constat ex sequentibus Sancti Doctoris verbis: *Et non tantum in operibus, sed etiam in fide, liberum, & sua potestatis arbitrium hominis servavit Dominus*. Igitur a nostra voluntate & electione pendet Filiis Dei vel diaboli accenseri.

VI. Licet autem S. Irenæus aperte declaret, liberum nobis esse bonum vel malum agere; nihilominus adstruit necessitatem gratiæ ad æternam salutem consequendam, & ad bona opera, quæ necessario requiruntur ad coronam gloriæ percipiendam. *Et sicut arida terra*, egregie scribit de hac re, *si non percipiat humorem, non fructificat; sic & nos, lignum aridum existentes primum, nunquam fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluvia*, hoc est sine gratia, quam *pluviam voluntariam* appellat Regius Psaltes (a) *Quapropter*, ait inferius, *necessarius nobis est ros Dei, ut non comburamur, atque infructuosi efficiamur ....*

Necessitas gratiæ ad bona opera, & ad salutem. Lib. 3. c. 17. n. 2.

Quoniam non a nobis, recte docet alio loco, *sed a Deo est bonum salutis nostra ... quoniam non a nobis, sed a Dei adjumento habemus salvari*. Testimonia hæc necessitatem gratiæ probant æque ac efficaciam. Necessitatem quidem, quia sine gratia nunquam fructificaremus vitam: efficaciam vero, quia gratia est cœlestis ros ad vitam fructificans in cordibus nostris. Gratuitam insuper hanc gratiam dicit S. Irenæus, cum absolute asserat, non a nobis, sed a Dei adjumento nos salvari. Quando igitur sanctus Doctor superius docuit, quod a nostra electione, a nostra voluntate, a libero nostro arbitrio pendet bonum vel malum agere, id intelligendum est, quoad bona opera, de potentia remota, vera nihilominus, sed quæ nunquam resolvitur in actum sine Dei gratia. Inest igitur nobis potentia ad recte agendum, & potentia hæc æque realis est, ac nostrum liberum arbitrium; requiritur vero gratia, divina hæc voluntaria pluvia, ut æternæ vitæ fructus prodeant.

A Deo, & non a nobis est nostra salus. c. 20. n. 3.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

DE VETERI ET NOVO FOEDERE.

I. PRiusquam exhibeamus lectori quidquid docet S. Irenæus de utroque Testamento, optimum erit ea quæ respiciunt vetus Pactum in particulari primum exscribere; sunt autem quæ sequuntur. Primo Sanctus Doctor vehementer urget inutilitatem Circumcisionis, contenditque, non ad justitiam operandam illam datam fuisse, sed in signum, ut dignosceretur genus Abrahæ: *Quoniam autem*, inquit ille, *& circumcisionem non quasi consummatricem justitia, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abraha, ex ipsa Scriptura discimus*. Idipsum sentit de cæteris cæremoniis Legis: *in signo, ergo*, ait, *data sunt hæc*. Ex hoc autem non sequitur, omnes has cæremonias otiosas omnino fuisse, ac omni significatione vacuas: docet enim econtra S. Irenæus in symbolum fuisse a Deo institutas: sic circumcisio secundum carnem significabat spiritualem circumcisionem; sabbata autem æternam requiem edocebant, hoc est Regnum Dei, in quo requiescens homo ille, qui perseveraverit Deo adhærere, participabit de mensa Dei.

Inefficacia Circumcisionis, & aliarũ Cæremoniarũ Legis. Lib. 4. c. 16. n. 1.

II. Egregie probat S. Irenæus inutiles fuisse ac inefficaces cæremonias legis, si cum vera animarum justificatione comparentur, probat, inquam, exemplo omnium Sanctorum Patriarcharum, qui ad Abraham usque floruere; illi enim Deo crediderunt, & propriam salutem operati sunt absque circumcisione, cæterisque veteris Testamenti cæremoniis: *Et quia*, scribit Sanctus Doctor, *non per hæc justificabatur homo, sed in signa data sunt populo, ostendit quod ipso Abraham sine circumcisione, & sine observatione mandatorum credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam. Sed & Loth sine circumcisione, eductus est de Sodomis*. Item Deo placens Noe quum esset incircumcisus, *accepit mensuras mundi secunda generationis. Sed & Enoch sine circumcisione placens Deo, cum esset homo, legatione ad Angelos fungebatur, &c.* Validissimum est hoc momentum adversus eos, qui tuentur, Circumcisionem delevisse peccatum originis; & id quod docet Sanctus Doctor de inefficacia hujus cæremoniæ, aperte favet oppositæ opinioni. Quidquid tamen sit, non omnes Ecclesiæ Patres in hoc Divo Irenæo adstipulantur; & vetustiores tantum eodem pacto ac S. Irenæus locuti sunt. Verum Lectorem fortasse morabuntur hæc verba: *Sed & Enoch ... legatione ad Angelos fungebatur*, cum fortasse non deprehendat, quid significare

Sequitur idem argumentum. Ibid. n. 2.

Animadversio critica supra

voluerit Sanctus Doctor per hanc legationem Enoch ad Angelos. Si vero attendamus, Sanctum hunc Episcopum credidisse, quemadmodum crediderunt alii inter vetustiores Patres, Angelos Apostatas in terram decidisse in pœnam concubitus eorum cum filiabus hominum, nullo negotio conjiciemus, hoc loco docere S. Irenæum, quod Enoch ad hos Angelos apostatas tanquam Propheta missus est, ut pœnas nuntiaret, quæ ex Dei justitia illos manebant. Fabella autem hæc deprompta videtur a libro apocripho Enoch, ut egregie animadvertit Dominus Massuet. Ne alicui suboriatur dubium, num S. Irenæus, æque ac plerique veteres Patres, crediderit, Angelos prævaricatores decidisse in terram, addimus hic perspicua S. Doctoris verba, quæ ejus mentem aperte produnt: *Quoniam Angeli*, scribit ille eodem loco, ubi loquitur de Legatione Enoch, *quidem transgressi, deciderunt in terram in judicium*.

II. SÆCULUM. legatione Enoch ad Angelos.

III. Etsi videatur S. Irenæus parvipendere cæremonias veteris Testamenti prout veram justitiam respiciunt; docet nihilominus, Deum in hoc dilexisse populum Judæorum; typis quippe ac symbolis indigebat populus iste duræ cervicis, ne Idolis serviret, sed perseveraret in vero Dei cultu: *Per typos enim*, inquit Pater iste, *discebant timere Deum, & perseverare in obsequio ejus*. Addit insuper, quod Deus non solum insculpsit in cordibus hominum præcepta legis naturalis; sed ut cohiberet cupiditatem hebræorum, dedit etiam peculiaria quædam præcepta, & eorum observationem mandavit propter illorum duritiam, sicut ait in Evangelio Jesus Christus. (b) *Et non solum hoc*, inquit S. Irenæus, *sed & præcepta quædam a Moyse posita sunt eis, propter duritiam illorum, & quod nollent esse subjecti, manifestavit Dominus*. Ostendit deinde, mirum non esse, si hac usus sit indulgentia Deus erga Judæos, cum & nonnulla indulserint Apostoli Christianis propter quorumdam imbecillitatem. „ Si igitur, verba sunt S. Irenæi, & in novo Testamento, „ quædam præcepta secundum ignoscentiam Apostoli „ concedentes inveniuntur, propter quorumdam incontinentiam, ut non obdurati tales, in totum desperantes salutem suam, apostatæ fiant a Deo; non „ oportet mirari, si & in veteri Testamento idem „ Deus tale aliquid voluit fieri pro utilitate populi, „ illiciens eos per prædictas observationes, ut per eas „ saltem Decalogi observantes sint, & detenti ab eo, „ non reverterentur ad idololatriam, nec apostatæ fierent a Deo, sed toto corde discerent diligere „ eum. „

Typi utiles Judæis. Lib. 4. c. 16. n. 3.

IV. Id utilitatis habebant præcipue Judæi ex veteri Testamento, quod Patriarchæ & Prophetæ, qui etiam præsignaverunt fidem nostram, disseminaverunt quodam modo in terris, prout docet S. Irenæus, adventum Jesu Christi, ut inde possent facile eum suscipere. Et propter hoc sine dubitatione suasus Joseph ab Angelo, Mariam conjugem parituram filium, quem habebat in utero ex Spiritu Sancto, eamdem accepit. Propter hoc Eunuchus Reginæ Æthiopum, aliique, breviter Christum cognoverunt. Omnes isti, cum edocti essent per Prophetas de adventu ac omnibus circumstantiis Messiæ in Scripturis promissi, credebant statim ac deprehendebant per alicujus prædicationem, in Jesu Christo omnia vaticinia impleta fuisse; quemadmodum præstitit S. Philippus cum Eunucho, qui statim credidit, & baptizatus est (c). Verum plus laborabat qui in Gentes Apostolatum acceperat quam qui Judæis prædicabat Filium Dei: Sine Scripturis enim annuntiabatur Christus Gentibus, cum Prophetas ignorarent illi, nec recte bonum a malo secernerent, & eorum operationes plerumque malæ essent, & exterminatoriæ, & inutiles, & damnosæ. Insuper unum Deum colebant Judæi, Gentes vero colebant innumeros. Quapropter, concludit S. Irenæus, plus laborabant qui in Gentes prædicabant: *Generosior autem rursus fides Gentium ostenditur, sermonem Dei assequentium, sine instructione literarum*.

Conversio Judæorum minus difficilis conversione Gentium. Lib. 4. c. 23. n. 1. 2.

Cap. 21. num. 1. 2.

V. Verum licet tot occurrerent impedimenta, Jesus Christus in una eademque fide ac Religione Judæos & Gentes collegit. *Hic (Christus)*, inquit S. Irenæus, *in novissimis temporibus apparens, lapis summus angularis, in unum colligit & univit eos qui longe, & eos qui prope; hoc est circumcisionem & præputium, dilatans Japhet, & constituens eum in domo Sem*.

Unio duorum Populorum per Jesũ Christum. Lib. 3. c. 5. n. 3.

VI. Huic Capiti finem imponemus ea tradentes, in quibus conveniunt, & in quibus differunt duo Testamenta. Quoad primam partem docet S. Irenæus, quod licet peculiaria quædam præcepta in utroque habeantur, quæ utriusque sunt propria; tamen aliqua sunt

(a) Psal. 67. vers. 10.
(b) Matth. cap. 19. vers. 8
(c) Act. Apostol. cap. 8. vers. 38.

Præcepta communia utrique Testamentis. Lib. 4. c. 12. n. 3.

sunt utrique communia, quæ summa sunt ac præcipua, sine quibus salus obtineri nequit: *Qui (Deus)*, ait ille, *particularia quidem præcepta utrique (Testamentis) præcepit; sed eminentia & summa, sine quibus salvari non est, in utroque eadem suasit.* Dicendum igitur, Dilectionem Dei omni tempore fuisse necessariam ad salutem; nisi eam inter minima præcepta amandare velimus: quod sane fieri nequit, quin Jesum Christum insimulemus mendacii; de dilectione quippe Dei ait in Evangelio (*a*): *Hoc est primum, & maximum mandatum.*

Differentia inter duo Testamenta. Lib. 3. c. 18. n. 7.

VII. Quoad secundam partem, hoc est, in quibus differant duo Testamenta, animadvertit Sanctus Doctor in tertio Operis sui libro, quod lex vetus oneravit peccatorem, manifestavit peccatum absque eo quod interimeret illud, cum privilegium hoc reservatum esset gratiæ Servatoris: *Veniens autem lex, quæ data est per Moysen .... oneravit hominem qui habebat in se peccatum, reum mortis ostendens eum .... manifestavit tantummodo peccatum, non autem interemit ... oportebat enim eum qui inciperet occidere peccatum, & mortis reum occidere hominem, idipsum fieri, quod erat ille, id est hominem.* Et libro quarto Scribit:

Lib. 4. c. 9. n. 1.

Paterfamilias Dominus est, qui universæ domui paternæ dominatur, & servis quidem (Judæis) *& adhuc indisciplinatis condignam tradens legem; liberis autem* (Christianis) *& fide justificatis congruentia dans præcepta, & filiis adaperiens suam hæreditatem.* Nullo negotio hic deprehenditur discrimen inter filios utriusque Testamenti. Judæi sunt servi, quia timore ducuntur; filii sunt Christiani, quia ducuntur amore; hinc timor est Judæorum character, dilectio Christianorum. Absit autem quod quis ex his inferat, neminem in veteri Testamento salutem æternam esse assecutum: extiterunt enim etiam ante Incarnationem Christiani, hoc est inter Judæos Justi quidam extiterunt, qui dilectione in Deum, quæ est Christianæ Religionis veluti essentia, excelluere.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

DE ANIMA HOMINIS.

I. CErtum est, S. Irenæum credidisse animæ immortalitatem; difficile autem est determinare, num eam crediderit immortalem ex natura sua, ac si spiritualis ejusdem natura essentialiter immortalitatem includat, num vero immortalem tantum ex gratia, quemadmodum alii inter Veteres docuerunt. Antequam quæstionem hanc dirimamus operæ pretium erit ea afferre, quæ tradit ille de immortalitate animæ in seipsa. Probat igitur auctoritate Christi Jesu, non solum animas esse immortales, ac perseverare post præsentem vitam; verum etiam eas meminisse operum, quæ egerunt super terram sicuti constat ex historia Lazari & Divitis: *Plenissime autem Dominus docuit*, ait ille, *non solum perseverare .... animas, sed & .... meminisse eas operum quæ egerunt hic, & a quibus cessaverunt, in ea relatione quæ scribitur de Divite & Lazaro* (*b*). Et post pauca, recitato compendio ejusdem Historiæ, quam veram esse tuetur, ut suo loco innuimus, concludit hisce verbis:

Anima est immortalis, & post præsentem vitam reminiscitur operum quæ fecit. Lib. 2. c. 34. n. 1.

Per hæc enim manifeste declaratum est, & perseverare animas, & non de corpore in corpus transire, & habere hominis figuram, ut etiam cognoscantur. Postrema hæc verba, animas habere hominis figuram, ut etiam cognoscantur, subobscura sunt. Sed intelligenda fortasse erunt de quibusdam signis, quibus secerni possint a purissimis spiritibus, ab iis videlicet, qui corporibus copulari non debent. Vide Dominum Massuet in suis annotationibus, & in Dissertationibus, quas D. Irenæo præmittit.

Quomodo Anima sit immortalis. Ibid. n. 2.

II. Si quis vero dicat, scribit S. Irenæus, animas eas, quæ paulo ante esse cœperint, in multum temporis perseverare non posse, sed oportere eas aut innascibiles esse, ut sint immortales, aut si generationis initium acceperint, cum ipso corpore mori: discant, quoniam sine initio & sine fine, vere & semper idem, & eodem modo se habens, Solus est Deus. Quæ autem sunt ab illo omnia, quæcunque facta sunt, & fiunt, initium quidem suum accipiunt generationis, & per hoc inferiora sunt ab eo qui ea fecit, quoniam non sunt ingenita; perseverant autem, & extenduntur in longitudinem sæculorum, secundum voluntatem factoris Dei.

num. 3.

Quemadmodum enim; addit ipse, cœlum, firmamentum, & Sol, & Luna, & stellæ perseverant secundum voluntatem Dei, licet ante non essent; Sic & de animabus, & de spiritibus, & omnino de omnibus his quæ facta sunt, cogitans quis, minime peccabit: omnia quippe, quæ facta sunt, *initium quidem factura sua habent, perseverant autem quoad usque ea Deus & esse & perseverare voluerit* .... Non enim ex nobis, neque ex nostra natura vita est; sed secundum gratiam Dei datur ....

num. 4.

Sicut autem corpus animale, ipsum quidem non est anima, participatur autem animam, quoad usque Deus vult: sic & anima ipsa quidem non est vita, participatur autem a Deo sibi præstitam vitam. Unde & Propheticus sermo de Protoplasto ait (*c*): *Factus est in animam vivam*, docens nos quoniam secundum participationem vitæ vivens facta est anima: *Ita ut separatim quidem anima intelligatur, separatim autem vita. Deo itaque vitam & perpetuam perseverantiam donante, capit & animas primum non existentes, dehinc perseverare, cum eas Deus & esse, & subsistere voluerit. Principari enim debet in omnibus, & dominari voluntas Dei; reliqua autem omnia huic cedere, & subdita esse, & in servitium dedita.* Fateri oportet, S. Irenæum sublimia de Deo sensisse; at perperam ex his concluderet aliquis, animas essentialiter, & ex natura sua non esse immortales. Verum utique est, earum immortalitatem, Immo earum vitam, juxta Doctrinam S. Irenæi, pendere a voluntate Omnipotentis Dei; id autem in verissimo & orthodoxo sensu dictum est. Si attente perpendantur, quæ modo ex S. Irenæo exscripsi, vel perlegatur (si quis in fonte rem videre desiderat) integrum caput, ex quo ea sumpta sunt; aperte constabit, animæ immortalitatem, juxta hunc Sanctum Doctorem, pendere a voluntate Dei in eo solummodo sensu, quod Deus animam creavit: quod sane veritati æque ac rectæ rationi congruit. Anima non est immortalis ex natura sua, in hoc sensu, quod non vivit ex natura sua: anima vero non vivit ex natura sua, in hoc sensu, quod a semetipsa non habet vitam, sed a Deo eamdem habuit. Itaque, cum immortalitas supponat vitam, anima est immortalis eo modo quo vivit; vivit vero, ut dixi, solum ex voluntate Dei; ergo est immortalis ex voluntate Dei. Hac autem supposita voluntate, est essentialiter immortalis, Immortalis in reipsa, & ex natura sua, quia Deus naturam ei largitus est vivam essentialiter, ac immortalem. Hæc est germana, ut ego opinor, S. Irenæi mens; & absque ejus injuria asseri nequit, aliter eum sensisse de animæ immortalitate.

III. Ex superius allatis S. Irenæi verbis, animas videlicet ab uno in aliud corpus non migrare, necessario consequitur, Sanctum hunc Doctorem reprobare Metempsychosim, veluti errorem Evangelio oppositum, cum sententiam suam historia Lazari & Divitis comprobet. Nec auctoritate solum, verum etiam multiplici ratione erroris hujus absurditatem ac vanitatem ostendit.

Refutatio Metempsychosis. Lib. 2. c. 33. n. 1.

Qui Metempsychosim tuentur, (hæc est ejus Doctrinæ summa,) docent animas de corpore in corpus transmigrare, ut in omnibus operibus, bonis & malis, se exerceant. Si hoc verum esset, oporteret animas eorum meminisse quæ ante facta sunt, quam in secundum corpus venirent: experientia autem contrarium probat: ergo opinio Metempsychosis falsa est.

num. 2.

Plato utique cum nodum hunc solvere non posset, *oblivionis poculum* induxit, respondens, quoniam introeuntes animæ in hanc vitam, ab eo, qui est super introitum dæmone, priusquam in corpora intrent, potantur oblivione. At Sanctus Episcopus Platonem interrogat, undenam hoc sciat: *Hoc ipsum unde scis, o Plato? Si enim*, prosequitur ipse, *& poculum, & introitum reminiscaris, reliqua oportet cognoscas. Si autem illa ignoras .... Neque .... (verum) oblivionis poculum.* Adversus autem eos, qui dicebant, ipsum corpus esse oblivionis medicamentum, his verbis occurrit Sanctus Doctor:

num. 3.

Sed ne quidem ea, quæ olim agnita sunt aut per oculos, aut per auditum meminisset anima in corpore existens, si esset corpus oblivio; sed simul atque ab inspectis abesset oculus, auferretur utique & ea, quæ esset de his, memoria. Sed & Prophetæ ipsi, addit insuper, quum essent in terra, quæcumque spiritaliter secundum visiones cœlestium videbant, vel audiebant, ipsi quoque meminerunt in hominem conversi, & reliquis annuntiant.

Sequitur idem argumentum. num. 4.

IV. Docet deinde, quod cum anima dominetur in corpus, hoc illi oblivionis caussa esse non potest: idque probat momentis ex physica petitis, & concludit: Si itaque nullius præteritorum meminit, sed existentium scientiam hic percipit; non igitur in aliis corporibus fuit aliquando, neque egit quæ ne quidem agnoscit; neque novit, quæ quidem neque videt. *Quemadmo-*

(*a*) Matth. cap. 22. vers. 38.
(*b*) Luc. cap. 16.

(*c*) Genes. cap. 2. vers. 7.

II. Seculum.

madmodum, subjungit, *unusquisque nostrum suum corpus per artem Dei sumit, sic & suam habet animam; neque enim sic pauper, neque indigens Deus, ut non unicuique corpori propriam donaret animam, quemadmodum & proprium characterem.* „ Et sic, prosequitur „ Sanctus Doctor, adimpleto numero, quem ipse apud „ se ante definiit, omnes quicumque sunt scripti in „ vitam, resurgent, sua corpora, & suas habentes „ animas, & suos spiritus, in quibus placuerunt Deo. „ Qui autem pœna sunt digni, abibunt in eam, & „ ipsi suas habentes animas, & sua corpora, in qui- „ bus abstiterunt a Dei bonitate. Et cessabunt utri- „ que jam generare, & generari, & ducere uxorem, „ & nubere, ut commensurata multitudo ante præfini- „ ta a Deo generis humani perfectorum compago sive „ aptatio conservet Patris „; hoc est, ut sit inter ipsos perfecta similitudo ætatis, sexus, &c. *Ut hominum multitudo*, ut vertit Pater Halloix, *divina correspondens definitioni, jam consummata, Patris servet harmoniam.*

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

De Corporum Resurrectione.

Plato auctor Metempsychosis juxta S. Irenæum. Lib. 2. c. 33. n. 2.

I. O Miseram animadvertere capite superiore, S. Irænæum agnoscere Platonem, veluti auctorem opinionis de Metempsychosi: *Qui & primus*, scribit ille, de hoc Philosopho verba habens, *sententiam hanc introduxit*. In quo sane videtur Sanctus Episcopus recedere a sententia cæterorum Scriptorum Ecclesiasticorum æque ac profanorum, quorum aliqui, ut S. Epiphanius, & Lactantius, errorem hunc Pythagoræ tribuunt; alii vero, ut Plutarcus, Empedocli; alii tandem Zoroastro &c. qui omnes Platone sunt vetustiores. Quoad mortuorum Resurrectionem, de qua unice agimus in hoc capite, docet S. Irenæus, quod mortalia corpora nostra, quæ participaverunt justitiæ cum animabus nostris, obtinebunt refrigerii locum: quod sane fieri nequit absque resurrectione, & ex hoc concludit, quod Deus resuscitabit mortalia corpora nostra, *incorrupta & immortalia faciet. Deus enim*, ait ille, apte & ad rem, *melior est quam natura, habens apud semetipsum velle, quoniam bonus est; & posse, quoniam potens; & perficere, quoniam dives & perfectus est.*

Probatur corporum resurrectio. Lib. 2. c. 29. n. 2.

II. Docet alio loco S. Irenæus, auctoritate Apostoli, Deum per infirmitatem nostræ carnis ostendere gloriam & virtutem suam; additque, quod cum Deus creaverit corpora nostra, mirum non est si rursus eadem redintegret post dissolutionem: quin immo scribit, hoc secundum, si in seipso consideretur, & nulla habita ratione ad divinam omnipotentiam, cui omnia æque possibilia sunt, facilius esse, ac credibilius quam primum: *Et quidem*, ait ille, *multo difficilius, & incredibilius ex non existentibus ossibus, & nervis, & venis, & reliqua dispositione, hominem facere .... & quidem animalem, & rationalem, quam quod factum est, & deinde resolutum in terram, rursus redintegrare.* Tandem addit, quod si temporalis vita tantum potens est, ut vivificet nostra membra mortalia, potiori jure vita æterna eadem vivificabit: ex quo Resurrectionem carnis egregie deducit.

Sequitur idem argumentum. Lib. 3. c. 3. n. 1.

num. 2.

num. 3.

III. Alio pacto eamdem veritatem probat Sanctus Doctor. 1°. Ex Scriptura narrante, veteres Patriarchas septingentos, & octingentos, & nongentos annos esse supergressos. 2°. Exemplo Enoch & Eliæ, qui in plasmatis substantia in quemdam locum translati sunt, ut ibi maneant usque ad consummationem, coauspicantes incorruptelam: qui locus, juxta S. Irenæum, est Paradisus, in quo positus fuerat Adam: quam opinionem confirmat auctoritate Presbyterorum, qui fuerunt Apostolorum Discipuli. *In quem (Paradisum)*, ait insuper *& Paulus Apostolus adsportatus, audivit sermones inenarrabiles.* 3°. Historia Ananiæ, & Misaelis, quibus missis in caminum ignis septuplum exardentem, adfuit manus Dei, ut eis non noceret flamma; historia itidem Jonæ, qui in ventrem ceti absorptus, salvus iterum in terram projectus est jussu Dei. Ex quibus exemplis omnibus infert Sanctus Doctor, quod neque natura alicujus eorum quæ facta sunt, neque infirmitas carnis fortior erit super voluntatem Dei. „ Non enim Deus, inquit ille, bis quæ facta „ sunt, sed ea quæ facta sunt, subjecta sunt Deo, „ & omnia serviunt voluntati ejus. Quapropter & „ Dominus ait (a): quæ impossibilia sunt apud ho- „ mines, possibilia sunt apud Deum .... Hinc potest „ Deus suscitare nostra corpora, „ *Non tamen incredulitas talium* (qui impossibile id existimant), *evacuabit fidem Dei.*

Sequitur idem argumenti. Lib. 5. c. 5. n. 2.

IV. Aliis insuper momentis eamdem veritatem probat: & 1°. quidem, quia cum corpora nostra sint templum Spiritus Sancti, & membra Jesu Christi, juxta phrasim Apostoli (b), necessario sequitur, debere resurgere: *Templum igitur Dei*, inquit ille, *in quo Spiritus inhabitat Patris, & membra Christi, non participare salutem, sed in perditionem redigi dicere, quomodo non maxima est blasphemia?* 2°. quia Resurrectio Christi, & resurrectio in Scripturis nobis promissa non sinunt de hac veritate vel minimum dubitare. Quomodo igitur, adjungit Sanctus Episcopus, Christus in carnis substantia surrexit; sic & nos suscitabit per virtutem suam. 3°. quia dona Spiritus Sancti, quæ in hac vita recipimus, præparant nos ad incorruptelam, spiritualesque reddunt, & a carnalibus discernunt. 4°. quoad illud Apostoli (c): Caro & sanguis Regnum Dei possidere non possunt, quo testimonio abutebantur ejus ævi Hæretici, ut ostenderent, hominis corpus non debere resurgere; S. Irenæus docet, id intelligendum esse de illis hominibus, quos carnales appellat idem Apostolus, qui Spiritum Dei in se non habent, & qui reipsa a regno cœlorum excluduntur. Hinc ait, quod caro sine spiritu Dei mortua est, & regnum Dei possidere non potest, quia non habet vitam: ubi autem spiritus Patris, ibi homo vivens, qui reipsa Regnum Dei possidebit: Quibus omnibus hoc animadversione dignum addit, quod in statu gloriæ Spiritus Sanctus magis possidebit carnem, quam ipsa regnum cœlorum.

Sequitur idem argumenti. Lib. 5. c. 6. n. 2.

Cap. 7. num. 1.

Cap. 8. num. 1.

Cap. 9. num. 1.

Talis resurget Caro, qualis est in præsenti vita, suis exceptis infirmitatibus. Lib. 5. c. 12. n. 3.

V. His præmissis, aliisque simillimis meditationibus in supra allatum Divi Pauli oraculum, docet, quod resurgens caro substantiam suam non amittet, hoc est, eadem erit, ac fuit in præsenti vita, si concupiscentiam excipias, cæteraque infirmitates, quibus super terram degens subdebatur: *Non utique*, ait Sanctus Episcopus, *substantiam contemnebat* (Apostolus) *carnis, in eo quod dixerat: Spoliantes vos veterem hominem cum actibus suis; sed spoliationem pristinæ nostræ conversationis manifestavit, eam, quæ veterascit, & corrumpitur.* Hanc eamdem veritatem confirmat exemplo cæcorum, quos curavit Dominus: illi enim cæcitatem quidem amiserunt, perfectam autem receperunt substantiam oculorum, & iisdem ipsis, quibus ante non videbant oculis, recipiebant visionem, caligine a visione tantum exterminata, servata autem substantia oculorum.

num. 5.

Sequitur de Resurrectione. cap. 13. n. 1. & 2.

VI. Ostendit tandem idipsum ex mortuis, quos suscitavit Dominus in propriis corporibus & membris. Deinde iterum explicat illud Apostoli: Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: Hinc vanos, & vere infelices vocat Hæreticos, qui sic manifesta & clara nolentes conspicere, lumen veritatis fugiebant, semetipsos excæcantes: quia duas dictiones tollentes a Paulo, neque sensum Apostoli perspiciebant, neque virtutem dictionum scrutabantur; unde autem ipsas dictiones tenentes, circa eas moriebantur, universam dispositionem Dei, quantum in ipsis erat, evertentes. *Cogentur itaque*, tandem concludit, *hæc tanta, male interpretari, qui unum nolunt bene intelligere.* Hæc sunt notabiliora, quæ de resurrectione offendi in S. Irenæo.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De Antichristo, et Regno millenario.

Animadversio super opiniones peculiares S. Irenæi.

I. IN hoc postremo S. Irenæi articulo ea desideratur perspicuitas, immo ea etiam incorrupta Ecclesiæ Doctrina, quam in superioribus circa Dogma articulis satis mirari non possumus. Hinc a veri specie minime aberit qui asserat, coruscantem hunc Gallorum Solem, in sua præcipue de millenario Regno sententia, aliquantulum defecisse. Nemo autem credat, ex erroribus hujusmodi vel tantillum decrescere venerabilem ejus auctoritatem. Insigni huic viro neminem æqui bonique amatorem veniam detrectare velle confido. Propter summam enim venerationem, qua prosequebatur doctrinam Apostolorum, quos hujus opinionis patronos autumabat, eidem nomen dedit, ut ego opinor, ac tam acriter propugnavit, ut in obsequium fidei proprium intellectum captivaret, licet fortasse oppositum in particulari ipse sentiret. Verum rem propius aggrediamur.

II. De

(a) Luc. cap. 18. vers. 27.
(b) I. ad Corinth. cap. 3. vers. 16.
(c) I. ad Corinth. cap. 15. vers. 50.

II. SÆCULUM.

Iniquitas Antichristi. Lib. 5. c. 29. n. 2.

II. De Antichristo hæc docet S. Irenæus: *Et propter hoc in bestia veniente recapitulatio fit universæ iniquitatis, & omnis doli, ut in ea confluens & conclusa omnis virtus apostatica, in caminum mittatur ignis.* Hoc sane verissimum est. Non est autem æque verum quod scribit idem Pater de loco, in quo impius ille sedebit; ait enim: *In quo (templo Jerusalem) adversarius sedebit, tentans seipsum Christum ostendere.*

Sedes Antichristi juxta S. Irenæum. c. 25. n. 2.

Verum utique est, S. Irenæum id comprobare ex Matthæi Evangelio, in quo Jesus Christus loquens de abominatione desolationis, ait, quod illa erit in loco Sancto justa Danielis vaticinium: *Stantem in loco Sancto* (a). Nulla autem urget necessitas, ut hunc Matthæi locum intelligamus de fine mundi; cum aliis temporibus hæc abominationis desolatio potuerit perfecte compleri. Eruitur hoc ex historia primi seculi Ecclesiæ; insuper & ex iis quæ narrat Joseph de profanatione Templi, ab iis quos zelatores appellat perpetrata. Quicunque non ignorat quæ Hierosolymis perpetrata sint diebus illis, sacrilegia, violentias, crudelitates, quibus Templum ipsum violarunt; quicunque, inquam, portentosa ac inaudita hæc facinora non ignorat, optime deprehendet, peculiaris hujus vaticinii solutionem necessario non esse referendam ad Antichristi ætatem. Hæc animadvertere volui, non ut reprobarem absolute opinionem S. Irenæi, sed ut Lectorem monerem, articulum hunc non esse fidei Dogma, nec adeo Scripturarum auctoritati inniti, quemadmodum S. Irenæus sibi persuasit. Nec quidquam negotii facessit, quod S. Hilarius, S. Ambrosius, aliique inter Ecclesiæ Patres huic opinioni subscribant: etenim etiamsi plures Scriptores Ecclesiastici propugnent opinionem Millenariorum, eam nihilominus ut falsam rejicimus, Ecclesiæ exemplum hac in re præ oculis habentes, quæ eamdem opinionem, tot Scriptorum Ecclesiasticorum auctoritate suffultam, ut falsam reprobare non detrectavit.

Perduratio Regni Antichristi. n. 3. 4.

III. Infirmis æque momentis innititur quod tradit S. Irenæus de tempore, quo Antichristi regnum perdurabit. *Per triennium*, ait ille, *& sex menses regnabit super terram.* Idque probat duobus vel tribus Danielis, quæ ad rem non faciunt, testimoniis, & præcipue his ejusdem Prophetæ verbis: *Et in medio hebdomadis tolletur sacrificium, & libatio &c.* (b): per medium vero hebdomadis intelligit ille tres annos cum dimidio, quo temporis spatio, prout docet ipse, Antichristi regnum perdurare debet: *Dimidium autem hebdomadis*, sunt ejus verba, *tres sunt anni, & menses sex.* Neminem autem latet, hunc Danielis locum, quo validiorem nullum profert in suæ opinionis confirmationem Sanctus Doctor, intelligi debere de abrogatione Legis Judaicæ per cruentum Crucis sacrificium: in quo sensu oraculum illud explicant Theologi æque ac Ecclesiæ Patres, immo & ipse, ni fallor, Sanctus Irenæus.

Conjectura S. Irenæi supra nomen Antichristi. c. 30. n. 3.

IV. Idem ferendum est judicium de Sancto hoc Doctore, quando proprium Antichristi nomen contineri scribit in numero sexcentum sexaginta sex, quo numero nomen Antichristi conflatur: *Cum igitur*, inquit ille, te bene perpensa, *tantum suspicionem habeat hoc nomen, Titan, tamen habet verisimilitudinem, ut ex multis colligamus, ne forte Titan vocetur, qui veniet.* Hanc vero opinionem, ut simplicem conjecturam proponit, & nihil certi in hac re definit, cum in Scripturis altum de hoc habeatur silentium. „Nos tamen, inquit ille, non periclitabimur in eo, nec asseverantes pronuntiabimus, hoc eum nomen habiturum: scientes, quoniam si oporteret manifeste præsenti tempore præconari nomen ejus, per ipsum utique edituro fuisset, qui & Apocalypsim viderat.„ Notabile quidem exemplum moderationis ac modestiæ, quod imitari oportet, si quando id in controversiam vocetur, quod certitudine caret. Ex hoc autem exemplo deprehendimus, ex præcipiti quadam inconsiderantia alias controversias huic similes S. Irenæum dirimere non consuevisse. Sane aliter a nobis in illis circumstantiis sentiebat, nec ab hujusmodi sapienti ac prudenti regula recessisset S. Irenæus, quam ipse præscripsit, nisi tamquam certum habuisset, se a Scripturis & Traditione momenta elicuisse, quibus opiniones suas confirmabat.

Perduratio Mundi juxta S. Irenæum. c. 28. n. 3.

V. Antequam de Regno Mille annorum disseramus, afferenda sunt quæ docet Sanctus Doctor de perduratione Mundi. *Si enim*, scribit ille, *dies Domini quasi mille anni, in sex autem diebus consummata sunt quæ facta sunt: manifestum est, quoniam consummatio ipsorum sextus millesimus annus est.* Quotquot enim diebus, dixerat paulo supra, hic factus est mundus, tot & millenis annis consummatur. Hoc posito principio, argumentum Sancti Episcopi concludit. Verum cuinam fundamento principium hoc innititur? Si totum percurras Caput, ex quo allata verba excerpsimus, cuidam Geneseos testimonio haud recte intellecto illud inniti deprehendes. Quæ sane nequaquam opinatus esset S. Irenæus, si figuras & allegorias minus in deliciis habuisset.

Error S. Irenæi super statum Animarum ante universalem Resurrectionem. c. 31. n. 2.

VI. Errorem mille annorum præcedit error de loco, in quem abibunt animæ mortuorum, & commorabuntur usque in diem extremi judicii. S. Irenæus docet, quod sicuti Jesus Christus post mortem descendit ad inferos, (Limbum Sanctorum Patrum;) eodem pacto & animæ nostræ a corporibus per mortem separatæ ibidem descendent, ac commorabuntur usque ad resurrectionem universæ carnis, ut postea in cœlum collocentur beatifica Dei visione fruituræ. *Cum enim Dominus*, ait ille, *in medio umbræ mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexit, & post resurrectionem assumptus est ... manifestum est quia & discipulorum ejus ... abibunt animæ in invisibilem locum definitum eis a Deo, & ibi usque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem; post recipientes corpora & perfecte resurgentes, hoc est corporaliter ... sic venient ad conspectum Dei.* Manifestum hunc errorem jam damnavit Ecclesia. Verum tamen est, non hujus erroris parentem fuisse S. Irenæum, cum ante illum alii inter Veteres eumdem errorem propugnaverint, sicuti & opinionem de regno mille annorum. Id autem singulare hac in re deprehenditur in S. Irenæo, quod errorem hunc veluti fidei articulum tuetur, hæresique notam inurit oppositæ opinioni, quæ cæteroquin est vera & germana Ecclesiæ sententia. At satis luminis in hac materia tunc temporis non affulgebat, nec nisi temporis decursu quid sentiendum sit definitum fuit.

Felicitas Regni mille annorum. c. 33. n. 1.

VII. Quoad Regnum mille annorum, nullum non movet lapidem Sanctus Doctor, ut plenissimam fidem eidem conciliet. Opinionem suam oraculis veteris novique Testamenti confirmat; quæ quidem oracula cum superius innuerim, unice afferam aliqua loca Sancti Doctoris, ex quibus ejus mens quoad voluptates ac delicias Regni mille annorum manifeste deprehenditur. Itaque in hæc verba Salvatoris: Dico autem vobis: amodo non bibam de genimine vitis hujus, usque in diem illum, quando illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei, (c) hæc habet: Jesus Christus promittit bibere de generatione vitis cum suis Discipulis, utrumque ostendens, & hæreditatem terræ, in qua bibitur nova generatio vitis; & carnalem resurrectionem discipulorum ejus: *Quæ enim nova resurgit caro, ipsa est quæ & novum percipit poculum. Neque rursus, addit ille, sine carne sunt, qui bibunt illud: carnis enim proprium est, & non spiritus, qui ex vite accipitur potus.* Hinc eruitur, sensibiles fuisse, ac corporeas voluptates, quas expectabant Millenarii. S. Irenæus idipsum confirmare satagit iis Servatoris nostri verbis, quibus centuplum promittit in hoc sæculo pro eleemosynis pauperibus propter illum erogatis; (d) *num. 2.* Quæ enim, inquit ille, sunt in hoc sæculo centupla, & prandia exhibita pauperibus, & cœnæ quæ redduntur? Hæc sunt in Regni temporibus, hoc est, in septima die, quæ est sanctificata ... quæ est verum justorum sabbatum, in qua non facient omne terrenum opus: *Sed adjacentem habebunt paratam mensam a Deo, pascentem eos epulis omnibus.*

Fabella Papiæ circa idem argumentum. Ibid. n. 3.

VIII. Ut opinionem hanc confirmet iterum Sanctus Doctor, in medium affert quæ ante ipsum docuerat Papias de felicitate imaginarii hujus Regni, eumque sic loquentem perhibet: Venient dies, in quibus vineæ nascentur, singulæ decem millia palmitum habentes, & in uno palmite dena millia brachiorum, & in uno quoque palmite dena millia flagellorum, & in unoquoque flagello dena millia botruum, & in unoquoque botro dena millia acinorum, & unumquodque acinum expressum dabit vigintiquinque metretas vini. Et quum eorum apprehenderit aliquis Sanctorum Patrum, alius clamabit: (veluti ex æmulatione) botrus ego melior sum, me sume, per me Dominum benedic. *Hæc autem*, inquit S. Irenæus, *Papias, Joannis auditor, Polycarpi autem contubernalis, vetus homo, per scripturam testimonium perhibet in quarto librorum suorum; sunt enim illi libri quinque compositi.* Verum non constat, a quonam fabellam hanc didicerit Papias; nisi dicere velimus, aut ab aliquo libro apocrypho eam eruisse, aut nimis crassa minerva ea intellexisse, quæ de beatitudine futuri sæculi Apostoli eum docuerunt. Nec mirum alicui id videatur; cum enim fuisse

(a) Matth. cap. 24. vers. 15.
(b) Cap. 11. vers. 27.
(c) Matth. cap. 26. v. 29.
(d) Matth. cap. 19. v. 29.

II. SÆCULUM.

fuisse mediocris ingenii virum testatur Eusebius, qui ejusdem opera, temporis injuria deperdita, perlegerat. Quidquid tamen sit, S. Irenæus hanc opinionem, veluti in Traditione Divina & Apostolica fundatam, tuetur; ait enim, Papiam hanc didicisse a D. Joanne. Joannem vero ab ipso Domino: *Quemadmodum Presbyteri meminerunt, qui Joannem Discipulum Domini viderunt, audisse se ab eo, quemadmodum de temporibus illis docebat Dominus, & dicebat: Venient dies, &c.*

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

I. PAucis disserit S. Irenæus de Christianis moribus, cum semper contra Hæreticos dimicaverit, qui impugnabant præcipue Dogmaticas veritates. Nihilominus, quæ de moribus scripsit Sanctus Doctor, etsi pauca, subjicere hic non detrecto. Primo igitur loco, ut probet S. Irenæus, fidem Abrahæ reputatam fuisse illi ad justitiam, ait, fidem, quæ est ad Deum, justificare hominem: *Fides enim, quæ est ad Deum altissimum, justificat hominem.*

Efficacia Fidei. Lib. 4. c. 5. n. 5.

II. Secundus articulus de Moribus respicit opera, quæ diebus Sabbati exercere permissum est; Sanctus Doctor auctoritate & exemplo Jesu Christi manifeste asserit; permissum esse Christianis bona opera exercere sanctis hisce diebus, & Charitatis exercitiis vacare: idque ex eo probat, quod Sacerdotibus ea ipsa Lege licitum est propria ministeria diebus illis perficere: At omnes justi sunt Sacerdotes, ut inquit ille: *Omnes enim justi sacerdotalem habent ordinem*: quod quidem intelligi nequit, nisi de Sacerdotio morali & spirituali, quo Deo offertur sacrificium vitæ immaculatæ & christianæ: igitur ipsis liceat, diebus etiam Sabbati, justitiæ & charitatis opera, quæ eorum Sacerdotio conveniunt exercere. In textu græco pro ly: *Omnes justi, &c.* legitur, *Omnis Rex justus, &c.* πᾶς βασιλεὺς δίκαιος; quæ sane verba hujus loci sensum contrahunt: at æque certum est, omnes justos esse Sacerdotes in eo sensu, quem supra innuimus; & per consequens habere jus perficiendi propria ministeria; hoc est, peragendi opera justitiæ & charitatis, iisdem etiam diebus Divino cultui præcipue sacris, & oppositum sentire, est scrupulus Judæorum.

Permissum est exercere opera Charitatis diebus Sabbati. Ibid. c. 8. n. 3.

III. Multam præstat ædificationem quod docet S. Irenæus de libertate Christiana. Inter cætera docet quod Jesus Christus liberavit nos utique a servitute & jugo legis, non ut libertate hac abutentes ab eo recedamus, debitam obedientiam ei denegantes; sed e contra ut eum eo magis diligamus, quo pluribus coelestibus gratiis cumulamur: *Non enim propter hoc liberavit nos, ut ab eo abscedamus... sed ut plus gratiam ejus adepti, plus eum diligamus.* Hinc alibi asserit, quod etsi Deus nos liberaverit ab observandis cæremoniis legis, quæ vere & proprie Judæis unice conveniunt; non ideo tamen nos liberavit a præceptis legis naturæ, quæ auxit & dilatavit: *Hæc ergo*, inquit S. Irenæus, *quæ in servitutem & in signum data sunt illis (Judæis) circumscripsit novo libertatis testamento; quæ autem naturalia, liberalia, & communia omnium, auxit & dilatavit.* Eruitur necessitas diligendi Deum ex modo dictis, cum dilectio ista fundetur in lege naturali; hæc siquidem convenit creaturis liberis, & omnes adstringit in genere homines, præcipue vero Christianos; qui utpote filii Dei, & præcipua libertate a Domino donati, majori eum prosequi dilectione tenentur. Tandem Sanctus Episcopus confirmata hac Doctrina auctoritate Evangelii, concludit, quod non solum factorum reddemus rationem Deo, ut servi, sed etiam sermonum, & cogitationum, tamquam qui & libertatis potestatem accepetimus: *In qua, (libertate)* inquit ille, *magis probatur homo, si revereatur, & timeat, & diligat Dominum.* In reverentia igitur, timore ac dilectione Libertas Christiana consistit: quidquid hisce notionibus oppositum est, tanquam falsum & extraneum rejici debet.

Libertas Christiana. Lib. 4. c. 13. n. 2. & 3.

Cap. 6. num. 5.

IV. Dilectio itaque essentialis est Religionis Christianæ, quam si quis non habeat, verus Christianus prædicari non potest: non liberavit nos, dicam iterum, a præcepto dilectionis Salvator; *Sed hoc ipsum renovavit suis discipulis, jubens eis Deum diligere ex toto corde.* „ Et Paulus (addit S. Irenæus), adimpletio, inquit, legis, dilectio: & omnibus cæteris „ evacuatis, manere fidem, spem, dilectionem; majorem autem esse omnium dilectionem: & neque „ agnitionem sine dilectione, quæ est erga Deum, „ præstare aliquid; neque mysteriorum comprehensionem, neque fidem, neque prophetiam: *Sed omnia vacua, & frustra esse sine dilectione*: dilectionem „ vero perficere perfectum hominem; & eum qui diligit Deum esse perfectum, & in hoc ævo, & in „ futuro „: *Nunquam enim*, prosequitur semper Sanctus Doctor, *desinimus diligentes Deum; sed quanto plus eum intuiti fuerimus, tanto plus eum diligimus.*

Necessitas & excellentia Charitatis, sive Amoris Dei. Lib. 4. c. 12. n. 2.

V. Docet alio loco S. Irenæus, quod intuentes Dei benignitatem ac misericordiam, debemus semper grati existere Domino, cognoscere quoniam mortales & infirmi sumus, ac sine inflatione & jactantia, sed in ejus dilectione & subjectione manere. Nec minus necessarium est quod de tribulationibus tradit, cum per illas necessario transire debeant illi omnes, quos Deus prædestinavit: *Tribulatio*, inquit Sanctus Episcopus, *necessaria est his qui salvantur, ut quodammodo contriti & attenuati & conspersi per patientiam, verbo Dei & ignis, apti sint ad convivium Regis.*

Considerantes Dei bonitatē, humiles effici debemus. Lib. 5. cap. 20.

Necessitas Tribulationum. Lib. 5. c. 28. n. 4.

VI. Loquens S. Irenæus de fine quem sibi proposuit Deus in constituendis terræ principibus, ait, quod ad utilitatem gentium terrenum regnum positum est a Deo, ut timentes Regnum hominum non se alterutrum homines vice piscium consumant, sed per legum positionem repercutiant multiplicem gentilium injustitiam: *& secundum hoc*, prosequitur idem Sanctus Doctor, *ministri Dei sunt, qui tributum exigunt a nobis, in hoc ipsum servientes.* Docet deinde, quod quæ sunt Potestates, a Deo ordinatæ sunt: *cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu & Reges constituuntur.* Quomodo autem hæ Potestates Deo deserviant, hisce verbis significat: „ Quidam enim, ait ille, illorum (Re„ gum) ad correptionem & utilitatem subjectorum „ dantur, & conservationem justitiæ: quidam autem „ ad timorem, & poenam, & increpationem: quidam „ autem ad illusionem, & contumeliam, & super„ biam, quemadmodum & digni sunt, Dei justo ju„ dicio „.

Dei scopus in constituendis terræ Principibus. Lib. 5. c. 24. n. 2.

Ex quo eruatur Regū auctoritas. Lib. 5. c. 24. n. 3.

VII. Utile summopere est quidquid scribit S. Irenæus de summa prudentia, qua opus est, cum de Mysteriis Religionis agitur. Docet igitur, quod cedere talia debemus Deo, qui & nos fecit, rectissime scientes, quia Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe a Deo verbo, & spiritu ejus dictæ. Ostendit deinde, mirum non esse, si sublimia hæc ignoramus, dum multa in terris sunt, quæ fugiunt nostram scientiam: *Et non est mirum, si in spiritualibus & cœlestibus, & in his quæ habent revelari, hoc patimur nos; quandoquidem etiam eorum quæ ante pedes sunt .... multa fugerunt nostram scientiam, & Deo hæc ipsa committimus.* Hinc dicit, exempli gratia, quod nos ignoramus caussam ascensionis Nili; nec non volatilium animalium habitationem autumni tempore, tandem veram caussam accessus & recessus maris, pluviæ, coruscationum, ac tonitruum &c. „ In his omnibus, verba sunt S. Ire„ næi, nos quidem loquaces erimus, requirentes caus„ sas eorum: *qui autem ea facit solus Deus veridicus* „ *est*. Si ergo & in rebus creaturæ quædam quidem „ eorum adjacent Deo, quædam autem & in nostram „ venerunt scientiam; quid mali est, si & eorum, „ quæ in Scripturis requiruntur, quædam quidem ab„ solvimus secundum gratiam Dei, quædam autem „ commendamus Deo; & non solum in hoc sæculo, „ sed & in futuro: ut semper quidem Deus doceat, „ homo autem semper discat quæ sunt a Deo „ &c. Inter veritates Religionis, quas omnis scrutari vetat S. Irenæus, habentur Generatio æterna Verbi, Prædestinatio ac Reprobatio, dies & hora postremi adventus Jesu Christi. Vult siquidem, ut in his aliisque id genus cum Apostolo clamemus: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus (a)! *In his aliisque id genus exclamavit Apostolus: O altitudo! &c.* Humiliamini igitur ad hoc exemplum vos omnes, qui de Mysteriorum intelligentia gloriari non desistitis, ac vestram cohibete temeritatem, qui Majestatem Dei, ejusque Sanctuarium scrutari audetis. Si veritates hujusmodi in praxim deducerentur, nec contenderent homines id explicare in Mysteriis, intelligere, illustrare, quod appellatur *quomodo*; forrasse non abundaret scholastica subtilitas; non ideo vero deessent veri Theologi, ac veri Catholici; semper enim verum erit, quod *Scrutator Majestatis opprimetur a gloria*.

Prudentia opus est cū de Mysteriis agitur. Lib. 2. c. 28. n. 2.

Lib. 2. c. 10. n. 3.

VIII. Hujusmodi hominibus ea adaptari commode possunt, quæ Sanctus ipse Irenæus ejusdem generis viris dicebat: *Ordinem ergo serva tuæ scientiæ, & ne... supertranscendas ipsum Deum: non enim transibilis est, ... non enim excogitabis, sed tonetu naturam sentiens, eris insipiens; & si in hoc perseveraveris, incides*

Adversus immoderatum desiderium perscrutādi sublimia. Lib. 2. c. 25. n. 4.

(a) Ad Rom. cap. 11. vers. 33.

II. SÆCULUM.

dat in insaniam, sublimiorem seipsum fallere suo existimans, & quod pertransseas regna ejus . . . . Melius est ergo & utilius, ut infra docet S. Irenæus, idiotas, & parum scientes existere, & per charitatem proximum fieri Deo, quam putare multum scire, & per hujusmodi scientiam inflatos excidere a dilectione, quæ hominem vivificat: quibus sane verbis non damnat Sanctus Doctor veram, humilem & temperatam veræ Theologiæ scientiam; sed unice scientiam vanam, quæ inflat potius quam ædificet.

Cap. 26. num. 1.

IX. Et hæc dicta sint satis de Doctrina Sancti Lugdunensis Episcopi. Pro coronide vero unum vel duo historica loca addamus, quæ in ejus Opere occurrunt. Narrat itaque, S. Matthæum Evangelium suum hebraicis litteris exarasse tunc temporis, *Cum Petrus & Paulus Romæ evangelizarent, & fundarent Ecclesiam*. Ex quo clarissime constat, S. Irenæum agnovisse duos hos Apostolos tamquam Doctores, & fundatores Romanæ Ecclesiæ contra deliramenta Hæreticorum nostrorum temporum. Quod attinet vero ad Divum Marcum, vult S. Irenæus, hunc conscripsisse suum Evangelium post mortem duorum illorum Apostolorum: *Post vero horum excessum* μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον, *Marcus Discipulus & interpres Petri, & ipse quæ a Petro enunciata erant, per scripta nobis tradidit*. Difficillime conciliari invicem possint circa hoc tempus S. Irenæus cæterique Patres: opinor autem posse nos hic recedere a S. Irenæo, ut cæteris inhæreamus Ecclesiæ Patribus, qui accuratiores hac super re videntur. Nihil notabile adinvenitur in Sancto Doctore de Evangelio Divi Lucæ; De Sancto Joanne autem scribit, suo Evangelio manum admovisse Sanctum Apostolum, dum Ephesiorum urbem incoleret.

Evangelium S. Matthæi quonam tempore conscriptum. Lib. 3. c. 1. n. 1.

Evangelium Sancti Marci quonam tempore conscriptum. Ibid.

DO-

DOCTRINA SANCTI CLEMENTIS

PRESBYTERI, ET CATECHISTÆ ALEXANDRINI.

QUÆSTIONES PRÆMITTENDÆ.

I. PLurima conscripsit S. Clemens Alexandrinus, quorum maximam partem lugemus deperditam. Operum hujus Patris hunc Catalogum ex Eusebio ac Divo Hieronymo habemus: Octo libri Stromatum; octo libri Hypotyposeon, seu Instructionum; una ad Gentes Cohortatio; tres libri, quorum titulus est Pædagogus, alter cui titulus: qui Dives salvetur; Tractatus de Paschate; alter de Jejunio, alter de Detractione; Cohortatio ad patientiam, quæ Neophitis inscribitur: liber cui titulus: Regula Ecclesiastica contra Judæos. Dominus Dupinius hoc loco animadvertit (1), Eusebium, ac Divum Hieronymum, in catalogo Operum S. Clementis omisisse duos Tractatus, quorum se Auctorem prodit Sanctus Clemens in iis quæ ad nos pervenerunt Operibus suis. Primus est liber quidam de Continentia, de quo loquitur in libro secundo Pædagogi; Cap. 10. secundus vero est quidam Tractatus de Matrimonio, cujus meminit in tertio libro Cap. 8. ejusdem Pædagogi. Promittit insuper Sanctus idem Presbyter in primo & secundo libro, Cap. 6. Tractatum de Resurrectione; & in suis Stromatis spondet Commentaria in Genesim; quæ Cap. 10. quidem Dominus Dupinius non animadvertit. Nullibi autem eruimus, S. Clementem promissis stetisse, & nullus inter Ecclesiasticos Scriptores de hoc Tractatu loquitur.

II. Ex omnibus his pretiosis Vetustatis monumentis, unice supersunt Cohortatio ad Gentes, tres libri Pædagogi, octo libri Stromatum, & Tractatus, qui inscribitur: qui dives salvetur. Tractatum hunc omni sua parte absolutum Usserio debemus, cum fragmentum solummodo notabile quidem ejusdem Tractatus extaret in Eusebio (2). Desideratur fragmentum hoc in omnibus S. Clementis editionibus: extat vero in Bibliotheca Patrum (3). Nonnulli illud Origeni adjudicarunt, eo quod extet ad calcem ejus Operum in exemplaribus Vaticani; consultius autem est hac in re adhærere Eusebio, Anastasio Synaitæ, aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis, qui illud citant sub nomine S. Clementis Alexandrini; præcipue cum veterum nemo illud Origeni adscribat.

III. Eusebius, ac Sanctus Hieronymus videntur plurimi facere tum Sanctum Clementem, tum ejus Scripta. Eusebius (4) eum discipulum dicit Panteni, qui sub Commodo Imperatore florebat, cujus doctrina ac scientia totam occupabat Alexandriam. Eum celeberrimum vocat non tantum apud Alexandrinos, sed & in universo mundo, & per sæcula omnia. Commendat præsertim ejus Stromata, in iisque perfectam veræ ac divinæ Philosophiæ scientiam miratur. Divus Hieronymus cum eadem ferme de Sancto hoc Presbytero dixerit, ejus scripta hisce verbis concelebrat (5): *Feruntur ejus (Clementis) insignia volumina, plenaque eruditionis & eloquentiæ, tam de divinis Scripturis, quam de sæcularis litteraturæ instrumento*. Et alio loco (6) declarat, S. Clementem esse omnium Scriptorum Ecclesiasticorum eruditissimum: *Clemens Alexandrinus ...... meo judicio omnium eruditissimus*.

IV. Omnigena licet eruditione clarus S. Clemens, nunquam tamen elatus est, & humilitatis suæ haud dubium specimen perhibet in primo Stromatum libro, ubi Doctrinam omnem, ac scientiam qua pollebat, a Panteno præceptore suo se recepisse fatetur. Quin immo asserit plus operis contulisse Pantenum in illis concinnandis libris, quos ipse conscripsit, & nullis inanis gloriæ stimulis excitari se ut publici juris illos faciat, sed e contra unice id intendere, atque in id operam locare suam, ut impediat, quominus temporis injuria in Christianorum perniciem egregiæ illæ oblivioni mandentur veritates, quas a Præceptore suo didicerat. Nec dicere erubescit, inanem umbram ac vanum scientiæ phantasma in veritatis conspectum esse sua scripta, si cum profunda sui Præceptoris scientia, ac mirabili prorsus doctrina comparentur. Illud vero præcipue commendat in Panteno, quod puram doceret Traditionem, easque veritates, quas ab aliis didicerat Sanctis Viris, quibus a Discipulis Apostolorum traditæ fuerant.

V. Quodnam de Operibus S. Clementis efformandum sit judicium, paucis accipe. Prodigiosa quædam ubique elucet eruditio non solum quando de Religione est sermo, verum etiam quando sæcularem litteraturam pertractat, quemadmodum Eusebii auctoritate superius innuimus; Rectum ratiocinium, ac singulare criterium in illo mirari fas est. Eleganti stylo utitur ipse in Cohortatione ad Gentes, & tribus Pædagogi libris; inconcinno autem in Stromatis, prout & ipse non uno monet in loco. Nescio quid sibi velit Dominus Dupinius, cum hunc, Philosophum magis quam Theologum fuisse scribit: Theologus quippe primis Ecclesiæ sæculis is habebatur, qui Scripturam, variosque ejus sensus probe callebat, necnon accommodare noverat ejus oracula iis argumentis quæ pertractabat: Sed Dominus Dupinius fatetur hac scientia S. Clementem excelluisse; & ex ea ejus Operum lectione clare dignoscitur, neminem inter Ecclesiasticos Scriptores in hac parte eum exæquasse. Insuper Traditionem perfecte tenebat, utpote Discipulus Panteni, qui huic studio operam suam navaverat, ac præ cæteris in deliciis habuerat: quid igitur S. Cle-

(1) Tom. I. Biblioth. pag. 213.
(2) Lib. 3. Hist. Eccles. cap. 23.
(3) Tom. III. pag. 228. 229. &c.
(4) Lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap. 11.
(5) Catalog. Scriptor. Ecclesiast.
(6) Epistola ad Magnum.

II.&III. SÆCULUM.

S. Clementi deesse poterat, quin optimus Theologus haberetur? Verum utique est, excellere eum magis cum de moribus disserit, quam cum Dogmaticas docet veritates: verum animadvertere oportet, frequentius de illis, quam de istis disserendi illi se præbuisse occasionem. Si tres excipias Pædagogi libros, ac Tractatum, Qui dives salvetur, in quibus peculiari quadam ratione Moralis ejus scientia refulget; in cæteris innumera coacervat, quæ leviter tantum attingit; & si de aliqua hæresi, aut catholica aliqua veritate sermo incidit, obiter de iis loquitur, nec multum operis impendit in veritatibus illis confirmandis, aut erroribus convellendis. Id unum in S. Clemente Alexandrino desiderandum esset, quod æque in Critica excelleret, ac in recta ratiocinandi methodo emineret. Apocriphorum librorum doctrinis nullam præstitisset fidem, si in id incubuisset, ut verum a falso secerneret.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA.

ETsi S. Clemens ad instar multorum Patrum, qui ante & post ipsum floruerunt, operam suam non locaverit in convellendis quibusdam hæresibus, iisque oppositis veritatibus ex professo constabiliendis; occurrunt nihilominus in ejus scriptis, & præcipue in Stromatis, innumera loca, quæ Dogma respiciunt ac probe tuentur; ita ut Scriptorum Ecclesiasticorum nemo ante ipsum majori sive perspicuitate, sive diligentia de quibusdam Theologicis veritatibus disseruerit. Ab his exordiamur testimoniis, quæ Dogma respiciunt, & ordinem in S. Irenæo servatum sequemur. Parisiensi editione anni 1641. usi sumus, cum melior occurrerit nulla, licet innumeris, Typographorum incuria, scateat erroribus. Recentior prodiit anno 1715. Oxonii editio, quæ cæteris præstantior est.

CAPUT PRIMUM.

DE SACRA SCRIPTURA.

[E]logium S. Scripturæ in genere. Cohort. ad Gent. p. 50.

I. POnimus primo loco Scripturæ elogium a Sancto hoc Presbytero exaratum in sua ad Gentes Cohortatione; in qua hæc leguntur: *Divina autem Scriptura ...* (sacros libros hoc nomine appellat) *nuda a verborum fucis & ornamentis, blanditiisque & illecebris, hominem a vitiis jam suffocatum suscitant, casus eorum, quæ ad victum pertinent, contemnentes, una & eadem voce multa remedia afferentes, a damnosa quidem fraude, ad pravisam autem salutem aperte adhortantes.*

Antiquitas S. Scripturæ. Lib. 1. Strom. p. 303. & seqq. fere omnibus usque ad finem, & Lib. 7. p. 592. & seqq.

II. S. Clemens extollit præcipue S. Scripturæ antiquitatem pluribus in locis suorum Stromatum. Scientiarum artiumque originem hac occasione refert, nec non Historiam Philosophiæ apud Græcos, cæterosque populos, ostenditque, Hebræorum Philosophiam cæterarum omnium vetustissimam esse. Sequitur hac in re methodum Tatiani, quem citat, & accurata chronologia probat, Moysen, cæterosque Prophetas pluribus annis omnes Ethnicos Scriptores præcessisse. Ut vero veritatem quam tuetur magis confirmet, non solum ex Chronologia Historiæ sacræ, de qua subdubitare poterant Ethnici, sed etiam ex profanis Scriptoribus vetustatem Sacrarum Scripturarum probat, & ad calculum redigens diversas mundi ætates, diversas generationes ac olimpiades, concludit, immensum distare vetustiores Scriptores græcos a Salomone, qui longo annorum intervallo a Moyse & a nonnullis aliis Prophetis distat. Thaletem & Erodotum extitisse scribit quinquagesima circiter olimpiade; Pythagoram sexagesima secunda, tyranni Polycratis ætate; Solonem & Themistoclem quadragesima sexta, &c. Verum nimius essem, si omnes afferre vellem circumstantias Chronologiæ tum sacræ tum profanæ, quæ accuratissimæ occurrunt in libro primo Stromatum; & ibidem lectorem remitto, cum ad oram hujus libri jam significaverim omnia ea loca, in quibus S. Clemens probat antiquitatem Divinæ Scripturæ. Hic animadvertere optimum erit, antequam huic articulo finem imponamus, S. Clementem longa oratione ostendere, Scriptores græcos e divinis Scripturis omnia ferme hausisse Dogmata quæ tradiderunt, opiniones, ac historias: hinc de Græcorum Philosophia Sanctus Presbyter hæc scribit: *Unde græca quidem Philosophia est similis illuminationi, quæ fit ex scirpo quem homines accendunt, lucem artificiose a Sole suffurati*: Quod sane ostendit iterum Sacrorum Scriptorum supra profanos antiquitatem.

Lib. 5. p. 560. & alibi.

Inspiratio Divina S. Scripturæ. Cohort. Pag. 51.

III. Æque disertus est S. Clemens cum de Divina Scripturarum inspiratione verba facit. *Jeremias autem*, inquit ille in sua ad Gentes Cohortatione, *Propheta sapientissimus, vel in Jeremia potius Spiritus Sanctus*, μᾶλλον δὲ ἐν Ἰερεμίᾳ τὸ ἅγιον πνεῦμα, *Deum ostendit, dicens, Deus appropinquans ego sum, & non Deus procul.* (a) Et deinde ait: *Possim tibi Scripturas afferre innumerabiles, quarum ne apex quidem unus prætaribit, qui non perficiatur: os enim Domini, Spiritus Sanctus ea est elocutus*, τὸ γὰρ στόμα Κυρίου, τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐλάλησε ταῦτα. „ Quam doctrinam, (Scripturarum) „ scribit ille infra, cum Apostolus vere divinam esse „ sciat: Tu autem, inquit, o Timothee, a puero sa- „ cras litteras novisti „ ... (b) *Sane enim vere sacra littera, quæ sacros faciant & deificant; ex quibus litteris & syllabis compositas Scripturas & opera, idem consequentes Apostolus appellat divinitus inspiratas.* Testimonia hæc perspicua sunt.

Ibid. p. 53. Pag. 56.

Sequitur idem argumentum. Lib. 7. Stromat. pag. 761. Pag. 762.

IV. At æque perspicua sunt quæ modo sequuntur testimonia, quæ idem respiciunt argumentum. Docet S. Clemens, Deum ducere per sanctam Divinarum Scripturarum viam homines illos, qui ei parent: *Ducit autem per Scripturas divinitus inspiratas*, ἡγεῖται δὲ κατὰ τὰς θεοπνεύστους γραφάς. Et paucis interjectis, socordes vocat hæreticos, quibus cum liceat ex ipsis divinis Scripturis convenientes colligere demonstrationes, id omnino non faciunt: gloriæ autem tenentur desiderio, qui ea quæ conveniunt sermonibus divinitus inspiratis, tradita a beatis Apostolis & Magistris voluntarie eludunt, per alias argumentationes, humanis doctrinis resistentes divinæ traditioni, ut hæresim constituant ... „ Qui impios ergo attingunt sermones, con- „ cludit S. Clemens, *Neque verbis divinis recte, sed* „ *perverse utuntur*; neque ipsi in regnum cœlorum „ ingrediuntur, neque eos, quos deceperunt, sinunt „ assequi veritatem. „ *Qui divinis ergo*, ait etiam alio loco, ὁ πιστεύσας τοίνυν ταῖς γραφαῖς ταῖς θείαις; demonstrationem, cui contradici nequit, Dei scilicet, qui Scripturas nobis dedit, vocem accipit. Itaque si Scripturæ sunt verbum Dei; si omnia in illis sunt sacra, etiam litteræ ipsæ, syllabæ, ac apices; si loquitur Deus per os Sacrorum Scriptorum; Si Spiritus Sancti afflatu loquuntur sacri Scriptores; num in dubium revocari poterit Scripturæ Sacræ inspiratio, non tantum quoad veritates quas docet, sed etiam quoad verba, litteras, syllabas, & apices quibus constatur?

Pag. 764. Lib. 2. Stromat. pag. 362.

Obscuritas Sacræ Scripturæ. Lib. 6. Stromat. Pag. 670. & 671.

V. Verum etsi omnia Scripturarum verba Spiritus Sancti opera sint concinnata, nihilominus non uno in loco Sacræ Scripturæ obscuritatem præseferunt, ut S. Clemens asserit hisce verbis: *jam vero David dicit: tenebrosa aqua in nubibus aeris; a fulgore coram ipso nubes transierunt, grando & carbones ignis*, (c) *abditos esse docens sanctos sermones, & iis quidem, qui sunt cognitione præditi*, (Gnosticos hoc loco intelligit Sanctus Presbyter) *claros & perspicuos, tanquam grandinem innoxiam significat demitti divinitus; Vulgo autem obscuros, tanquam qui ex igne extincti sunt carbones, quos nisi quis accenderit & suscitarit, non ardebunt, neque illuminabunt.* Asserant nunc Novatores, si valent Divinarum Scripturarum sensum se assequi posse, huncque sensum Spiritum Sanctum eos omnes docere. Unum ab illis petimus: num eorum asseclæ ex iis Gnosticis sint, de quibus loquitur S. Clemens? num cognitione ac sanctitate præditi sint? Si verum fateri velint, asserere id nullatenus poterunt: venditare ergo desinant, seipsos posse nullius adjutorio Scripturas Sacras intelligere, earum sensum assequi, mysteria ac obscuritates penetrare: eum peculiarem hanc gratiam ad cæterorum prælationem Ecclesiæ Pastoribus Deus largiatur.

Sequitur idem argumentũ. Ibid. pag. 676.

VI. Nequissima hæc recentiorum Hæreticorum præsumptio retundi potest alio S. Clementis testimonio, quod

(a) Jerem. cap. 23. vers. 23.
(b) II. ad Timoth. cap. 3. vers. 15.

(c) Psalm. 17. v. 12. 13.

II. & III. SÆCULUM.

quod ita se habet: *Neque enim Prophetia, neque ipse Servator adeo crasse & generaliter elocutus est divina mysteria, ut ea facile capi possent a quibuslibet*: idque statim confirmat hoc modo: „ Propter multas ergo causas, ait ille, occultant Scripturæ sententiam. Primum quidem, ut diligenter inquiramus, & semper in intelligenda salutari vigilemus doctrina. Præterea ne omnibus quidem conveniebat hominibus intelligere, *Ne fraudi iis esset, si aliter acciperent ea, quæ a Sancto Spiritu dicta sunt salubriter*. Tertio, quia sancta mysteria Prophetiarum teguntur parabolis: *Scripturarum enim stylus est parabolicus* παραβολικὸς γὰρ ὁ χαρακτὴρ ὑπάρχει τῶν γραφῶν, insuper & metaphoricus, *Scriptura quoque utitur metaphora* . . . Quia autem, subjungit Sanctus Doctor, non omnium est, veritas multis in modis occultatur: „ *Iisque solis, qui sunt initiati ad cognitionem qui veritatem quærunt propter charitatem, lucem exoriri facit*.

Rationes obscuritatis Sacræ Scripturæ. pag. 677. — pag. 678.

Apologia Veteris Testamenti adversus calumnias antiquorum Hæreticorum. Lib. 2. Stromat. p. 373. 374. & 375.

VII. Apologiam insuper veteris Testamenti instituit S. Clemens contra calumnias veterum Hæreticorum, ac præcipue Valentinianorum, qui veterem legem, veluti malam, damnabant. Ostendit ille Sanctus Presbyter, quod immerito ac sine caussa improbant vetus Testamentum, cujus præcepta in id tendunt, ut nos a malo removeant, & ad bonum alliciant; verumque malum manifestant, ut sunt adulterium, injustitia, & cæteræ animæ infirmitates. „ Quomodo ergo concludit S. Clemens, a nonnullis hæresibus Lex adhuc mala dicitur, vociferantibus dicere Apostolum: Per Legem enim cognitio peccati (*a*)? *Quibus dicimus: Lex peccatum non facit, sed ostendit*. Cum enim ea, quæ facienda sunt, jusserit, reprehendit ea, quæ non facienda. Boni autem est id, quod salutare quidem est, docere; quod exitiale autem, ostendere: & illo quidem uti consulere, hoc vero jubere fugere . . . . Quomodo autem non est bona Lex castigans? *Quo data est Pædagogus ad Christum: ut dum per timorem castigationis ratione dirigimur, ad eam, quæ est per Christum, perfectionem convertamur*.

Sequitur idem argumentum. Ibid. p. 398. 399. 400. 401.

VIII. Præterea ostendit S. Clemens veterem Legem malam non esse, sed vere bonam, ex eo, quod præcipit Judæis diligere advenas non solum ut parentes & amicos, sed etiam ut semetipsos: *Quid vero*, inquit Pater ille, *an non jubet diligere advenas, non solum ut amicos, & cognatos, sed etiam ut nos ipsos?* Ostendit insuper, quod Lex illa præcipit Judæis suorum inimicorum dilectionem, prohibet contumeliosam habere consuetudinem cum captivis; vetat immolationem bestiarum ante septimum vitæ diem; edicit, ne obturetur os bovi trituranti; & prohibet simul in aratro conjungere bovem & asinum; redundanti tandem quadam humanitate utens lex ista, jubet arbores nuper plantatas tribus annis ordine sequentibus fovere & alere; & arbores hostium vetat excindere: *Erubescant ergo Græci*, concludit S. Clemens, *& si quis est alius, legem insultari, si ea quidem vel in bestias benigna sit: illi autem etiam hominum fœtus exponunt, quamquam longe ante . . . . eorum feritatem lex exscinderet*.

Pag. 400.

Purgantur Hebræi, qui abstulerunt Ægyptiis spolia & divitias. Lib. 1. Stromat. Pag. 345.

IX. Perperam quis objecisset Divo Clementi id quod peregerunt Hebræi ex Ægypto exeuntes, qui spolia & divitias Ægyptiis abstulerunt, ac secum asportaverunt: demonstrat enim Sanctus Presbyter, quod Hebræi id non fecerunt per avaritiam, cum Deus, cujus mandatis tunc obtemperabant, nunquam permiserit aliena rapere; sed ex justitia id Hebræos fecisse asserit, ut scilicet operarum ac servitiorum, quæ toto tempore Ægyptiis præbuerant, necessariam mercedem referrent, sive voluerunt res hostium victoriæ jure auferre, sicuti in bello justo fieri solet: *Bello autem* (Ægyptios inter & Hebræos) *justa erat caussa*, inquit Sanctus iste Presbyter.

Icon Moysis. Ibid. Pag. 346.

X. Moysis elogium hoc loco instituit S. Clemens, eum appellat non solum Prophetam, verum etiam legum ferendarum peritum, ordinandæ & instruendæ aciei gnarum, Politicum, & Philosophum. Ostendit ex omnibus quæ operatus est Moyses pro Israelitarum populo, excelluisse illum omnibus illis virtutibus, quæ in summo Duce, ac Imperatore requiruntur. Sed ex aliorum fide duo narrat S. Clemens de vita Moysis quæ nimis singularia sunt. 1°. Quod Propheta iste solo verbo occidit Ægyptium illum, de quo habetur in Exodo (*b*), non secus ac sæculorum decursu S. Petrus occidit solo verbo Ananiam, & Saphiram (*c*): *Ajunt Mystæ*, inquit ille, *eum solo verbo occidisse Ægyptium*. Hæc autem historia nemini verisimilis videbitur, qui attente consideraverit verba Scripturæ hanc necem enarrantis: Moyses, verba sunt Sacræ Scripturæ, cum circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo. Verum hæc Moysis circumspectio, hic metus ne aliquis eum videret, nequaquam significat, illum per miraculum, seu solo verbo occidisse Ægyptium. 2°. Innixus auctoritati cujusdam Scriptoris nomine Artapani narrat, Moysen in custodiam traditum a Nechephre Ægyptiorum Rege, noctu Dei voluntate aperto carcere egressum fuisse, & ad regiam protectum, dormienti Regi adstitisse, eumque excitasse: Tum illum eo, quod factum fuerat, perculsum, jussisse, ut Moyses, Dei, a quo erat missus, nomen diceret: & hunc quidem inclinatum dixisse ei in aurem: quo audito, Regem statim quidem exanimem cecidisse, verum a Moyse erectum, ad vitam rediisse. Nil vetat fabellis accensere narratiunculam istam, quæ alicujus Hellenistæ stylum ingeniumque sapit. Incredibile quippe est, Sacram Scripturam silentio prætermisisse portentum hoc, quod toti terrarum orbi manifestat, Deum cum Moyse fuisse in opere & sermone etiam sub initium suæ legationis: nam Artapanus id contigisse refert, quando Moyses Hebræorum libertatem a Rege postulare cœpit.

Commentitia circumstantiis vitæ Moysis. pag. 344. — Alia circumstantia ejusdem naturæ. Ibid.

Divisio Pentateuchi in quatuor partes. Ibid. Pag. 554.

XI. Notandum hic est, 1°. S. Clementem dividere Pentateuchum in quatuor partes, seu classes diversas. Prima continet Historiam; Secunda comprehendit præcepta; Tertia loquitur de sacrificiis & cæremoniis; Quarta tandem respicit mysteria, hancque S. Clemens appellat Theologicam: *Et postremo quartam speciem Theologicam . . . . quam dicit Plato esse revera magnorum mysteriorum*. 2°. Sanctus iste Presbyter fatetur, Moysen esse auctorem Pentateuchi (*d*); sub nomine Salomonis citat Proverbia (*e*), Librum Sapientiæ (*f*), & Ecclesiasticum (*g*); præcipue vero postremum veluti Canonicum citat (*h*), una cum Libro Job (*i*). 3°. Meminit insuper Libri Esther (*k*), Judith (*l*), & Machabæorum (*m*); sed horum Scriptores non designat: Esdræ vero (*n*) adscribit quartum librum, qui sub ejus nomine fertur, & quem nunc apocryphum nos dicimus. Hæc sunt notabiliora quæ occurrerunt mihi in S. Clemente circa vetus Testamentum.

Pulcherrimum Evangelii elogium. Lib. 6. Stromat. Pag. 697. — pag. 698.

XII. Exscribo modo quæ tradit Sanctus Presbyter de novo. *Magistri autem nostri verbum*, inquit Pater ille, *non mansit in sola Judæa, sicut philosophia in Græcia, sed diffusum est per totum orbem terræ, Græcorum simul & Barbarorum gentibus, & vicis, & totis urbibus persuadens, totas domos & seorsum unumquemque ex iis qui audierunt, & ex ipsis etiam Philosophis non paucos jam traducens ad veritatem*. „ Et Græcam quidem philosophiam si quivis Magistratus prohibuerit, ex statim perit: nostram autem Doctrinam (addit Sanctus Doctor) a prima usque prædicatione prohibent simul Reges, & Tyranni, & singuli Duces, & Magistratus cum universis satellitibus, & innumerabilibus etiam hominibus, in nos belligerantes, nosque pro viribus exscindere conantibus: *illa autem magis etiam floret* „: *Non enim emoritur, ut doctrina humana; neque flaccescit, ut donum imbecillum, manet autem ejusmodi, ut prohiberi nequeat; cum prædictum tamen sit, fore ut ea patiatur persecutionem*. Mirari hic debemus vim ac miram efficaciam Evangelii Jesu Christi, quod licet tot occurrerent obstacula, quæ poterant ad nihilum redigere omnem humanam doctrinam, ea omnia strenue ac fortiter superavit, quin immo & ipsos persecutores in viam salutis adduxit.

Sequitur idem argumentum. Lib. 1. Stromat. pag. 319. — Lib. 1. Pædag. Pag. 134.

XIII. Alio pariter loco hæc habet S. Clemens: *Et est quidem per se perfecta, & nullius indigna Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus & sapientia*. „ Accedens autem Græca philosophia, veritatem non facit potentiorem; sed debiles efficit Sophistarum adversus eam argumentationes „. Et in Pædagogo, Christianos excitat, ut cœlesti huic doctrinæ serio incumbant, & solitaria hæc documenta fideliter exequantur, his verbis: *Non enim est nimis intensa ac vehemens ejusmodi verbi educatio*; (disciplina Divini nostri Pædagogi, hoc est Jesu Christi) *sed moderata, & quæ justo ut recto tenore consistat*.

XIV. Inter Libros novi Testamenti, quorum auctoritate

(*a*) Ad Rom. cap. 3. vers. 20.
(*b*) Cap. 2. vers. 12.
(*c*) Act. Apost. cap. 5.
(*d*) Lib. 4. Strom. pag. 538. 539. & alibi.
(*e*) Lib. 1. Strom. pag. 270.
(*f*) Lib. 6. Strom. pag. 669.
(*g*) Lib. 2. Strom. pag. 369.
(*h*) Lib. 2. Pædag. pag. 179.
(*i*) Lib. 6. Strom. pag. 637.
(*k*) Lib. 1. Strom. pag. 329.
(*l*) Lib. 2. Strom. pag. 375.
(*m*) Lib. 5. Strom. pag. 595.
(*n*) Lib. 3. Strom. pag. 458.

II. & III. SÆCULUM.

ritate utitur in suis scriptis Sanctus Presbyter, citat etiam Epistolam Divi Pauli ad Hebræos, quam huic Apostolo adscribit (*a*); Epistolam S. Judæ, quam citat sub ejusdem nomine (*b*); & Apocalypsim, cujus Auctorem dicit Divum Joannem (*c*). Meminit insuper hujus Apostoli Epistolæ (*d*), quam *majorem* appellat, haud dubio ut eam distinguat a cæteris duabus, quæ breviores sunt. Nec primam Petri Epistolam omittit (*e*). Verum ad instar Sacræ Scripturæ videtur habere Evangelium secundum Hebræos, cujus quemdam locum recitat (*f*), licet alibi videatur agnoscere quatuor solummodo Evangelia (*g*). Affert etiam in medium aliqua testimonia apocrypha sub titulo Prædicationis Divi Petri, & sub nomine Divi Pauli. Loquitur pariter de quibusdam Traditionibus S. Mathiæ: *Et Mathias*, inquit ille (*h*) *adhortans in Traditionibus &c.* Tandem in S. Clemente plura leguntur, quæ cum nostris Exemplaribus minime conveniunt; & quandoque aliquibus utitur testimoniis non notato loco, a quo excerpta sunt; & nonnulla legi in ejus Operibus, quæ in nostris Bibliis non adinveniuntur.

Septuaginta Interpretes divinitus afflati juxta S. Clementem. Lib. 1. Stromat. pag. 344.

XV. Valde laudabiliter loquitur S. Clemens de Versione Septuaginta Interpretum, eamque dicit Opus Spiritus Sancti; tuetur enim, (quemadmodum & Veteres qui eum præcesserunt), Spiritus Sancti afflatu Septuaginta illos viros versionem eam exarasse: idque probat ex eo, quod omnes illæ interpretationes simul collatæ conspirarunt & sensibus & dictionibus. Quid autem de hac Versione sentiendum sit, superius vidimus. Æque verissimam putat Sanctus Presbyter Scripturarum versionem ab Esdra concinnatam tempore captivitatis sub Rege Nabucodonosor, quando *cum interiissent Scripturæ*, inquit ille, *omnes veteres Scripturas* (Esdras) *prophetavit*. Mentem nostram quoad hanc narrationem alibi aperuimus; & accuratiores critici de hujus narrationis veritate æque ac de superiori dubitant. Fieri nequit ut sibi persuadeant, debuisse Esdram Scripturas Sacras renovare, cum nullatenus credant sacros Libros periisse, quemadmodum hoc loco supponit S. Clemens. Immo evidenter oppositum demonstrant, sicuti constat ex Dissertationibus quæ hac super re in publicam lucem prodiere, ad quas Lectorem remitto.

Esdras renovat Sacram Scripturam juxta eumdem. Ibid.

CAPUT SECUNDUM.

DE TRADITIONE ET ECCLESIA.

I. ETsi pauca sint quæ in S. Clemente quoad hos duos articulos occurrunt; nihilominus notabilia sunt, & non modicæ necessitatis. Primo loco in dubium revocari nequit, quod Traditionis auctoritatem aperte recognoverit, cum ex animadversionibus quas præmisimus, omnibus constet, cum in suo præceptore Panteno maximi fecisse studium Traditionis. Insuper alio loco verba faciens de egregiis illis viris, quos dignus habitus est qui audiret, gloriatur se didicisse ab iis non profanas scientias, ac ethnicæ Philosophiæ vanitates, sed solum Ecclesiæ doctrinam, ac Traditionem Apostolorum. *Sed qui veram quidem*, inquit, *beatæ Doctrinæ servabant traditionem .... ad nos quoque, Deo volente, pervenerunt, illa a majoribus data, & apostolica deposituri semina.*

S. Clemens Traditionem edoctus a suis Præceptoribus. Lib. 1. Stromat. Pag. 274. & 275.

II. Aliqua Traditionis vestigia se reperisse autumat S. Clemens in Epistola ad Hebræos (*i*), in qua Divus Paulus hæc habet: etenim cum deberetis magistri esse propter tempus; rursum indigetis, ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo &c. Hinc paulo supra scripserat Sanctus iste Presbyter & Doctor: *Jam enim erant quæ tradebantur Hebræis sine scripto*, ἦν γάρ τινα ἀγράφως παραδιδόμενα αὐτίκα τοῖς Ἑβραίοις. Hæc phrasis ἀγράφως *sine scripto*, ostendit, hæc quæ tradebantur Hebræis, tradita fuisse ex Traditione, & vivo vocis oraculo solummodo, & hæc nequaquam in Sacris Scripturis extitisse. Secus adverbium ἀγράφως locum non haberet, & valde improprie usurpatum hic fuisset.

Instructiones Hebræis datæ nuda Traditione. Lib. 4. Stromat. pag. 377.

III. Occurrit in sexto Stromatum libro alter textus, qui magnopere Traditioni favet. *Jam vero*, inquit S. Clemens, *cum Apostolos docuerit Servator, scripto non scripta jam quoque nobis traditur Traditio*, ἡ τῆς ἐγγράφου ἤδη καὶ εἰς ἡμᾶς διαδίδοται παράδοσις, *nova nobis cordibus, secundum novum illum librum, spiritus*, sive potius (*Dei*) juxta Græcum, τοῦ Θεοῦ, *inscribitur potentia*. Neque hoc loco agitur de Traditione scripta, cum sermo sit, juxta S. Clementis phrasim de Traditione, quæ scripto non est tradita, sed ipsius Dei digito insculpta est in cordibus fidelium. Hinc eruitur, etiam ætate Sancti hujus Presbyteri Traditionem vivæ vocis oraculo doceri consuevisse, &, veluti verbo Dei, illius auctoritati fideles acquievisse, cum Spiritus Sancti opera in cordibus Christianorum eam inscribi crederent. Quod quidem confirmatur etiam ex eodem S. Clemente, qui loquens ibidem de novo quodam libro, & alludens ad illum novum librum, de quo sermo est in Isaia (*k*), in quo jubetur Propheta quamdam doctrinam exscribere; *quæ illo tempore nondum erat scripta*, ea quæ superius attuli, Sanctus Doctor animadvertit.

Traditio fidelibus sine scripto consignata. Lib. 6. Stromat. pag. 679.

IV. Fatetur insuper in eodem libro, per Jesu Christi sapientiam edisci Traditionem Gnosticam: *Per quam* (*Christi sapientiam*) *ediscitur si Traditio, quæ est ex cognitione*. Ut autem ostendat, Traditionem hanc nihil aliud esse, quam doctrinam viva voce traditam, paucis interjectis subjungit: *Cognitio autem ipsa est, quæ per successionem ad paucos ex Apostolis absque scripto tradita pervenit*, ἡ γνῶσις δὲ αὕτη, ἡ κατὰ διαδοχὰς εἰς ὀλίγους ἐκ τῶν Ἀποστόλων ἀγράφως παραδοθεῖσα κατελήλυθεν. Et libro septimo aperte scribit: *Homo Dei esse, & Domino fidelis esse, perdidit, qui adversus Ecclesiasticam recalcitravit Traditionem, & in humanarum hæresum desiluit opiniones.*

Traditio Apostolorum non scripta. Lib. 6. Stromat. Pag. 645.

Damnum illius, qui adversus Traditionem Ecclesiæ recalcitrat. Lib. 7. Stromat. Pag. 757.

V. Prolixius differit S. Clemens de Ecclesia. Ut vero a notionibus exordiamur, quas de Ecclesia multis in locis suorum Operum tradit; ait primo loco, quod quemadmodum Dei voluntas est ejus opus, & id mundus nominatur; ita etiam ejus propositum est hominum salus; *Et ea hominum salus vocata est Ecclesia*. In suis Stromatis comparat Ecclesiam cuidam Civitati, & populo, ac eam honestum cœtum, & hominum multitudinem dicit, quæ regitur lege: quæ quidem civitas, inquit ille, non potest circumvideri, nec opprimi tyrannide: in terra divina voluntas, sicut in cœlo: hoc est, in Ecclesia completur divina voluntas, sicut completur in cœlo. „ Si enim tacitum, „ inquit insuper in eodem Opere, duo hæc significet, nempe & Deum ipsum, & id quod est con„structum in ejus honorem; cur non proprie eam, „ quæ in Dei honorem per agnitionem Sancta facta „ est Ecclesiam, Dei sacrum dixerimus „: *Non enim nunc locum, sed electorum congregationem, appello Ecclesiam*, οὐ γὰρ νῦν τὸν τόπον, ἀλλὰ τὸ ἄθροισμα τῶν ἐκλεκτῶν, Ἐκκλησίαν καλῶ. „ O miraculum mysticum! „ exclamat in suo Pædagogo .... Una autem sola „ est mater Virgo: mihi autem placet eam vocare „ Ecclesiam. Lac non habuit Mater hæc sola, quo„niam sola non fuit mulier. Virgo est simul & Ma„ter: integra quidem & inviolata, ut Virgo; amans „ autem, ut mater. Ideo autem lac non habuit, quod „ lac esset hic infantulus pulcher & conjunctus, sci„licet corpus Christi, novum cœtum verbo nutriens: „ quem ipse Dominus carnali dolore peperit „. Nec solum Ecclesiam peperit Servator carnali dolore; sed insuper *proprium sponsam habuit* (Dominus) *Ecclesiam* .... *Ecclesia autem alio non jungetur matrimonio, sponsum possidens*. Tandem Ecclesia terrestris est imago cœlestis; quæ terrestris Ecclesia cum superædificetur super lapidem angularem, qui est Christus Jesus, crescit in templum sanctum in Domino. Eadem loquitur Apostolus in sua ad Ephesios Epistola (*l*). Hæ sunt excelsæ prorsus proprietates, quas Ecclesiæ tribuit S. Clemens: est hominum salus, Sanctorum cœtus, hanc regit verbum ipsum, est electorum congregatio, virgo simul & mater, Jesu Christi sponsa, & templum Dei vivi. Satis superque hæc sunt, ut summa veneratione eam prosequi non desinamus.

Variæ notiones Ecclesiæ. Lib. 1. Pædagog. pag. 93. Lib. 4. Stromat. pag 543.

Lib. 7. Stromat. Pag. 715.

Lib. 1. Pædagog. Pag. 102.

Lib. 3. Stromat. Pag. 446. Lib. 3. Stromat. pag. 457. Lib. 4. pag. 500.

VI. Nil mirum igitur, si hisce præjactis, præcipiat S. Clemens, ut hanc potius audiamus, quam sectas ab illius communione sejunctas. Validissimis momentis ad id nos movet. Principio tradit, Ecclesiæ Doctrinam pro regula habere concentum & contensionem vetus inter & novum Testamentum: *Regula autem Ecclesiastica est concentus & consensio legis & Prophetarum convenienter testamento, quod traditur per Domini adventum*. Superius vero postquam nonnulla dixe-

Doctrina Ecclesiæ. Lib. 6. Stromat. Pag. 676.

rat

(*a*) Lib. 4. Strom. pag. 514. & 515.
(*b*) Lib. 3. Pædag. pag. 239.
(*c*) Lib. 6. Strom. pag. 667.
(*d*) Lib. 2. Strom. pag. 389.
(*e*) Ibid. & pluribus aliis locis.
(*f*) Lib. 2. Strom. pag. 380.

(*g*) Lib. 3. Strom. pag. 405.
(*h*) Lib. 2. Strom. pag. 380.
(*i*) Cap. 5. vers. 12.
(*k*) Cap. 8. vers. 1.
(*l*) Cap. 2. vers. 21.

II. & III. SÆCULUM.

rat de Musica, qua concinne & numerose Deum laudamus, dicit, mutam hanc conventionem legis, Prophetarum, & Apostolorum cum Evangelio, esse musicam quamdam spiritualem. „ Aliter quoque, scribit „ ille, acceperis musicam pro consonantia ecclesiasti„ ca Legis, & Prophetarum simul & Apostolorum „ cum Evangelio. „ Sicuti vero concentus hic non habetur apud Hebræos, qui novum Testamentum rejiciunt, ne ipsum quidem vetus intelligentes; nec apud Hæreticos, qui Ecclesiam non audientes, ab hac Ecclesiastica regula per consequens receduot; nec a fortiori apud infideles; hine jure ac merito alio in loco S. Clemens formaliter decidit: *Sola ergo est a Deo tradita, quæ est apud nos Doctrina.*

Ibid. pag. 659.

Ibid. pag. 697.

VII. Nec minus urget Sanctus Presbyter Antiquitatem ac unitatem Ecclesiæ, ut ejusdem Doctrinæ nos magis magisque adhærere faciat. *Ex iis quæ dicta sunt*, sic loquitur S. Clemens, *manifestum esse existime, unam esse veram Ecclesiam, eam quæ est vere antiquam, in cujus catalogum referuntur ii, qui sunt justi secundum* (Dei) *propositum κατὰ πρόθεσιν.* „ Nam „ cum unus sit Deus & unus Dominus, propterea id „ etiam quod est summe venerabile (intelligit Eccle„ siam) *ex eo quod sit unicum laudatur*, ut quod sit „ imitatio principii, quod est unum. In unius ergo „ naturæ sortem cooptatur Ecclesia, quæ est una; *quam* „ *conantur hæreses in multas discindere.* Et essentia er„ go, & opinione, & principio, & excellentia so„ lam esse dicimus, antiquam & catholicam Eccle„ siam, in unitatem unius fidei, quæ est ex propriis „ testamentis, vel potius ex testamento, quod est „ unum diversis temporibus.

Antiquitas & Unitas Ecclesiæ. Lib. 7. Stromat. pag. 765.

VIII. Hanc vero Antiquitatem & Unitatem apud Hæreticos minime extare, probat validissime Sanctus Clemens: & primo quidem quoad antiquitatem dicit, quod Doctrina quæ fuit in adventu Domini, cum cœpisset ab Augusto, medio tempore Tiberii est consummata; & Apostolorum Doctrina Neronis tempore: *Inferius autem, circa tempora Hadriani Imperatoris, fuerunt, qui hæreses excogitarunt.* Idque probat exemplo Basilidis, Valentini, & Marcionis: atque inde concludit, Sectas hujusmodi, ac quæ inde subsecutæ sunt, recentioris esse adinventionis, & de maxima Ecclesiæ vetustate gloriari non posse: *Quæ cum ita se habeant, clarum est, ex antiquissima & verissima Ecclesia has recentiores, & quæ his sunt adhuc inferiores, tempore fuisse innovatas, adulterina nota hæreses.* Et infra vocat hæreses: *Catholica Ecclesia . . . . posteriora conciliabula.*

Hæreses non gaudent antiquitate Ecclesiæ. Ibid. pag. 764.

Ibid.

IX. Nec majoris futurum est operis demonstrare, apud Hæreticos desiderari Ecclesiæ unitatem sicuti antiquitatem deesse supra vidimus. Conjicitur id ex eo, quod Hæreticorum Ecclesiæ differunt inter se, aliæ quidem ex nomine, ut quæ appellatæ sunt a Valentino, & Marcione, & Basilide, aliæ autem ex loco, aliæ vero ex gente, ex operatione, ex propriis Dogmatibus: hine alia appellatur hæresis Phrygum ex regione hujus nominis, alia Encratitarum ex continentia haud recte intellecta, alia Docitarum, & Hæmatitarum ex Dogmatibus, quæ peculiaria sunt illius hæresis. Cæterum Ecclesia, sicut principium constructionis, *ex unitate est κατὰ τὴν μονάδα ἐστίν.* Ejusdem eminentia, omnia alia superat, nihil habens sibi simile vel æquale. Ex his S. Clementis textibus nullo negotio deprehenditur, veram Ecclesiam esse unam, quoniam fundata est in unitatem unius fidei, & unius ejusdemque Doctrinæ: *In unitatem unius fidei*; quoniam Sancta est, cœtus Sanctorum, templum Dei, Sponsa Jesu Christi, virgo, pura & sine macula; quoniam Catholica est, quemadmodum in nonnullis ex allatis locis eam S. Clemens appellat; quoniam est Apostolica, eamque post Jesum Christum, in omnem terram propagaverunt Apostoli, nec aliam, quam Apostolorum fidem profitetur: tandem, quoniam omnium hæresum antiquissima est, ejusque eminentia cæteras Ecclesias superat, quæ ab ejus communione secesserunt. Hæ sunt notæ veræ Ecclesiæ & ab omni extraneo conventu ac cœtu hisce signis facile secernitur.

Varietas Hæresium adversantium Unitati Ecclesiæ. pag. 765.

Ibid.

X. Cæterum Hæresis nonnisi opinionibus fulcitur; & quamquam nonnulli veteres Hæretici gloriarentur sequi Doctrinam particularis alicujus Apostoli, quemadmodum Valentiniani & Basilidiani gloriabantur sequi Doctrinam S. Mathiæ; nihilominus paucis eos confundit S. Clemens, ostendens, Doctrinam Apostolorum esse unam, sicuti una est eorumdem Traditio. Hæresis profanas doctrinas usurpat contra Divinam Traditionem, adulterat veritatem Sacrarum Scripturarum, hancque veritatem rejiciens, quæ cupiditati ac propriæ gloriæ inserviunt, amplectitur. Hæresis non omnes Canonicos libros recipit, eosque corrumpit quibus nititur in patrocinium erroris: ut plurimum obscuriora ac difficiliora oracula citat, eaque propriis opinionibus aptare conatur: a vero ac naturali dictionum sensu recedit; quandoque autem nimis grammaticaliter verborum significationi adhæret: propter immoderatam sui ipsius dilectionem, & quia propriis opinationibus nimium defert; ad veritatis agnitionem venire recusat: sibimetipsi quandoque contradicit, cum erubescat id palam fateri, quod docet in occulto: evidentiam pluris facit, quam verba Jesu Christi, Prophetarum & Apostolorum: disputationibus semper parata, se magis diligere Philosophiæ apparentiam ostendit, quam veritatem ipsam: uno verbo, serpentes seductores sunt Hæretici, quos omni sollicitudine vitare oportet, veluti Satanam eorum parentem: nec ingens eorum numerus, ac mira eorum diversitas efficere debet, ut non inquiramus veritatem, eique mordicus inhæreamus. Quod si hujusmodi scandala Deus permittit, ideo permittit, ut compleantur quæ ab eo prophetice dicta sunt, & ut electi ejus probentur. Hæc sunt notabiliora quæ in S. Clemente quoad Hæreticos occurrunt. De malis Catholicis vero, ac de iis, qui Ethnicorum more vivunt in Ecclesia, declarat S. Clemens, quod ejusdem sanctitatem non tenent, sed in Ecclesiam ac proprium corpus fornicantur: ait siquidem: *Fornicatur enim in Ecclesiam suumque corpus, is qui gentiliter vivit in Ecclesia.*

Characteres Hæresum. Lib. 7. Stromat. pag. 765.

pag. 764.

Lib. 7. pag. 757. & 758.

II. & III. SÆCULUM.

Pag. 758.

Pag. 759.

Lib. 3. Stromat. pag. 489. Lib. 7. Pag. 753.

Quid dicendum de malis Catholicis. Pag. 752.

CAPUT TERTIUM.

DE ATTRIBUTIS DIVINIS ABSOLUTIS.

I. ETsi fateatur S. Clemens, impossibile esse loqui exacte de Deo, & difficillimum de ejus natura accurate disserere, cum sit primum rerum omnium principium; nihilominus nonnulla tradit de Divinis ejus perfectionibus, sicuti modo videbimus, docetque nos quid de illo sentire debeamus, cum hac tamen moderatione, quod quidquid de eo cogitare vel dicere possumus, immensum distat a germana rerum veritate. Deus igitur non est genus, neque differentia, neque species, neque individuum, neque accidens aliquod. Neque vero totum recte eum dixerit quispiam. Sed neque dicendum est esse aliquas ejus partes; in unum enim non cadit divisio: quin etiam nullam suscepit dimensionem aut distantiam, & finem non habet, & ideo est figuræ expers, & quod nominari non potest. Et si aliquando eum minus proprie nominemus, vocantes unum, aut bonum, aut mentem, aut ipsum quod est, aut Patrem, aut Deum, aut Creatorem, aut Dominum; non id dicimus tanquam nomen ejus proferentes, sed propter veri nominis defectum pulchris utimur nominibus: *Ut in aliis non aberrans, his inniti possit cogitatio.* Non enim singula ex his Deum significant, sed omnia simul Omnipotentis indicant potentiam: quæ enim dicuntur, ex iis quæ ipsis adsunt, aut ex ea quæ est inter se invicem habitudine ac relatione dicuntur; horum autem nihil potest de Deo accipi. Hæc est accuratior & verior quæ de Deo efformari possit idea, ac si hanc notionem, quæ optime nostræ ignorantiæ convenit, ac imbecillitati nostræ naturæ, adoptassent homines, innumeras non instituissent vanas futilesque quæstiones de natura Dei, ejusque perfectionibus: exempli caussa, in quo proprie divina ejus natura consistat; num perfectiones, quas de illo prædicamus, tales reipsa sint, quales nos esse mente concipimus, num inter se secernantur, & quænam sit hujusmodi distinctio. Omnia hæc vana ac puerilia sunt, & Deus æque ineffabilis atque incomprehensibilis semper erit.

De Deo digne loqui non possumus. Lib. 1. Stromat. pag. 587.

pag. 588.

II. Non ideo autem hoc studium, quo cognoscamus divinas perfectiones, negligere debemus: Si has deprehendere non valemus quales revera in Deo sunt; saltem satagere debemus, ut aliquam earum ideam habeamus, quæ licet infinite distet a veritate, non eidem tamen opponatur. Idipsum præstat S. Clemens in variis quas tradit notionibus de Dei natura, Divinisque illius perfectionibus. Primo igitur loquitur: *Unum autem est Deus, & ultra unum, & supra ipsam unitatem.* Docet inferius, omnes perfectiones quæ Deo tribuuntur, nequaquam nocere huic divinæ unitati, & verum Deum nobis ostendere: *Qui, cum unum sit, multis significatur potestatibus.* Docet insuper, quod Jesus Christus hujus unitatis testimonium perhibet, dicens Patri too (Tu) (σὺ) quæ vox significat solum verum Deum, qui erat, qui est, & erit: *In quibus tribus temporibus ponitur unum nomen, nempe Ens.* Nescio an perfecta hæc simplicitas conciliari possit cum metaphysica compositione, quam Scholastici nonnulli realiter in Deo admittunt.

Unitas perfecta in Deo. Lib. 1. Pædagog. pag. 118. pag. 119.

pag. 158.

III. Verba faciens Sanctus Presbyter de visione Dei, qua Moyses donatus est, quemadmodum habemus in

II. & III. Sæculum.

Immensitas Divina. Lib. 2. Stromat. pag. 362.

Exodo (a), occasionem sumit mentem suam aperiendi circa Immensitatem divinam, & ait: „ Non est in caligine Deus, aut in loco, sed supra locum, & tempus, & proprietatem eorum, quæ facta sunt: *quare numquam est in parte, nec ut continens, nec ut contentus, aut per circumscriptionem, aut per sectionem*: „ Quam enim Domum ædificabitis mihi, inquit Dominus (b): Sed nec sibi ædificavit, cum capi non possit: „ *Et quamvis cœlum dicatur ejus sedes, nec sic quidem continetur, sed requiescit delectatus opificio*. Ad illud vero quod Scriptura refert, Deum scilicet in Monte Sinai apparuisse, non est dicendum, Deum ipsum in montem descendisse, sed solum ostendisse Majestatem suam, quæ totum pervadit terrarum orbem, & lucem prædicat, ad quam impossibilis est aditus: *Ille enim Dei in montem descensus, divinæ potestatis est adventus, quæ pervadit omnem mundum, prædicatque lucem, ad quam non datur aditus ..... Quo fit*, subjungit paucis interjectis, *ut descensus minime fuerit loco terminatus: Deus enim est ubique, πάντῃ γὰρ ὁ Θεὸς ἐστι.*

Lib. 6. Stromat. pag. 632.

Scientia Dei. Lib. 6. Stromat. pag. 692.

IV. Æque ac Dei Immensitas, infinita est ejusdem Scientia. „ Deus enim novit omnia, inquit S. Clemens, non solum ea quæ sunt, sed etiam quæ futura sunt, & ut erit unumquodque, & eos, qui sunt singulares motus prævidens, intuetur omnia, & omnia exaudit, & nudam animam aspiciens intrinsecus, uniuscujusque etiam ea singularibus æternam habet intelligentiam, & quod fit in theatris, & in partibus: *Hoc enim in Deo simul fit, & acervatim*; hoc est, uno ictu oculi, sive *una applicatione*, μιᾷ προσβολῇ.

Providentia Divina. Lib. 1. Stromat. pag. 312.

V. Divinam Providentiam invictissime ea eo probat S. Clemens, quod peccatum ipsum quandoque ad bonum aliquem finem deducit, nec omnino, & in omni strictiori sensu nocet. *Divina enim Sapientia*, addit S. Doctor, *& virtutis, & potentiæ officium est, non solum benefacere*, „ (hæc est enim, ut ita dicam, „ Dei natura, ut ignis calefacere, & lucis illuminare) „, *sed illud quoque maxime, ut id, quod per malos aliquos excogitatum est, ad bonum aliquem finem & utilem deducat, & utiliter iis, quæ videntur mala, utatur*; hoc est, utatur est hominum utilitatem iis; quæ videntur mala. Hanc veritatem tam alte retinebat S. Clemens, ut aperte doceat, quod sublata Providentia Divina, veluti fabula accipienda sit œconomia Salvatoris: *Qua sublata, videtur fabula, Servatoris œconomia*. Hinc vehementer objurgat Philosophos hujus Providentiæ hostes, qui falso autumarunt, puras atomos fuisse vera rerum principia, hosque pseudo Sapientes, *impios homunculos, & voluptati deditos* appellat, quorum proinde auctoritas nullius est ponderis adversus perspectam adeo veritatem. His similes sunt Athei nostri hujus ævi, qui vulgo dicuntur *Spiriti forti*, sed ironice, ut videtur. De illis proferri potest quod de Philosophis supra memoratis dicebat S. Clemens: *Parvuli ergo sunt, etiam Philosophi, nisi a Christo viri fiant*; hoc est, donec lumine fidei destituentur.

Pag. 156.

Ibid.

Salus humani Generis est maximum Dei opus. Lib. 1. Pædagog. pag. 131.

VI. Etsi Omnia Dei opera mirabilia sint, maximum tamen, juxta S. Clementem, est humani generis salus: *Hoc est enim*, inquit, *maximum, & maxime regium Dei opus, humanam servare naturam*. Omnes Dei miserationes erga homines in pleno adeo lumine ponit, ut neminem non moveat, ingratum licet, & obduratum. Hinc ait, Deum creaturas omnes sola voluntate, ac solo nutu fecisse, peculiari autem quodam modo, manibus scilicet suis, hominem condidisse: *Alia quidem solo jussu fecit; hominem autem per se manu fabricatus est*. Ait insuper, omnia a Deo creata esse ad hominis utilitatem, ipsumque Deum diligere hominem præ cæteris Creaturis, cum diligendus sit homo utpote Dei imago, ac fieri non posse, ut non diligatur, cum propter eum Unigenitus e sinu Patris descenderit: *Qui enim fieri potest, ut non diligatur, propter quem Unigenitus ex sinu Patris demittitur.*

Dilectio Dei ad hominem. Ibid. p. 82.

Dei Misericordiæ omnes sūt gratuitæ. Lib. 1. Stromat. pag. 392.

VII. Ideo autem Misericordiarum Dei memores præcipue esse debemus, quia ex ejus parte gratuitæ sunt: Deus enim, ut egregie ait S. Clemens, nullam habet in nos naturalem habitudinem, seu relationem, immo inter nos & illum infinita intercedit inæqualitas; qui non sumus ejus partes, nec filii natura, sed solummodo opus manuum ejus: ex pura igitur & sola bonitate & misericordia sua nos protegit, & summopere ingrati essemus, si eum non diligeremus, qui tantum, tamque gratuito nos diligit: *Par est autem eum nos redamare.*

Lib. 1. Pædagog. pag. 81.

Ultiones & Persecutiones non opposita Dei Bonitati. Lib. 4. Stromat. pag. 535. pag. 508.

VIII. Perperam contra Dei Bonitatem objiceretur, quod nos quandoque punit, ac permittit, ut in hoc mundo ab impiis persecutionem patiamur. 1°. enim ea Bonitate ac Misericordia emendatos nos vult, ut meliores efficiamur, ac cæteris exemplum præbeamus; & ne iterum in eosdem prolabamur defectus propter quos pœnas a nobis sumpsit: si enim injuriam inultam dimitteret, id fortasse contingeret. 2°. quoad persecutiones, quas ab impiis, Deo sic permittente, patimur, malæ non sunt, & aliquam utilitatem & ipsæ præstant: Idque probat exemplo Martyrum, qui inter acerbiora supplicia plenitudine pacis fruebantur, quia pro certo habebant, eorum mortem esse iter ad cœlum, & ad summum bonum, summamque Beatitudinem, quam unice præ oculis perpetuo habebant. Et licet in hoc tormentorum statu viderentur exterius viribus destitui; interius nihilominus persentiebant potentiam brachii Dei omnipotentis; atque hinc constantes, ac ferme insensibiles omnia tormentorum genera tolerabant. Cæterum, nequaquam vult Sanctus Doctor, quod Deum harum persecutionum Auctorem credamus, cum eas permisisse asserat ad majorem electorum suorum utilitatem. *Non est ergo existimandum*, inquit, *eum operando exercere afflictiones .... sed non prohibere eos qui eas exercent, persuasum habere convenit, & ad bonum uti audacibus cœptis adversariorum .... Quamobrem, noluit nos pati persecutionem* (positive noluit); *sed ea quæ passuri sumus prius significavit, per eam, quod fuit eventura prædictionem, exercens ad tolerantiam, cui promisit hæreditatem*. Hoc pacto S. Clemens invicem conciliat Dei Bonitatem ac Justitiam, ac respondet infidelibus objicientibus, Deum parum sollicitum esse de Christianis; ac eos in extremis periculis veluti derelinquere. Opinor autem, Sanctum Presbyterum æque potuisse objectionem diluere si dixisset, Deum non solum permittere, verum etiam velle tribulationes istas, non quoad malitiam persecutorum, quam damnat, sed quoad ingentes utilitates, quæ Sanctis inde obveniunt. Qui persecutionem movent, reipsa male operantur, quia persecutio est peccatum grande nimis; sed qui persecutionem suffert, opus bonum peragit, cum sit maxima virtus. In hoc sensu vult Deus tribulationes immo & præcipit, veluti medium ad salutem electis suis impertiendam: & hæc est mens S. Clementis, ut eruitur ex allato superius ejusdem textu, in quo ait, Deum uti ad nostram majorem utilitatem audacibus adversariorum nostrorum cœptis: *Et ad bonum uti audacibus cœptis adversariorum*. Concludamus igitur ex his omnibus, commode conciliari invicem posse Dei Bonitatem ac Justitiam; immo bonam esse ejus Justitiam, justam esse ejus Bonitatem, ut ipsius S. Clementis verbis utar: *Bona est enim Dei Justitia, & justa est ejus Bonitas.*

pag. 505.

pag. 508.

Lib. 6. Stromat. pag. 668.

Mira Efficacia Voluntatis Dei. Cohort. ad Gentes. p. 41. & 43.

IX. Sanctus Doctor perhibet nobis sublimem ideam admirabilis efficaciæ voluntatis absolutæ Dei, dum ait, nullum adesse discrimen inter voluntatem quam habuit condendi mundum, & ipsam mundi creationem; eum operari sola voluntate, & quod ejus velle, semper factum esse consequitur: *Quanta est Dei potentia!* exclamat ille, *ipsius Dei solum voluntas est mundi creatio .... Sola voluntate operatur; & ejus solum velle, factum esse, consequitur .... Omnibus enim simpliciter hominibus, maxime autem iis, qui versantur in doctrinis & literis, instillatus est quidam divinus influxus. Qua de caussa vel inviti quidem, fatentur unum esse Deum ab interitu alienum & ingenitum, qui in tali vertice, in sua propria specula vere sit semper*. Errat igitur qui putat, posse quemquam ignorare veri Dei existentiam ignorantia invincibili.

Verus Deus omnibus hominibus notus. pag. 45.

CAPUT QUARTUM.

De Tribus Personis Divinis, et maxime de Persona Verbi.

I. QUoniam pauca occurrunt in S. Clemente circa Trinitatem Divinarum Personarum, cum nulla sese præbuerit ei occasio expresse disserendi de illo Mysterio; hinc optimum duco ea addere huic articulo, quæ respiciunt personam Verbi in particulari cum satis prolixe de Verbo loquatur Sanctus Doctor, & Ecclesiæ fidem quoad hanc partem satis superque confirmet. Quoad primum articulum igitur, Sanctus Presbyter clare distinguit tres divinas Personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ac unam fatetur naturam in hisce tribus Personis. *Unus quidem est*, inquit ille libro primo Pædagogi, *universorum Pater; unum est etiam Verbum universorum; & Spiritus Sanctus unus, qui est ubique*. „ Si quis egenus, pannosus, deformis, debilis videatur, (ait ille in suo Tractatu: „ Quis

Trinitas & Consubstantialitas Divinarum Personarum. Lib. 1. Pædag.

(a) Cap. 33.

(b) Isaiæ cap. 66. vers. 1.

II. & III. SÆCULUM.

Tract. Quis Dives salvetur. num. 34. In Tom. 3. Biblioth. Patr. Pag. 224.

„ Quis Dives salvetur.) ne idcirco inique feras, aut „ averseris, intus enim inhabitat qui absconditus est „ Pater, & Filius ejus ... & infra habet: „ *Thesaurum namque in testaceo vase fertmus, Dei Patris virtute, Deique Filii sanguine, nec non Spiritus Sancto rore communitum.*

Lib. 3. Pedagog. cap. 12. pag. 266. Lib. 5. Stromat. Pag. 558.

II. Pædagogum concludit S. Clemens sequentibus verbis, quæ æque probant Divinarum Personarum Trinitatem, ac earum Consubstantialitatem. „ Laudemus „ unum Patrem & Filium ... una cum Sancto Spiri„ tu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem „ omnia sunt unum, cui gloria nunc, & in sæcula „ sæculorum: Amen. „ Et in libro quinto Stromatum, explicans quemdam Platonis locum, declarat, non aliter intelligi posse, quam de Sancta Trinitate: *Non aliter ergo intelligo, quam Sanctam significari Trinitatem, τὴν ἁγίαν τριάδα, Nam tertium quidem esse Sanctum Spiritum, Filium autem secundum, per quem facta sunt omnia ex voluntate Patris.* Habes igitur tres Divinas Personas realiter distinctas, earumque existentia perspicue notatur; æque autem earumdem Consubstantialitas ex aliis supra allatis testimoniis eruitur; & præcipue animadvertere debemus phrasim hanc, *Qui est ubique*, qui utitur Sanctus Doctor loquens de Spiritu Sancto: Quod sane probat Divinitatem hujus Personæ Sanctissimæ Trinitatis in particulari.

Lib. 2. Pædag.

III. Quod attinet vero ad Personam Verbi, S. Clemens, præ omnibus Patribus, qui floruere ante Concilium Nicænum, efficacius probavit ejus Divinitatem ac Consubstantialitatem, quidquid scripserint in oppositum Pater Petavius, ac Dominus Uetius, qui excogitarunt, Sanctum Alexandrinum Presbyterum credidisse naturam Filii naturæ Patris inferiorem. Caussam suspicionis hujus videbimus, postquam attulerimus pulcherrima hujus Patris testimonia, quæ orthodoxam ejus fidem circa præcipuum hoc Religionis nostræ Dogma plenissime ostendunt. Ut autem ejus Operum ordinem sequamur, initium ducimus a quodam loco suæ Exhortationis ad gentes, in quo recitatis hisce Divi Pauli verbis: Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, &c. (a) hæc habet: „ Novum ergo Can„ ticum est Verbi, quod in principio & ante princi„ pium fuit, exortus, qui modo nobis effulsit: modo „ enim apparuit, qui olim erat, Servator: apparuit, „ qui ens est in ente; Verbum nempe, quod apud „ Deum erat, & a quo facta sunt omnia, Præcepto„ ris habitu apparuit: & qui tanquam Opifex mundi „ vitam nobis in prima creatione dedit, præceptoris „ habitu sumpto, bene vivendi rationem nos docuit: *Ut æternam vitam postea, ut Deus ὡς Θεὸς, suppeditaret*. Eruitur igitur ex his, S. Clementem credidisse Christum æternum, cum eum ab initio existere dicat, hoc est ab omni æternitate, juxta sensum Scripturarum & Patrum, ac subsistere in eadem natura Patris, *qui est in eo qui est*: eruitur insuper, Sanctum hunc Presbyterum credidisse Christum verum Deum, cum dicat de illo: *Ut æternam vitam postea, ut Deus, suppeditaret.*

Divinitas Verbi. Exhort. ad Gentes. Pag. 6.

IV. Hortatur Gentes in eodem Sermone, ut credant Deo viventi, qui passus est, & adoratur: omnes homines excitat, ut credant ei, qui solus est verus, omnium hominum Deus: *Crede homo*, att ille, *homini & Deo. Crede homo Deo viventi, qui passus est, & adoratur ... Omnes homines, credite ei, qui solus est Deus omnium hominum*, sive, *ex omnibus hominibus*, ut legitur in versione latina, quam nos sequimur πάντες ἄνθρωποι πιστεύσατε μόνῳ τῷ πάντων ἀνθρώπων Θεῷ Igitur, justa S. Clementem, Jesus Christus non est solum homo, sed insuper est Deus, est Deus vivus, qui passus est, & adoratur; est solus verus Deus omnium hominum. At æque Pater est solus verus Deus, quemadmodum non uno in loco docet Sanctus Presbyter: necessario igitur ex his sequitur, Patrem & Filium esse ejusdem naturæ.

Sequitur idem argumentum. Ibid. p. 66.

V. Quod vero S. Clemens crediderit Filium Consubstantialem Patri, clarius ex eo eruitur, quod in eadem Exhortatione ad Gentes ait, Verbum manifestissime esse verum Deum, qui exæquatus est Domino Universorum, quia est ejus Filius &, est Verbum, est in Deo: *Verbum Divinum, qui revera est Deus manifestissimus*, ὁ φανερώτατος ὄντως Θεὸς, *qui est universorum Domino exæquatus* ὁ τῷ δεσπότῃ τῶν ὅλων ἐξισωθείς; *quoniam erat ejus Filius, & Verbum erat in Deo*. Ponderanda sunt hæc verba ὁ φανερώτατος Θεὸς, *Deus manifestissimus, evidentissime Deus*; insuper hæc, *universorum Domino exæquatus*, quæ præferri nequeunt, quin illico Verbi Consubstantialitas in mentem veniat.

Consubstantialitas Verbi. Ibid. p. 68.

VI. In Pædagogo pariter evidentissime probat eamdem veritatem: ibi enim scribit, Prophetam Isaiam ostendisse magnitudinem & potentiam Filii Dei, dum ait de illo: Ecce puellus datus est nobis ... Consiliarius admirabilis, Deus potens, Pater æternus, princeps pacis, (b) hinc statim subjungit S. Clemens & exclamat: O magnum Deum! o perfectum puerum! Filius in Patre, & Pater in Filio. ὦ τοῦ μεγάλου Θεοῦ! ὦ τοῦ τελείου παιδίου! ὁ υἱὸς ἐν πατρὶ, καὶ πατὴρ ἐν υἱῷ. Et infra in eodem libro appellat Filium Dei, *Verbum perfectum, & perfecto Patre natum*, hoc est, appellat Filium Patri æqualem in omni genere perfectionis. „ „ Noster Pædagogus, loquitur semper S. Clemens, „ Sanctus Deus Jesus, ἅγιος Θεὸς Ἰησοῦς, qui est lux „ omnis humani generis Verbum; ipse benignus & „ clemens Deus, est Pædagogus ... Si quid odio ha„ bet Verbum, id vult non esse. Nihil est autem, „ cujus non caussam Deus, quod id sit, præbeat. „ Sed neque Verbum: „ *Utrumque enim unum est, nempe Deus*. ἓν γὰρ ἄμφω ὁ Θεός. Inferius autem longa oratione disserit de perfectionibus divinis absolutis, quas æque proprias esse dicit Patris & Filii; & hisce verbis concludit. „ Ut sit vere apertum, quid„ quid est universorum Deus, unus solus sit, bonus, „ justus, opifex, „ *Nempe Filium in Patre*, υἱὸν ἐν πατρὶ, cui gloria in sæcula sæculorum: Amen.

Sequitur idem argumentum. Lib. 1. Pædag. c. 5. p. 91.

Cap. 7. pag. 109.

Cap. 8. pag. 113.

Ibid. Pag. 159.

VII. Hæc satis superque sunt ad ostendendam orthodoxam Sancti nostri Doctoris fidem quoad Verbi Divinitatem, & Consubstantialitatem: Idque peculiare habent pulcherrima hæc testimonia, quod tanta donantur perspicuitate, evidentia, præcisione, ut hebetiores etiam illuminare valeant. Quia vero res, quam modo pertractamus, maximi momenti est; & inter eruditos nonnulli extitere, qui, ut supra innuimus, vetustos Patres, præcipue vero Sanctum Alexandrinum Presbyterum, in judicium adducere ausi sunt, quasi parum accurate de natura Verbi locutus esset; hinc ad falsam hanc opinionem exsufflandam operæ pretium erit alia ejusdem Sancti Doctoris testimonia in medium afferre, quæ æque ac prima perspicua sunt: „ Deus Pa„ ter, inquit S. Clemens, est minimo indigens, *qui* „ *Verbum habet, Deum omnipotentem* ... Verbum enim „ possessio est, cui nihil deest, & est caussa omnis „ copiæ ... Justis aut alio loco, appropinquat Do„ minus, & nihil eum latet ex nostris cogitationi„ bus „ ... *Dominum Jesum dico, qui omnipotente sua voluntate* τῷ παντοκρατορικῷ θελήματι, *cordium nostrorum inspector est*. Et in alio Stromatum libro hæc habet: Sicut Sol non solum cœlum & totum mundum illuminat, super terram & mare resplendens, sed etiam per fenestras, & parvum quodlibet foramen, vel in intima penetralia domorum lucem emittit; *ita Verbum undequaque effusum* οὕτως ὁ λόγος πάντη κεχυμένος, *vel minima en sic inspicit, quæ in vita geruntur*. Igitur Dominus Jesus est omnipotens, immensus, infinitus, sicuti Pater; & per consequens, sicuti Pater, verus Deus.

Sequitur idem argumentum. Lib. 3. Pædag. c. 7. p. 136.

Lib. 4. Hom. pag. 517.

Lib. 7. Stromat. pag. 718.

VIII. Cum æternitas nonnisi soli Deo convenire possit, quemadmodum alias apud nonnullos Patres notavimus, hinc ea S. Clementis loca exponenda sunt, in quibus Verbi æternitas deprehenditur. Hoc Dogma docet Sanctus Doctor non semel in suis Operibus: „ „ Æternus hic Jesus, scribit ille in sua ad Gentes co„ hortatione, unus magnus Pontifex ... orat pro ho„ minibus, idemque homines hortatur. „ Et in hymno, quem Sanctus iste Presbyter posuit ad calcem sui Pædagogi, eum appellat Filium Dei; *Verbum perenne, ævum infinitum, lucem æternam*. „ Filius Dei, ait in„ super Pater iste in suis Stromatis, est infinitus una„ quaque suarum potestatum notione. Quamquam non „ sit vere unum, ut unum, neque multa ut partes Fi„ lius, sed ut omnia unum, unde etiam omnia: *est* „ *enim ipse circulus omnium potestatum* ... & ideo di„ ctus est *Alpha & Omega, cujus solius finis fit principium ... nusquam distantiam accipiens*. Hinc Filius Dei est æque æternus, & infinitus in omni genere perfectionum: quod sane dici nequit, nisi de solo Deo.

Æternitas Verbi. Cohort. ad Gentes. pag. 74. 75.

Lib. 3. Pædag. in fin. pag. 267.

Infinitas Filii Dei. Lib. 4. Stromat. pag. 537.

IX. Cum allata testimonia perspicue adeo & aperte probent Divinitatem Verbi, eumque Patri Consubstantialem clarissime ostendant, satis mirari non possumus, nonnullas S. Clementis phrases in malo sensu ab aliquibus intellectas esse, dum nil aliud significent, si recte perpendantur, quam subordinationem quamdam Filii ad Patrem; quæ admitti potest, absque eo quod vel minimum lædatur Divinitas Verbi; cum subordinatio hæc non respiciat naturam, quæ eadem est in Patre & Filio, sicuti centies docet Sanctus Presbyter, sed personalitatem, quæ in utroque est diversa. Nihilominus, ut clariori in lumine argumentum hocsumme necessarium ponamus, nullique vel levissimo scru-

pulo

(a) Ad Titum cap. 2. vers. 11. 12. 13.

(b) Cap. 9. vers. 6.

pulo locum relinquamus, phrases has, quæ subobscuræ ac difficiles videntur, explicare aggredimur, vel potius interpretationem afferamus, quam concinnavit Bullus in suo Opere latino, de quo Verba fecimus in Præfatione. En igitur quæ circa Verbum difficultatem alicui parere possent. Docet, 1°. S. Clemens, quod Filius salvans homines, servit voluntati Patris sui: *Omnipotentis Patris voluntati servit*. 2°. quod Deus non cadit sub demonstrationem, & per consequens neque sub scientiam; sed Filius, cum sit sapientia, & scientia, & veritas, cadit sub utrumque: *Deus quidem sub demonstrationem non cadit, adeoque neque sub scientiam: Filius vero Sapientia est, & Scientia, & Veritas, ... proinde demonstrationem habet, & enarrationem*. 3°. quod Filius Dei est Sapientia creata ante omnia: *Primo creatam sapientiam πρωτόκτιστον σοφίαν*. 4°. Tandem, quod perfectissima & sanctissima natura Filii, conjunctissima est naturæ Dei omnipotentis: *Perfectissima autem & sanctissima ... est natura Filii, quæ est soli omnipotenti conjunctissima ἡ τῷ μόνῳ παντοκράτορι προσεχεστάτη*. Hujusmodi vero difficultates nullo negotio solvuntur. Hinc quo ordine propositæ sunt, eas enodabimus.

Textus difficiles S. Clementis circa naturam Verbi. Lib. 7. Stromat. Pag. 703.

Explicatio primi textus.

X. Et primo quidem quoad primum textum, in quo S. Clemens videtur docere, quod Filius Dei *Patris voluntati servit*, mirum sane est, Patrem Petavium, illis verbis uti voluisse, ut orthodoxæ fidei S. Clementis derogaret. Si legisset ille quæ allatum textum præcedunt verba, & quæ subsequuntur, facile deprehendisset, Sanctum Doctorem eo loco ostendere velle, Jesum Christum esse communem omnium hominum Salvatorem, qui, quantum in se est, pro eorum salute laborat, absque eo tamen quod illius libertatem vel minimum lædat. Hinc ait, quod Servatorem nulla prohibet creatura, quo minus ad salutem nostram concurrat, cum sit ipse creaturarum omnium Dominus, immo nec Pater ejus prohibet, quia Filius in hoc Patris voluntati servit. Verum id nullam in Verbo imperfectionem importat: & si aliqua in Filio subordinatio ad Patrem ibi apparet, cadit super personam Filii, qui carnem induens, veluti Minister voluntatis Patris effectus est, animam suam ponens pro salute nostra: non cadit autem super naturam Filii, quæ cum sit una eademque cum natura Patris, hanc subordinationem admittere nequit. Cæterum, quo pacto ostendi quis posset per hæc verba, Filius servit voluntati Patris, cum in Scripturis, cæterisque Ecclesiasticis Scriptoribus persæpe occurrant? Jesus Christus plures in Evangelio testatur, se venisse in hunc mundum, ut faceret voluntatem Patris sui; ac se facere semper quæ placita sunt ei, & hujusce generis alia, ex quibus sane nemo inferre audebit eamdem illationem, quam inferre vellet Petavius ex testimonio in controversiam posito.

Explicatio secundi textus.

XI. Nec in secundo textu explicando admodum laborandum est: Manifestum siquidem est, id unum ibidem S. Clementem docere, quod Deum Patrem immediate, & per seipsum nemo novit, & ad ejus agnitionem nemo pervenire potest, nisi per Jesum Christum Filium ejus, qui, prout est Verbum Patris, indutus nostra carne, hominibus manifestus apparuit, Patremque suum manifestavit, eo tamen modo, quo humanæ mentis imbecillitas percipere poterat. Si Doctrina hæc Arianam Hæresim sapit, quid ni dicamus etiam Ariano errore inquinatum Divum Joannem, qui in suo Evangelio (a) scribit: Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Clarius autem ejusdem S. Clementis orthodoxa fides comprobatur ex iis quæ eodem loco, sed paulo inferius in eadem pagina tradit: ait enim, Filium Dei esse circulum omnium potestatum, sive perfectionum, infinitum esse unaquaque suarum potestatum notione, esse immensum & æternum, ejusque existentiam nec initium habere, nec finem. Quæ omnia, dicam iterum, prædicari nequeunt, nisi de solo vero Deo. S. Clementis textum, in quo hæc habet, superius jam attulimus.

Pag. 9.

XII. Nec ullum negotium facessit, quod Sanctus Doctor appellet Verbum, Sapientiam creatam: constat quippe, græcam vocem, κτιστὸς, *Creatus*, apud antiquos Patres, illos præcipue qui ante Arianam Hæresim floruere, idem significare, ac vocem γεννητὸς, *genitus*. Animadvertit id Valerius in suis Notis super Eusebium: Certe veteres Theologi, inquit ille, ac præcipue ii, qui ante Concilii Nicæni tempora scripserunt, per vocabulum κτίζειν, non solum creationem intellexerunt, quæ ex nihilo fit, sed omnem generaliter productionem, tam quæ ab æterno esset, quam illam, quæ in tempore. Igitur S. Clemens intelligendus est de productione, sive generatione æterna, eo vel maxime, quia pulcherrima testimonia, quæ attulimus supra circa Divinitatem Verbi, ejusque Consubstantialitatem; id evincunt: ea autem in primis, in quibus docet, Filium Dei esse æternum, sicuti Pater æternus est, & non habere initium nec finem. Hæc omnia siquidem componi nequeunt cum phrasi de qua agimus, si accipiatur in sensu veræ creationis.

XIII. Majoris futurum est operis postremam solvere difficultatem, quæ ex iis verbis enascitur, *Natura Filii ... Omnipotenti conjunctissima*: Id enim quod proxime alicui accedit ut eidem conjugatur, ab eo sane differt: si igitur natura Filii proxime accedit, ac conjunctissima est naturæ Patris, prout tradit S. Clemens, consequens est juxta eumdem Sanctum Doctorem, quod natura Filii non sit natura Patris, ideoque quod Filius non sit Patri Consubstantialis. Verum si hanc fuisse mentem S. Clementis dicamus, quemadmodum contendunt hic adversarii; cur alio loco docet idem Sanctus Doctor, quod Pater & Verbum sunt unum, nempe Deus? ἓν γὰρ ἄμφω ὁ Θεός, cur docet, quod universorum Deus, unus solus est, bonus, justus, opifex, nempe Filius in Patre? ὁ υἱὸς ἐν πατρί; Cur exclamat, de Verbo sermonem instituens: O magnum Deum! ὢ τοῦ μεγάλου Θεοῦ! o perfectum puerum! Filius in Patre, & Pater in Filio! cur aperte aperit, Verbum Divinum manifestissime esse Deum, & universorum Domino exæquari? ὁ τῷ δεσπότῃ τῶν ὅλων ἐξισωθείς? Dicendum igitur est, nisi velimus S. Clementem sibimetipsi oppositum, non loqui hoc loco Sanctum Doctorem præcise de natura Filii, nec eamdem naturam ab eo considerari absolute, & prout in seipsa est; sed relative, sive personaliter, ut loquuntur scholæ, in quantum hypostasim significat. Vox enim φύσιν qua utitur Sanctus Clemens hoc loco, accipitur quandoque a veteribus sicuti vox ἰδέα, ad significandam Personam; & hujusce rei exempla occurrunt in pluribus Patribus ante & post Concilium Nicænum, ut videre est in Bullo, qui multa refert eorum loca, in quibus vox φύσις sumitur pro voce ὑπόστασις. Hoc posito, S. Clemens in allato loco nil aliud asserere vult, nisi quod Filius proxime accedit Patri: quod sane exacte dici potest, si Patrem consideremus veluti Divinitatis fontem, & principium Filii, quemadmodum docet Scriptura cum Patribus, qui ante & post Nicænum Concilium floruerunt. Verum ex iis quæ scribit Sanctus Doctor libro septimo Stromatum, evidenter eruitur, cum nunquam asserere voluisse, naturam Filii inferioris esse conditionis a natura Patris: ibi enim ait, quod Filius Dei nunquam a sua specula excedit, ut qui non dividitur, non dissecatur, non transit a loco ad locum, est autem semper ubique, & continetur nusquam: totus mens est, totus lux paterna, totus oculus, qui videt omnia, omnia audit, scit omnia, potestate scrutatur potestates: Ei subjecta est universa militia Angelorum, & Deorum. Quando hunc unice haberemus S. Clementis textum pro Divinitate Verbi, sat superque esset ad illustrandos quatuor modo explicatos. Cæterum, mente retinenda sunt quæ superius pluries dixi; videlicet, quod etsi Veteres exacte cogitaverint, & locuti sint de Verbi Divinitate, nihilominus admiserunt in illo quamdam subordinationem ad Patrem, quem habet veluti principium, & est fons ejus Divinitatis, cujus voluntati semper obtemperavit, tam ante, quam post Incarnationem. Hac solummodo de causa Veteres appellaverunt Filium, Ministrum Patris; non quod crederent in Patre naturam eminentiorem. Sed ad alia transiliamus.

Pag. 702.

CAPUT QUINTUM.

DE INCARNATIONE VERBI.

I. HIs prælibatis quæ docet S. Clemens de Divinitate ac Consubstantialitate Verbi, naturalis rerum agendarum ordo postulat, ut ea afferamus modo hujus Patris testimonia, quæ respiciunt Incarnationem: quæ quidem cum breviora sint, ut valeant integrum caput constituere, hinc ad calcem quemdam textum de Sancta Virgine adnectemus, cum hæc materia essentialem dicat cum Incarnationis mysterio connexionem. Quod Verbum Caro factum sit, quod propter nostram salutem, nostram propriam carnem induerit, veritas est, quam pluribus suorum Operum locis tradit Sanctus Doctor; præcipue vero in sua Cohortatione ad Gentes, in qua urget miros hujusce Incarnationis effectus. Ingens discrimen intercedere ostendit inter Orphei illecebras, cæterorumque Ethnicorum Cantorum,

(a) Cap. 1. v. 18.

II. & III. Sæculum.

torum, & suaves modos Jesu Christi. Illi prætextu Musicæ labefactarunt humanam vitam, & carminibus suis pulchram hominum libertatem extremæ servituti illigarunt: quin immo mores corruperunt, & ad Simulacrorum cultum gentes converterunt. *Sed non talis est meus Cantor* (Jesus Christus), inquit egregie Sanctus Presbyter: ille enim, ut servitium dæmonum crudeliter dominantium brevi dissolveret, advenit: nos autem ad mite & facile jugum pietatis traducit, humique abjectos ad cœlum revocat. *Has ergo omnes immanissimas feras, ipse cœlestis cantus in mansuetos homines transformavit* .... Vide, prosequitur S. Clemens, *quantum potuerit novum (Servatoris) Canticum; homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris .... Hi autem qui erant alioqui ut mortui .... postquam cantici solum fuerunt auditores, revixerunt.* Cœleste hoc Canticum cæcis visum restituit, surdis aures aperit, & claudos atque errantes in viam justitiæ deducit, Deum inspicientibus monstrat, corruptionem tollit, mortem vincit, filios denique immorigeros Patri reconciliat. Hanc S. Clemens nobis proponit ideam de effectibus Incarnationis.

Effectus Incarnationis. Cohort. ad Gentes. Pag. 1. 2. & 3.
Pag. 4.
Pag. 5.

II. Quoad Mysterium Incarnationis in seipso acceptum, duas docet veritates æque necessarias S. Clemens, videlicet in Jesu Christo duas fuisse naturas, & unam personam. Eum asseruisse duas naturas, Divinam, & humanam in Jesu Christo, apertissime constat ex superius allato ejus testimonio, in quo hortatur Gentes, ut credant Jesu Christo, Deo & homini, qui passus est in sua humanitate, & adoratur in sua Divinitate: *Crede homo homini & Deo .... qui passus est & adoratur.* Filius Dei est immensus, æternus, infinitus in suis perfectionibus; est solus Deus cum Patre, sicuti superius probatum est, ergo est verus Deus. Incarnatus est, natus ex Virgine, passus, mortuus, ut pluribus in locis suorum Operum docet S. Clemens, quæ hic afferre opus non est, cum infra afferenda sint. Æque igitur est verus homo, ideoque duas habet naturas, Divinam, & humanam.

Duæ Naturæ in Jesu Christo. Pag. 66.

III. Verum duas has naturas in una Persona subsistere docet Sanctus Presbyter, ut primo loco evincitur ex allatis modo ejusdem verbis: *Qui* (Jesus Christus, qui est Deus & homo) *passus est, & adoratur.* „ Apparuit, scribit alio loco, qui olim erat, Servator: apparuit qui ens est in ente .... Verbum, „ quod apud Deum erat, & a quo facta sunt omnia, „ Præceptoris habitu apparuit .... Et qui tanquam „ Opifex mundi vitam nobis in prima Creatione dedit, præceptoris habitu sumpto, bene vivendi rationem nos docuit, ut postea tanquam Deus æternam vitam largiatur .... Noster autem Pædagogus, Sanctus Deus Jesus, ἅγιος Θεὸς Ἰησοῦς. Ipse benignus & clemens Deus, est Pædagogus „ .... *Dominum Jesum dico, qui omnipotente voluntate sua cordium nostrorum inspector est.* Omnia hæc Unitatem Personæ in Jesu Christo clare demonstrant: dici enim nequit, quod Jesus Christus sit Deus & Homo; quod passus sit & adoretur; quod qui erat Deus, factus sit homo; quod homo hic sit Sanctus Deus, & omnipotente sua voluntate corda nostra inspiciat, quin in eodem Jesu Christo eam admittamus, quam Theologi appellant Unionem Hypostaticam, & communicationem Idiomatum, ideoque quin unitatem Personæ in illo admittamus.

Unica Persona in Jesu Christo. Ibid.
Pag. 5.
Lib. 2. Pædag. c. 7. Pag. 109.
Lib. 9. Stromat. Pag. 718.

IV. Quidam textus occurrit in S. Clemente circa Verbum, qui primo aspectu Lectorem morari posset, quippe videtur docere, quod Verbum sepultum sit una cum Jesu Christo: *Vivens enim Verbum & una cum Christo sepultum, una cum Deo extollitur.* Verum Dominus Ceillier (a) peroptime animadvertit, hunc esse verum horum verborum sensum; quod Jesus Christus, in quo Verbum hypostatice copulatum erat naturæ humanæ, mortuus est & sepultus secundum hanc naturam, & secundum hanc eamdem naturam humanam resurrexit virtute Naturæ Divinæ: quod quidem ostendit eodem tempore & distinctionem duarum naturarum, & unitatem personæ. Huic animadversioni addamus, quod nullam difficultatem creare possunt hæc verba Sancti Clementis, quasi Divinitatem Servatoris morti subjiceret; audivimus enim supra Sanctum hunc Doctorem de æternitate Verbi disserentem, ac docentem, quod Verbum est absque initio, & absque fine; insuper, *Verbum perenne, ævum infinitum, lucem æternam* illud appellat. Quando ait igitur, quod Verbum sepultum est una cum Christo, id unum significare vult, Verbum ratione hypostaticæ unionis cum humana natura, sepultum esse, & resurrexisse secundum hanc eamdem naturam. Quod sane consentaneum est fidei Ecclesiæ circa Personam Jesu Christi.

Explicatio cujusdam textus S. Clementis circa Verbum. Cohort. ad Gentes. Pag. 96.

(a) Tom. II. Hist. Auct. Eccles. pag. 298.

V. Ut ostendat S. Clemens, adimpletum esse Vaticinium Danielis de adventu Messiæ, supputat rationem temporum usque ad Regnum Vespasiani, & numerat quatuor centum octoginta sex annos & menses quatuor. Servatorem ortum dicit anno vigesimo octavo Regni Augusti; ejus Baptismum vero, ac prædicationis initium, decimoquinto Tiberii anno contigisse scribit. Narrat, quod Basilidiani celebrabant memoriam Baptismi Jesu Christi, transigentes in lectionibus noctem quæ præcedit hujus solemnitatis diem. Ait Præterea, Jesu Christi humanitatem nullis vitæ necessitatibus fuisse subjectam; & ideo Christum comedisse, non ut corpus aleret, quod nullo indigebat cibo, sed ne eis, qui cum eo vescebantur, in mentem veniret de eo aliter sentire, sicut postea quidam existimarunt Hæretici. Verum quod subjungit idem Sanctus Doctor: *Ipse* (Servator) *autem prorsus passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, neque dolor*, difficultatem involvit; & hinc veritas passionis Jesu Christi salvari nullo pacto posset, nisi idem Sanctus Presbyter difficultatem tolleret, aperte declarans alio loco, Jesum Christum vere in propria carne passum esse, & sensibilem fuisse ejusdem carnem. Itaque verba illa, *expers prorsus passionis &c.* intelligenda sunt de potestate, quam exercebat Servator in hujusce generis passiones: discrimen enim hac super re admitti debet inter Dominum, & cæteros homines. In cæteris hominibus ut plurimum passiones præveniunt eorum voluntatem, ac dominantur potentiis animæ, ipsis etiam quandoque invitis; cum e contra Jesus Christus passionibus perfectissime dominaretur. Si fame vel siti laborabat ille, voluntarie id fiebat, cum sine cibo potuque vivere posset, quemadmodum S. Clemens superius innuit. Si patiebatur, absque necessitate id erat, cum liberum ei esset non pati. Solum igitur in hoc sensu dici potest, quod prorsus passionis expers erat Jesus Christus, & quod nullus eum subibat affectionis motus, neque voluptas, neque dolor, quia videlicet omnia hæc voluntarie patiebatur, absque necessitate, & virtute suæ Divinitatis omnibus passionibus dominabatur, easdem excitans, vel ad nihilum redigens, prout beneplacitum erat ei.

II. & III. Sæculum.
Nativitas Salvatoris. Lib. 5. Stromat. pag. 337. pag. 339. 393. 340.
Ibid.
Humanitas Jesu Christi necessitatibus vitæ nequaquam obnoxia. Lib. 6. Stromat. pag. 649.
Ibid.
Ibid. pag. 677.
In quo sensu dici possit, Jesum Christum passionibus hujus vitæ obnoxium non fuisse.

VI. Sicuti docet S. Clemens in suo Pædagogo, quod solius Dei est nullo modo peccare: *Optimum quidem est nullo modo peccare penitus, quod Dei esse dicimus*: hinc ait eodem loco, quod Jesus Christus est solus Judex hominum, eo quia solus est, in quem peccatum non cadit: *Propterea enim vel solus est Judex, quod solus sit, in quem peccatum non cadit* ... *In quem*, ait etiam paucis interjectis, *nullum omnino cadit peccatum.* Hinc declarat in suis Stromatis, nescire se, an ullus unquam fuerit homo perfectus in omni genere perfectionum, illo excepto, qui propter nos factus est homo; *In omnibus autem perfectus, nescio an ullus sit, qui est adhuc homo, nisi solum is, qui propter nos induit hominem.* Habes modo notabiliora quæ occurrunt in S. Clemente quoad Incarnationem.

Jesus Christus solus inter homines, in quem peccatum non cadit. Lib. 1. Pædag. c. 2. p. 80. Lib. 6. Stromat. pag. 525.

VII. De Sancta Virgine Dei Genitrice pauca habet Sanctus Doctor, cum nulla ei se præbuerit occasio de ea disserendi, quemadmodum pluribus disseruerunt alii Patrum. Id unice animadvertendum venit, eum rejicere opinionem eorum, qui asserebant, Mariam Servatorem more cæterarum mulierum peperisse: *Multis*, inquit ille in suis Stromatis, *in hodiernum diem videtur Maria esse puerpera propter ortum Filii, cum non sit puerpera.* Oppositam sententiam, quæ est sententia Ecclesiæ confirmat auctoritate quorumdam, qui dicebant, Mariam, postquam peperisset, inspectam ab obstetrice, inventam fuisse Virginem: *Quidam enim dicunt, eam postquam peperisset, inspectam ab obstetrice, inventam fuisse Virginem.* Quidquid sit de hac Historia, quam ego lubentissime fabulis accenseo, constat tamen, S. Clementem credidisse Mariam, Virginem ante, & post partum.

Virginitas perpetua Mariæ. Lib. 7. Stromat. Pag. 756.

CAPUT SEXTUM.

DE SACRAMENTO BAPTISMI, CONFIRMATIONIS, EUCHARISTIÆ, ET MATRIMONII.

I. EX omnibus Incarnationis effectibus majorem præstant utilitatem Sacramenta novæ Legis: & licet vetustiores Patres occasionem de iis disserendi minime nacti sint; nihilominus aliqua testimonia ea eorum operibus eruuntur ad confirmandam hac super re Ecclesiæ fidem. S. Clemens inter cæteras aliqua

II.&III. SÆCULUM.

Excellentia & efficacia Baptismi Christianorum. Lib. 1. Pedagog. c. 6. p. 93.

quæ habet haud levis momenti de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, & Matrimonio. Quoad Baptismum docet primo loco, quod proprietas seu qualitas infantium, quam in regenerationis lavacro recipimus, gloriosissima nobis est, & nequaquam accenset nos imperfectis, quemadmodum nonnulli tunc temporis opinabantur; sed potius elevat nos ad ipsius perfectionis apicem. *Statim itaque regenerati*, ait ille, *recepimus perfectionem*. Ostendit deinde utilitates, ac prærogativas Baptismi, & docet, Divinam hanc regenerationem illuminare nos lumine fidei: *Tincti illuminamur*; nosque sic illuminatos, adoptari in filios Dei: *illuminati, in filios adoptamur*; post hanc adoptionem dari perfectionem: *Adoptati perficimur*; post perfectionem, immortalitatem: *Perfecti, immortales reddimur*.

Remissio peccatorũ in Baptismo. Pag. 95.

II. Alter Baptismi effectus, prout docet Sanctus Presbyter, est remissio omnium peccatorum, quæ ante hoc Sacramentum patrata sunt: *Cum nimirum remittantur peccata uno medicamento pœonio, nempe rationali Baptismo. Omnia ergo peccata*, concludit illico, *eluimus* (Baptismo), *& a vestigio mali non sumus amplius: una enim est hæc gratia illuminationis* (hoc est, una tantum vice Baptismi Sacramento initiari possumus), *quod non sunt idem mores, qui erant antequam lavaremur*. Verba hæc attente consideranda sunt; ibi enim aperte traditur, quod remissio peccatorum, & morum immutatio, quæ omnia in nobis operatur Jesu Christi Baptismus, non sunt gratiæ transeuntes, quæ ad minimam tentationem dispellantur, sed gratia habitualis perseverans, uno verbo id quod appellatur justitia Christiana, quæ cum relapsibus & peccatis consistere nequit. Multis autem modis, ait

Varia nomina, & utilitates Baptismi. Pag. 93.

præterea S. Clemens eodem loco, loquens de Baptismo, vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum, & lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus. *Gratia autem, qua remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur*. Illuminatio autem per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur, hoc est, per quam Deum perspicimus: Perfectum autem dicimus, cui nihil deest (videlicet, quia post Baptismum nobis nihil deest). Quid enim ei desit, qui Deum novit? Est enim revera absurdum, Dei vocari gratiam, quæ non sit perfecta, & undequaque plena.

Baptismus Justorum, qui ante Incarnationem decesserunt. Lib. 2. Stromat. pag. 379.

III. S. Clemens adeo necessarium ad æternam salutem credebat Baptismum, ut ex auctoritate Pastoris narret, Apostolos, & Doctores qui prædicarunt nomen Filii Dei, etiam cum dormivissent, potestate & fide prædicasse iis, qui prius (ante Incarnationem) dormierant; & dedisse iis signaculum prædicationis, hoc est Baptismum. Eadem Pastoris verba profert, nec tamen ei vel minimum opponit: hinc credimus eum in eodem sensu hunc Pastoris locum intellexisse, ac nos suo loco, non de vera ac reali aqua Baptismi, sed de effectu hujus Sacramenti; sive potius de quodam Baptismo mystico & spirituali, uno verbo, de quodam Baptismo metaphorico, qualis convenire poterat animabus a corpore separatis: incredibile quippe est, vel Pastorem, vel S. Clementem in diverso sensu doctrinam illam tradidisse, quasi relpsa animæ illæ sacris undis ablutæ sint: id enim esset contra rectam rationem ac rectum opinandi modum. Ad Appendicem de disciplina remittimus Doctrinam S. Clementis de trina immersione, quæ ejus ævo vigebat.

Sacramentum Confirmationis. Lib. 1. Pædagog. c. 6. p. 96.

IV. Aliqua extant vestigia quoad Sacramentum Confirmationis, 1°. In uno ex supra allatis testimoniis circa Baptismum: ibi enim ait Sanctus Presbyter, quod adoptati in filios Dei per Baptismum, postea perficimur: *adoptati perficimur*: quod sane videtur connotare Confirmationem, quam veteres communiter appellabant perfectionem, vel ex eo quod perficiebat, ut ita dicam, Baptismum, cum tunc temporis esset ejus veluti complementum; vel quia præcipuus ejus effectus est, efficere nos perfectos Christianos. 2°. Videtur insuper loqui S. Clemens de hoc Confirmationis Sacramento in historia quam narrat de quodam adolescente, quem cum Divus Joannes Apostolus invenisset in urbe quadam haud procul ab Epheso distante, Episcopo loci commendavit: Episcopus adolescentem sibi traditum in domum suam suscipiens, educando, continendo, fovendo operam dabat: ac tandem sacro Baptismate initiavit. Verum deinceps de pristina cura atque custodia parum remisit Episcopus; quippe perfectum ei tutamen, a quo cautum omnino foret, Domini signaculum, tradiderat: *Deinceps Sacerdos*, inquit S. Clemens, *de pristina .... custodia paulatim remisit, ut qui perfectum ei tutamen .... Domini signaculum adhibuisset*. Postremis his verbis in-

Tractatus Quis dives, &c. num. 42. Tom. II. Biblioth. Patrum. pag. 226.

(a) Cap. 14. v. 18. 19.
(b) Lib. 16. De Civit. Dei, cap. 28.
(c) Cap. 7.

II.&III. SÆCULUM.

Lib. 2. Stromat. pag. 363.

digitari Sacramentum Confirmationis aliqui putant. 3°. Magis autem apertum est quod tradit Sanctus Doctor in suis Stromatis, ubi videtur perspicue distinguere Baptismum & Confirmationem his verbis: *Quare nec amplius Baptismus rationi consentaneus, nec beatum signaculum &c.* Hanc deducit illationem ex errore Basilidianorum, & Valentinianorum circa fidem & liberum arbitrium. Hæc sunt quæ adinvenire potui in S. Clemente quoad Sacramentum Confirmationis: ac opinor quidem, Sanctum hunc Doctorem in postremo textu vere de hoc Sacramento sermonem habere.

Eucharistiæ Sacrificium. Lib. 4. Stromat. pag. 539.

V. De Eucharistia pluribus differit S. Clemens: verum præcipua tantum ejus testimonia proferam. Primo loco habet: *Melchisedech rex Salem, Sacerdos Dei altissimi, vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ*. Extra omnem dubitationis aleam positum est, S. Clementem referre Doctrinam hanc ad ea Geneseos verba: At vero Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum erat enim Sacerdos Dei Altissimi, benedixit ei (Abrahæ) &c. (a) Verum Ecclesia superno lumine illustrata, ut inquit S. Augustinus, oblationem hanc vetustissimam panis & vini perpetuo habuit veluti figuram ac typum augusti hujus sacrificii (b). Constans igitur ac firmum est, hunc S. Clementis locum intelligi debere de sacrificio Eucharistico, eo vel maxime quia veteres, qui ante ipsum floruere, in eodem sensu ea Geneseos verba interpretantur, nec unquam in diverso; ideoque semper docuere, iis verbis sacrificium novæ legis præsignari, cujus typum gerebat sacrificium Melchisedech. Eamdem interpretationem videre est in Epistola Divi Pauli ad Hebræos. (c)

VI. Æque autem dubitari nequit, quin Sanctus Alexandrinus Presbyter interpretetur de Eucharistiæ sacrificio quemdam Malachiæ locum, in quo Deus sic loquitur (d): *Sacrificium non accipiam ex manibus vestris, quoniam ab ortu Solis usque ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus, & in omni loco mihi offertur sacrificium*: Cujusmodi nomen? inquit

Lib. 6. Stromat. pag. 613.

S. Clemens: in iis quidem qui crediderunt, Filius Patrem significat. Mirum nemini videri debet, S. Clementem pauca adeo de Eucharistia dicere, cum ex una parte nullam nactus sit occasionem differendi de ea *ex professo*, ex altera vero parte cavebat, ne summopere mysteria panderet, nisi extrema ad id cogeret necessitas. Nonnulla quidem consulto prætermitto, ait

Lib. 1. Stromat. pag. 276.

ille, timens scribere quæ etiam cavi dicere; non utique invidens (neque enim fas), sed iis metuens, qui in ea inciderint, ne in aliam forte partem accipientes laberentur, & *puero gladium*, ut dicunt qui proverbiis utuntur, *præbere* inveniremur. „Hæc mihi

Pag. 287.

„ erant impedimento, addit ipse, quo minus scriberem, & nunc adhuc vereor, ut ait, ante porcos „ jacere margaritas, ne eas conculcent pedibus, & „ conversi nos lacerent (e): est enim difficile de vero lumine vere puros & perspicuos declarare ser„ mones suillis & indoctis auditoribus. „ Dicendum igitur, hæc in caussa fuisse, cur Sanctus Doctor parce admodum ac moderate de quibusdam mysteriis locutus sit, præcipue vero de Eucharistia; hoc quippe mysterium primis Ecclesiæ sæculis, fidelibus tantum manifestabatur, iisque qui poterant inde multum proficere.

Explicatio quorumdam textuum S. Clementis circa Sacrificium. Lib. 7. Stromat. Pag. 707.

VII. Antequam ea proferamus testimonia, quæ de reali præsentia loquuntur, explicari debent nonnulli textus, quibus abuti quis posset contra veritatem sacrificii Eucharistici. „ Propter quam caussam, scribit „ ille, merito nos Deo non sacrificamus, qui nullius „ indiget, & omnia præbuit hominibus: sed eum „ glorificamus, qui est pro nobis sacrificatus, nos „ ipsos sacrificantes .... Deus enim sola nostra salu„ te delectatur. „ *Merito ergo*, ait iterum, *ei non offerimus sacrificium*. Perperam autem ex his concluderet quisquam, S. Clementem non admittere sacrificium Eucharisticum in nova lege: agitur enim ibi de sacrificiis exterioribus veteris Testamenti, necnon de sacrificiis Ethnicorum; quibus rejectis, Deus in nova lege delectatur sacrificiis interioribus & spiritualibus, quæ ei nos ipsos sacrificantes offerimus. Probatur autem S. Clementem loqui eo loco de sacrificiis legalibus, sive etiam profanis, probatur inquam ex eo, quod postquam dixit, *Sacrificium ei* (Deo) *non offerimus*; hanc subjungit rationem: Nullius ergo indiget Deus, nec capitur voluptate, nec est lucri aut pecuniæ cupidus, neque donariis, neque rursus gloria & honore Deus invocatur, neque aliis hujusmodi allicitur; sed solos viros bonos & honestos exaudit. Hæc

autem

(d) Cap. 1. v. 10. 11.
(e) Matth. cap. 7. vers. 6.

II. & III. SAECULUM.

autem ratio locum non habet quando agatur de sacrificio Eucharistico, in quo non habetur voluptas, vel lucrum, vel pecunia, vel donarium, vel gloria, vel honor; sed sola oblatio invisibilis & spiritualis Jesu Christi, qui visibiliter semetipsum in Cruce obtulit sacrificium Deo Patri: igitur in allato textu sermo unice est de sacrificiis Judaicis vel profanis, quibus omnes istæ circumstantiæ reipsa conveniunt. Cæterum, præ oculis habeantur quæ supra exscripsi S. Clementis verba, sacrificium scilicet Melchisedech fuisse typum Eucharistiæ: quod quidem nemo unquam dicere poterit, quin suscipiat Eucharistiam veluti verum sacrificium: nec mirum videatur, si quandoque loquitur allegorice de illo Sanctus Presbyter, ob momenta paulo supra recensita. Veteres enim, dicam iterum, summopere cavebant pandere mysteria, ne, ut ait Sanctus ipse Clemens, profani pedibus conculcarent sacras hasce margaritas, iisque contra fideles abuterentur. Quando necessitas urgebat ut scriberent, figurate plerumque scribebant, ac rerum sensum ita velabant, ut soli Christiani possent traditam Doctrinam perfecte assequi. Hujusce rei exemplum fortasse habemus in iis quæ scribit Sanctus Alexandrinus Presbyter haud multum per textum in controversiam positum: ait enim: *Non abs re nos precibus Deum honoramus, & hoc sacrificium optimum & sanctissimum cum justitia emittimus, justissimo verbo eum honorantes, per quem accipimus cognitionem.* Ego enim vehementissime propendo ut credam, sermonem hoc loco fieri de sacrificio Eucharistico, 1°. ratione græcæ vocis διʼ εὐχῆς, quam fortasse adhibet Sanctus Presbyter, ut significet Liturgiam, sive preces Missæ: 2°. quia dicit, nos in hoc Sacrificio honorare Deum per verbum suum: quod quidem mirum in modum Eucharistico sacrificio convenit.

Lib. 7. Stromat. Pag. 717.

VIII. Fidem suam de præsentia reali Corporis & Sanguinis Jesu Christi in Eucharistia aperte ostendit S. Clemens in suo Pædagogo scribens, quod qui per fidem participes sunt hujus Sacramenti, *sanctificantur corpore & anima* per cooperationem Verbi, & Spiritus Sancti. Tradit insuper, quod alimenta, quæ in Eucharistia recipimus, sunt Corpus & Sanguis Domini: *Hæc convenientem alimentum nobis suppeditat Dominus, & carnem præbet, & effundit sanguinem.* Præterea docet, quod Dominus, *veterem & carnalem nos jubet exuere corruptionem, quemadmodum & vetus nutrimentum; alterius autem novæ Christi diætæ effectos participes, illum, si fieri possit, recipientes, in nobis ipsis reponere, & Salvatorem intra pectus condere* ἐν ἑαυτοῖς ἀποτίθεσθαι, καὶ τὸν Σωτῆρα ἐνστερνίσασθαι, *ut carnis nostræ affectus componamus.* Quod autem subjungit idem Sanctus Doctor ut explicet hæc verba Jesu Christi, *Comedite meam Carnem, & bibite meum Sanguinem,* (a) egregie ejus fidem orthodoxam ostendunt circa Dogma de reali præsentia: Carnem, inquit ille, nobis allegorice Sanctus significat Spiritus; ab ipso enim caro fabricata est: Sanguis Verbum nobis designat.

Præsentia realis Corporis & Sanguinis Jesu Christi in Eucharistia. Lib. 1. Pædagog. cap. 2. p. 151. Lib. 1. cap. 6. p. 101.

Ibid.

IX. In dubium revocari nequit, quod in superius allatis testimoniis loquitur S. Clemens de præsentia vere reali: ibi enim aperte & formaliter declarat, quod quando participes sumus Eucharistiæ, in nobis ipsis reponimus Jesum Christum, hoc est, ut illico seipsum explicat, condimus *intra pectus*: insuper quod Eucharisticum alimentum est Caro & Sanguis Domini: *Carnem præbet, & effundit sanguinem*: tandem quod qui per fidem participes sunt hujus Sacramenti, sanctificantur corpore, & anima. Omnia hæc certo supponunt præsentiam realem Corporis & Sanguinis Jesu Christi, & difficillime verba hæc conciliari possent cum sensu figurato Hæreticorum nostri hujus ævi. Cæterum Sanctus Presbyter tradere videtur, quod materia hujus Sacramenti, quoad Sanguinem Domini, est vinum aquæ immixtum; idque eruitur ex capite secundo secundi libri Pædagogi. In Stromatis textus quidam occurrit respiciens distributionem Eucharistiæ, illum autem perpendemus, quando de Disciplina erit sermo.

pag. 131.

X. Sicuti S. Clementis ævo plures aderant Hæretici, qui Matrimonium damnabant, & tanquam peccatum illud traducebant; hinc mirari nemo debet, si prolixum sermonem de hoc argumento instituat in Pædagogo, & in Stromatis. 1°. Matrimonium sic definit: *Est ergo Matrimonium prima legitima viri & mulieris conjunctio, ad liberorum procreationem.* Dicit 2°. Conjunctionem σύνοδος ... ἡ πρώτη, quia, juxta ipsum secundæ nuptiæ considerandæ potius sunt veluti quædam fornicatio, quam ut verum Matrimonium, etsi alio loco easdem permittat: *Fornicatio*, inquit, *est ab uno Matrimonio ad plura prolapsio.* Hæc est, ut mihi videtur, ratio, propter quam definit Matrimonium, primam conjunctionem. Addit *legitima*, sive secundum legem κατὰ νόμον, ex quo eruitur, primis sæculis quasdam conditiones extitisse, quæ servari debebant ad contrahendum verum Matrimonium Ecclesiasticum. Quod tandem ait, *ad liberorum procreationem*, ostendit finem, quem sibi proponere debent qui Matrimonio junguntur, & quomodo eodem uti, ac intra quos limites contineri. Alio loco de hoc argumento fusius disseremus.

Definitio Matrimonii. Lib. 2. Stromat. pag. 421.

Lib. 3. Stromat. pag. 484.

XI. Etsi S. Clemens expresse non asserat, Matrimonium esse Sacramentum novæ legis, certum nihilominus est, quod uti Sacramentum illud suscipit, cum ejus Divinam institutionem recognoscat, necnon gratiam sanctificantem. *Quomodo autem*, ait ille quoad primam partem, *vetus quidem est solum Matrimonium, & legis inventum: alienum autem est quod est ex Domino Matrimonium,* ὁ κατὰ τὸν Κύριον γάμος, *cum idem Deus servetur a nobis?* Loquitur adversus Tatianum, Continentium Ducem ac veluti caput, qui opinabantur, Matrimonium permissum non fuisse, verum inquam Matrimonium, nisi in veteri lege, minime autem in nova. Iste Hæresiarcha, prout refert S. Clemens, hunc errorem docebat in quodam Tractatu, cui titulus: De Perfectione secundum Salvatorem; hoc est, de Perfectione Christiana, sive Evangelica. Verum Sancto Alexandrino Presbytero præsto sunt momenta plura, eaque validissima, quibus errorem hunc refellit.

Institutio Divina Matrimonii. Lib. 3. Stromat. Pag. 461.

Pag. 460.

XII. Itaque cum Matrimonium sit institutionis divinæ, consequens est, quod sit etiam sanctum. Si autem, inquit Sanctus Doctor, peccatum est Matrimonium, quod secundum legem initur, nescio quomodo quis dicet se Deum nosse, dicens Dei jussum esse peccatum: *Quod si Lex sancta est, sanctum est Matrimonium. Sanctificatur itaque*, ait alio loco, loquens de Matrimonio novæ legis, *etiam quod per Verbum perficitur Matrimonium, si conjugium se Deo submittat, & cum vero corde administretur in fidei certitudine.* Tradit insuper, quod mulieres Matrimonio conjunctæ, sanctæ esse possunt in Domino, non secus ac virgines: *Ambo enim sunt sancta in Domino: hæc quidem ut uxor; illa vero ut virgo.* Verba hæc; *Mulier Matrimonio juncta sancta est, ut uxor*, ἡμῶν γὰρ ἅγια ἐν Κυρίῳ ἡ μὲν, ὡς γυνὴ, aperte ostendunt, S. Clementem alligare Matrimonio gratiam sanctificantem. Habemus igitur in Sancto hoc Doctore & institutionem divinam Matrimonii, & gratiam sanctificantem, ideoque verum novæ legis Sacramentum, fatetur quippe alio loco, Matrimonium esse signum sensibile, illudque definit, *conjunctionem viri & mulieris*, ut supra vidimus.

Sanctitas Matrimonii. Ibid. pag. 465.

Lib. 4. Stromat. Pag. 524.

Lib. 3. Stromat. Pag. 464.

XIII. Ex momentis, quibus Continentes tuebantur suos errores circa Matrimonium, præcipuum sumebant ex quodam colloquio Salvatoris cum Salome: ait enim Jesus Christus: Veni ad dissolvendum opera fœminæ: interrogat autem Salome: Quousque morientur homines? Et Dominus respondet: *Quoadusque vos mulieres paretis.* Verum Sanctus Alexandrinus Presbyter paucis hanc objectionem refellit; ostenditque, hujusmodi opera mulierum, nil aliud esse quam opera cupiditatis, ut sunt avaritia, contentio, gloriæ cupiditas, & alia hujusce furfuris vitia, quæ omnia reipsa Jesus Christus dissolvit; minime vero ortum & vitam temporalem creaturarum, cum perdurare debeant usque ad sæculorum consummationem. Quoad mortem vero, de qua sermo est secundo loco; id intelligi debet de morte omnino spirituali, quæ per peccatum originale acquiritur. Hæc sunt validiora Continentium argumenta, quæ in nihilum redigere poterat Sanctus Doctor uno verbo, quemadmodum reponit alio loco ad fere similem fabellam: In nobis traditis quatuor Evangeliis, inquit ille, non habemus hoc dictum, sed in eo, quod est secundum Ægyptios. Idipsum reponere potuisset Sanctus Presbyter, absque eo quod insudaret explicando in sensu orthodoxo verba, quæ Continentes ex auctoritate cujusdam libri apocryphi, Jesu Christo adscribebant.

Fabella Continentium circa Matrimonium. Lib. 3. Stromat. pag. 452. 453. & 455.

Lib. 3. Stromat. pag. 465.

XIV. Matrimonium igitur, prout docet S. Clemens, permissum est: at æque permittitur juxta ejusdem Doctrinam cælibatus. Hortatur solummodo eos, qui cælibem vitam amplectuntur, ne id peragant ex alienatione ad Matrimonium, ac si malum esset, & in novo Testamento vetitum. Mandat insuper, ne id faciant ad vitandam sollicitudinem, quam causare habet regimen familiæ, & quædam impedimenta ad salutem, quæ quis in eo statu sibi obvenire posse crederet: quin immo hunc agendi modum appellat oppositum

Adversus eos, qui a Matrimonio abstinent prætextu difficultatis, quæ illud comitantur. Ibid. Pag. 454.

(a) Joann. cap. 6.

II.&III. SÆCULUM.

positum Doctrinæ Christianæ, inhumanum, ac charitate destitutum: *Qui prætextu Matrimonii difficultatum ab eo abstinuerunt, non convenienter sancta cognitione, ad inhumanitatem & odium hominum defluxerunt, & periit apud ipsos charitas.* Hæc veluti necessitate urgente scribere debebat Sanctus Clemens, cum res illi esset cum Hæreticis, qui Matrimonium horrebant, veluti rem malam, & Evangelicæ perfectioni oppositam.

Lib. 3. Pag. 464.

XV. Ostendit autem se non minoris æstimare cælibatum, quam Matrimonium, cum dicat, utrumque æque permissum esse, dummodo recta, & qualis Christianum decet intentio, non desit; & alio loco declaret, mulierem matrimonio junctam sanctam esse posse in proprio conjugii statu, æque ac sancta esse potest virgo in proprio statu virginitatis. In sectione morum de hoc fusius disseremus. Id unice modo dicendum superest, S. Clementem permissas credidisse secundas nuptias, ut constat ex multis ejus operum locis, præcipue vero ex illo libri tertii Stromatum, ubi ad secundas nuptias id refert, quod Apostolus solum in genere docuisse videtur melius est nubere, quam uri (a): *De secundis autem nuptiis*, inquit Sanctus Doctor; *si ureris*, inquit *Apostolus*, *jungere Matrimonio*. Insuper alio loco tradit, non peccare contra Dei legem eum, qui secundas nuptias contrahit, cum a lege vetitæ non sint: *Nam hic quoque non peccat ex Testamento, non est enim a lege prohibitus:* Subjungit autem, secundas nuptias ab Evangelica perfectione distare: *Non implet autem summam illam vitæ perfectionem, quæ agitur ex Evangelio.* Nemini mirum videri debet, quod S. Clemens hæc scribat, si meminerit quæ superius diximus, eum scilicet habere secundas nuptias veluti quamdam fornicationem, ac ab idea veri matrimonii Christiani eas expungere.

Secundæ Nuptiæ permissæ. Lib. 3. Stromat. Pag. 428.

Lib. 3. Stromat. Pag. 461.

XVI. Hæc sunt quæ in S. Clemente occurrunt quoad Matrimonium, in quantum respicit Dogma: cætera videbimus, veluti suo proprio loco, quando de moribus erit sermo. Quod attinet ad Sacramentum Ordinis, fere nihil in illo legitur. Hoc unum hac super re notandum est, quod loquitur solummodo de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis; & distinguere videtur Episcopatum a Presbyteratu. *Nam hic quoque in Ecclesia*, inquit ille, *progressiones Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum sunt .... imitationes gloriæ angelicæ*; hoc est, cœlestis Hierarchiæ.

Differentia inter Episcopatum, & Presbyteratum. Lib. 5. Stromat. Pag. 667.

CAPUT SEPTIMUM.

DE ANGELIS, DE GLORIA SANCTORUM, DE IMAGINIBUS, ET DE PURGATORIO.

I. PLures extant in Divo Clemente textus ab invicem sejuncti, qui Angelos ac Dæmones respiciunt: ego autem eos solummodo afferam, qui majoris mihi visi sunt momenti. Docet S. Doctor primo loco de Angelis, Platonem credidisse, juxta Scripturarum Doctrinam, quod Angeli præsto sunt nobis, ac de nobis solliciti sunt; necnon quod unusquisque nostrum habet Angelum sui custodem, qui Dux sit in via, & stimulus ad virtutem: docet insuper, Deum per ministerium Angelorum inferiorum Græcis dedisse sapientiam: *Hic est*, inquit ille, *qui dat Græcis sapientiam per inferiores Angelos ... Sunt enim*, statim subjungit, *jussu divino & antiquo per Gentes distributi Angeli*: hinc ait, alios præesse ascensui hominum in cœlum: *Qui præsunt ascensui*; alios vero a firmamento ad nos usque collocatos esse, ut nos serventur: *In summo fine ejus quod apparet, beati positi sunt Angeli, atque adeo usque ad nos ipsos, alii sub aliis sunt collocati, qui ex uno, & per unum servantur & servant.* Præterea tradit, per Gentes & Civitates distributas esse Angelorum præfecturas; & fortasse eos deputatos esse singulis Gentibus & Civitatibus: *Fortasse autem ex iis sunt deputati singulis*: & virtutem divinam præbere nobis bona per Angelos, sive videantur ipsi, sive non videantur: *Etenim divina virtus præbet bona per Angelos, sive videantur, sive non videantur*: tandem, verum Gnosticum orare cum Angelis; & licet videatur solus orare, nihilominus habere horum Beatorum Spirituum chorum assistentem: *Quin etiam precatur cum Angelis ... & licet oret solus; habet chorum Angelorum una assistentem.* Deprehenditur ex his omnibus Angelorum sollicitudo circa terrena hæc, præcipue vero circa homines, nec ipsis infidelibus exceptis, cum dicat Sanctus Doctor, Græcis datam fuisse sapientiam per inferiores Angelos. Constat insuper, varios dari gradus gloriæ inter beatos istos Spiritus, ac alios superiores esse, alios inferiores; ideoque subordinationem haberi in cœlesti hac Hierarchia.

Angeli solliciti sunt pro hominibus, & singulis eorum sunt deputati. Lib. 5. Stromat. Pag. 598.

Lib. 7. Stromat. Pag. 702.

Lib. 4. Stromat. Pag. 520. Lib. 7. Stromat. Pag. 704.

Pag. 693.

Pag. 695.

Pag. 746.

II. Eamdem adoptavit S. Clemens exterorum veterum opinionem, videlicet Angelos prævaricatores impuro mulierum amore captos reliquisse pulchritudinem Dei propter pulchritudinem, quæ flaccessit, atque adeo e cœlis in terram cecidisse: *Harum rerum, sibi sint Indicio Angeli*, ait ille, *qui Dei reliquerunt pulchritudinem propter pulchritudinem quæ flaccessit, atque adeo e cœlis in terram ceciderunt.* Apertissime autem seipsum explicat circa idem argumentum in tertio libro Stromatum: hæc enim habet: *Jam vero Angeli quidam, cum fuissent incontinentes, victi cupiditate, huc e cœlo descenderunt.* Alibi autem tradit, quod Angeli delapsi propter impurum mulierum amorem, enuntiarunt eisdem arcana cœlestia: *Angeli illi ... delapsi ... ad voluptates enuntiarunt arcana mulieribus*: cum alii (hoc est Angeli boni) celarent hæc mysteria, vel potius reservarent in adventum Domini: illinc, subjungit, profluxit Doctrina Providentiæ, & sublimium rerum revelatio. Diximus jam quid de his opinionibus sentiendum sit, quæ eo vel maxime credi non possunt, quod in cœlestibus hisce Spiritibus naturam supponunt, quæ naturæ eorumdem opponitur.

Lapsus malorum Angelorũ. Lib. 3. Pædagog. cap. 2. Pag. 121.

Lib. 3. Stromat. Pag. 410.

Lib. 5. Pag. 550.

III. Si fides Sancto Alexandrino Presbytero adhibenda sit, Angelus, qui Diabolus appellatur, est Deus malus veterum Hæreticorum, vel ex eo quod homines suis calumniis impetit, vel quia peccatores accusat, vel tandem quia est apostata: *Eum qui vocatus est Diabolus intelligis impudentem (Deum) vel quod homines calumniis impetat, vel quod accuset peccatores, vel quod sit Apostata.* Docet pariter, quod Diabolus invidens homini propter remissionem peccatorum, aliquas peccatorum caussas Servis Dei suggerit, *astute hic molitus, ut ipsi quoque cum eo cadant.* Ait insuper cum Apostolo (b) quod iste tenebrarum Angelus transfigurat se in Angelum lucis; & ut melius homines decipiat, primo proponit veritates, deinde vero errorem & mendacium. Id vero quod docet S. Clemens libro primo Stromatum, Diabolum scilicet post suam apostasiam pœnitentia duci potuisse, cum adhuc liberum haberet arbitrium: *Diabolus autem cum liberum haberet arbitrium, & pœnitentia duci posset, &c.* id, inquam, rejici debet tanquam oppositum Doctrinæ Ecclesiæ docentis, bonos & malos Angelos, post peccatum malorum, nulla libertate donatos fuisse.

Malus Deus veterum Hæreticorum non est nisi Diabolus. Lib. 3. Stromat. Pag. 441.

Invidia & versutia Dæmonis. Lib. 2. Stromat. Pag. 385. Lib. 6. Pag. 645.

Lib. 1. Stromat. Pag. 310.

IV. Quoad secundum Capitis hujus articulum, hoc est quoad Gloriam Sanctorum hæc unice animadvertit: 1°. Cœlum, in quo Beati exultant sine fine, differre a tertio cœlo, ad quod Divus Paulus raptus fuit. 2°. Etsi certum sit ex Scripturis, omnes justos debere participes esse æternæ vitæ; nihilominus certum pariter esse, quod complures, iique diversi esse debent gradus gloriæ, ex proportione meritorum uniuscujusque: *Sunt enim*, inquit ille, *apud Dominum complures mercedes & mansiones, ex vitæ eorum proportione*: idque confirmat his Jesu Christi verbis: (c) qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit Justum in nomine Justi, mercedem Justi accipiet. *Proportione ergo habita*, concludit Sanctus Presbyter, *variæ sunt mansiones in cœlis pro dignitate & meritis eorum qui crediderunt ... & perfecta quidem hæreditas est eorum, qui evadunt in virum perfectum ad imaginem Domini.* Hæc sunt, quæ animadversione digna habet S. Clemens de Gloria Sanctorum.

V. De tertio hujus Capitis articulo, scilicet de Imaginibus uno tanto loco loquitur S. Clemens, verum haud ita perspicue, ut aliquam non involvat difficultatem. Docet igitur S. Clemens in sua ad Gentes Cohortatione, apud Christianos sui ævi nullum extare idolum, simulacra nulla, eosque adorare verum Deum, qui sola percipitur intelligentia: *Apud nos autem, nullum e materia sensibili simulacrum; sed qui sola percipitur intelligentia Deus, qui solus vere est Deus.* Textus hic prima fronte opponi videtur praxi Ecclesiæ circa cultum Imaginum: at nullo negotio deprehenditur, in quonam sensu intelligi debeat. Opponit S. Clemens hoc loco praxim Christianorum praxi Ethnicorum, quorum immediate ante vanum ac superstitiosum cultum damnaverat: Non arguit autem Ethnicos præcise per hoc, quod simulacra habebant, ac imagines apud semetipsos, aut in Templis; sed solummodo quia simulacris hisce ac imaginibus divinum cultum tribuebant, in iisque omnem spem reponebant. »
» An non enim, ait illis Sanctus Doctor, sunt plane Pag. 34.
» prodi-

Explicatur difficilis quidã textus S. Clementis super cultum Imaginum. Cohort. ad Gentes. Pag. 34. Pag. 35.

(a) I. ad Corinth. cap. 7. vers. 9.
(b) II. ad Corinth. cap. 11. vers. 14.

(c) Matth. cap. 10. v. 41.

II.&III. Sæculum.

„ prodigiosi, qui lapides colunt ... At vero lapidi, „ & ligno, & diviti auro parum est curæ, seu nidor, seu sanguis, seu fumus, quo dum honoris „ caussa fumigantur, fuliginem contrahunt; immo nec „ honor, nec contumelia. Sunt autem ejusmodi simulacra quovis animali viliora ... Simulacra autem „ nihil prorsus agunt, nihil moliuntur, nihil sentiunt: „ sed alligantur, & clavis punguntur, & affliguntur, „ & conflantur, limantur, secantur, circumraduntur, „ &c. „ *Vere est simulacrum materia mortua, formata manu artificis*. Illico autem subdit verba, quæ in controversiam modo vocantur. Igitur S. Clemens hoc loco non damnat præcise usum Imaginum ac simulacrorum; sed superstitiosum cultum, quo Ethnici mortuam hanc materiam prosequebantur: ideoque quando opponit praxim Fidelium praxi Ethnicorum hac super re, ac declarat, nullum idolum apud Christianos reperiri, nullasque imagines, loquitur in hoc sensu, quod Christiani non adorant more Ethnicorum, cum adorent reipsa verum Deum, qui sola intelligentia percipitur, ac nullum effingere velint simulacrum Dei, vel servilem imaginem. Huic responsioni addere possumus, quod cum exercitium Religionis Christianæ liberum non esset S. Clementis ævo, haberi non poterant templa, sicuti nunc temporis extant omni supellectilis genere instructa, ideoque nec imagines aderant, nec simulacra: hinc Sanctus Presbyter absque mendacio asserere poterat, apud Christianos nec imagines esse, nec simulacra. Verum si Sanctus Presbyter docet, suo ævo non extitisse imagines, &c. non inde sequitur, ab eo damnari etiam earumdem usum seu cultum in eo catholico sensu, quem supra exposuimus.

VI. De Purgatorio agitur in postremo hujus Capitis articulo: & ex S. Clemente eruuntur nonnulli textus, qui fidei Ecclesiæ favent hac super re, ab Hæreticis nostrorum temporum in controversiam posita. Declarat primo loco, quod fidelis nequit vivere cum intemperantia, sed quando ab hac vita decedit, necessario debet purgari a vitiis, quorum pœnitentiam in mortali suo cursu non peregit, ut ad propriam mansionem possit pervenire: *Non ergo fuerit fidelis, cum intemperantia, sed & si a carne exierit, necesse est ut vitia quæque deponat, ut possit ad propriam pervenire mansionem*: „ Cum ergo, prosequitur Sanctus Doctor eodem lo„ co, per multam disciplinam vitia exuerit fidelis no„ ster, transit ad maximum supplicium, quod est me„ lius priori mansione, inferens secum proprietatem „ pœnitentiæ eorum peccatorum, quæ admisit post „ Baptismum. Discruciatur ergo adhuc amplius, cum „ vel nondum, vel ne omnino quidem ea assequatur, „ quorum videt alios esse participes. Præterea autem „ pudore afficitur, ob ea quæ deliquit: quæ quidem „ sunt fideli maxima supplicia.„ Itaque etiam S. Clementis ævo Purgatorium adesse credebatur, in quo animæ fidelium defunctorum abstergebant maculas eorum peccatorum, quorum pœnitentiam in præsenti vita non peregerant.

Purgatorii Pœnæ. Lib. 6. Stromat. pag. 668.

VII. Alia insuper occurrunt in Divo Clemente testimonia, quibus fides Ecclesiæ quoad hanc rem purgari potest contra incredulitatem Novatorum: Verum, unum solummodo afferam, quod magis ad rem facere videtur. Docet igitur Sanctus Presbyter, Gnosticum non gustare ea quæ in mundo sunt pulchra, sed omnia hæc magno animo despicere: *Idem (Gnosticum), non gustat ea, quæ in mundo sunt pulchra, omnia quæ hic sunt magno animo despiciens: sed*, subjungit ille, *& eum miseret eorum qui post mortem castigantur, per supplicium inviti confitentes*. Vox hæc *inviti* interpretari non debet rigorose, cum id unum in sensu S. Clementis significet, quod animæ defunctorum discruciantur eo quod careant vel omnino, vel in parte objecto propriæ Beatitudinis; quemadmodum docet Sanctus Presbyter loco supra relato.

Lib. 7. Stromat. pag. 745.

CAPUT OCTAVUM.

DE CREATIONE ADÆ. DE PECCATO ORIGINALI. DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO. ET DE GRATIA.

I. ADerant S. Clementis ævo quidam Hæretici, qui circa creationem Adæ hanc instruebant objectionem: Vel perfectus formatus est Adam, vel imperfectus: Si imperfectus, quomodo perfecti Dei imperfectum est opus. & maxime homo? Sin autem perfectus, quomodo transgreditur præcepta? At S. Clemens difficultatem hisce verbis resolvit: „ Audient „ enim a nobis, inquit ille, quod perfectus quidem „ non fuit creatus; *sed aptus ad suscipiendam virtu„ tem*: *Vult autem (Deus)* subjungit, *nos ex nobis „ ipsis salvos fieri*: Hæc quippe est natura animæ, ut „ ipsa a seipsa moveatur ... Atque omnes quidem apti „ sunt natura ad acquirendam virtutem, sed alius qui„ dem magis, alius vero minus accedit ad disciplinam & exercitationem.„ Huc referri potest quod alio loco docet Sanctus Alexandrinus Presbyter, Adam scilicet perfectum fuisse, quod attinet ad formationem; nihil enim ei defuit ex iis, quæ homini formæ & speciei characterem tribuunt: ejus autem perfectionem, seu justificationem, obedientiæ alligatam fuisse; quod quidem in ejus potestate erat situm, seu libero arbitrio. Quod autem elegerit, & quod vetitum elegerit, non esse culpam in Deum, sed in eligentem conferendam. Quid sentiret S. Clemens de libertate hominis, inferius fuse demonstrabimus, postquam attulerimus quidquid docet ipse de peccato originali.

In quonam statu creatus fuerit Adam. Lib. 6. Stromat. Pag. 662.

Lib. 4. Stromat. Pag. 535.

II. In ea fuit opinione Dominus Dupinius (*a*) innixus testimonio quod infra afferemus, quod S. Clemens videatur, vel non admisisse peccatum originale, vel saltem ad illud allato loco non attendisse. Ut evertatur autem prima hujus conjecturæ pars, ea sufficiat animadvertere, quæ tradit idem Sanctus Presbyter libro tertio Stromatum: videlicet, quod sicuti mulier existimari potest caussa mortis eo quia parit; eadem ratione dici debet dux vitæ: *Quomodo autem existimatur mulier caussa mortis, propterea quod pariat; ita etiam dicetur dux vitæ, propter eandem rationem*. Illa eadem mulier, addit ipse, *quæ prior inchoavit transgressionem*, Vita est appellata, propter caussam successionis; & eorum, qui generantur, & qui peccant, tam justorum, quam injustorum mater est, *Unoquoque nostrum seipsum justificante, vel contra inobedientiam seipsum constituente*. Judicet modo qui legerit hæc, num S. Clemens insimulari possit quod non crediderit peccatum Originale; S. Clemens, inquam, qui aperte docet, mulierem caussam nostræ mortis fuisse (quæ quidem mors est quædam consequentia hujus peccati) qui declarat, a muliere transgressionem inchoatam fuisse, eamque mulierem, omnium primam divinum præceptum esse transgressam; ac tandem posse unumquemque nostrum aut justificari, aut in peccato persistere. Quomodo autem justificari possemus de peccato nequaquam patrato? Quomodo mulier, prima esset transgressa Divinam voluntatem, si posteri ejus non essent peccatores? Quomodo nostræ mortis caussa fuisset, si ejus peccati participes non essemus? Constat igitur, S. Clementem credidisse peccatum originale, ac omnes homines hac labe infectos: idque evidentissime comprobari posset testimonio Apostoli (*b*) quod paulo supra recitat idem S. Clemens, prætermisso Divi Pauli nomine: *Et ideo*, inquit ille, *quemadmodum per unum hominem peccatum ingressum est in mundum, per peccatum quoque mors ad omnes homines pervasit, quatenus omnes peccaverunt*, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. Quid clarius desiderari potest?

Peccatum Originale. Lib. 3. Stromat. Pag. 453.

III. Inficiari nequit, Sanctum hunc Doctorem disserentem contra Hæreticos, hostes Matrimonii ac generationis, subobscure locutum fuisse: ait enim: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus, vel quomodo cecidit sub Adæ exsecrationem, qui nihil est operatus?* Verum hæc difficultas omnino tollitur, si superius allata ejusdem Sancti Doctoris testimonia attendantur. Aperte adeo veritatem peccati originalis probant, ut ea legisse sufficiat, ut nullum supersit dubium de Orthodoxa S. Clementis fide quoad præsens Dogma. Sed præter hanc, alia præsto est responsio. Perpendi debent attento animo quæ præmittuntur allato textui verba, & quæ subsequuntur; nec non præ oculis habenda est Hæreticorum opinio, quam hoc loco refellit Sanctus Presbyter: hoc enim præmisso examine constabit, non agi hic de peccato originali, de peccato scilicet, quo inficimur cum orimur, prout sumus filii Adæ; sed de alia peccati specie, qua Continentes asserebant inquinari infantes præcise propter eorum generationem, quam malum esse docebant. Hinc Sanctus Presbyter eos provocat, ut ostendant, quomodo infans recens natus peccaverit, & quomodo sub Adæ exsecrationem ceciderit, qui nihil, quod bonum sit vel malum, operatus est? *Restat ergo eis ... ut dicant malam esse generationem*. Sin autem malum est generatio, ait paucis interjectis, in malo dicant fuisse Dominum, qui fuit particeps generationis, in malo Virginem, quæ genuit. Hanc sane consequentiam infert S. Clemens ex principio in controversiam nunc posito. At in hac consequentia non agitur de peccato originali, sed solum de pec-

Explicatio obscuri cujusdã textus circa peccatũ originale. Lib. 3. Stromat. Pag. 468.

Pag. 469.

(*a*) Tom. I. Biblioth. pag. 228. *Concordantia SS. Patrum*, Tom. I.

(*b*) Ad Rom. cap. 5. vers. 12.

II. & III. Sæculum.

de peccato alterius speciei, quod præcise adhæret generationi; erravit ergo Dominus Dupinius, dum ait, S. Clementem aut non credidisse peccatum originale, vel saltem ad illud non attendisse in præfato textu: etenim, dicam iterum, non est sermo eo loci de peccato originali, & alibi Sanctus Doctor perspicue veritatem peccati originalis tuetur. Hinc S. Clementi adscribi non debet, nec errori verti potest, quod ipse Dominus Dupinius pulcherrima S. Doctoris testimonia non animadverterit, & in præpostero sensu illud sit interpretatus, quod ex contextu perspicuum adeo evadit, ut quando nulla alia suppeterent momenta, se solo sufficeret, ut orthodoxam fidem hujus Patris circa peccatum originale omnibus patefaceret.

IV. Prolixo sermone agit S. Clemens de libertate hominis, de qua plures illius ævi Hæretici contendebant. Notabiliora quæ ipse scribit, sunt quæ modo sequuntur. Ac primo loco, quod dempta homini libertate, non habetur amplius laus pro virtute, nec vituperatio ac supplicium pro peccatis: *Sed nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia justa sunt, si animus non habeat liberam potestatem & appetendi & abstinendi, sed sit vitium involuntarium.* Hinc concludit eodem loco, in nostra situm esse potestate liberari a mala & delectabili electione: *Liberari ab ignoratione, & a mala & delectabili electione ... situm est in nostra potestate.* Notat vero aliquanto supra Sanctus Doctor, neminem esse, qui malum eligat, quatenus malum est, sed illud eligere ex quadam quæ illi inest voluptate, quæque tanquam bonum deprehenditur: *Nemo enim eligit malum, quatenus malum; sed abductus ab ea, quæ inest in ipso voluptate, id bonum ratus, suscipiendum existimat.* Hinc voluptatis amor ut plurimum est caussa cæcitatis hominum, eorumque lapsuum.

Liberum hominis arbitrium. Lib. 1. Stromat. pag. 311.

V. Docet alio loco, sufficere homini ut velit, ad hoc ut possit: *Velis*, inquit ille, *& poteris*; cum velle antecedat omnia, & omnes rationales nostræ facultates voluntati subjiciantur, sintque ejus ministræ: *Velle ergo omnia antecedit: rationales enim facultates, sunt ejus quod est velle, ministræ.* Tandem sermonem instituens de multis, iisque diversis modis, quibus Salvator homines trahit ad seipsum; declarat, neminem ab ipso cogi ab ipso salutem accipere, cum in omnium potestate positum sit, quidquid lubet eligere: *Neminem enim cogit ab ipso salutem accipere, propterea quod possit eligere.* Nescio num conciliari possint verba hæc cum severitate Novatorum adversus liberum hominis arbitrium. Illud hac in re certum est, Doctrinam hanc primitus traditam non fuisse a S. Clemente, quippe propriis locis vidimus, traditam hanc fuisse a vetustis Ecclesiæ Patribus, qui ante D. Clementem floruerunt.

Sequitur idem argumentum. Lib. 2. Stromat. Pag. 393.

Lib. 7. Stromat. Pag. 702.

VI. Etsi S. Clemens aperte tueatur libertatem humanam, & plurimum deferat viribus nostræ voluntatis, nihilominus necessitatem gratiæ deprædicat, ut valeat quis recte ac pie cogitare, Deum cognoscere, tentationes superare, fidem amplecti, nec non caste vivere: & ut singula quo ordine proposita sunt persequamur, dicimus, 1°. Sanctum hunc Presbyterum deprædicasse gratiæ necessitatem ut valeat quis cognoscere Deum: idque probatur, quia libro primo Stromatum hæc habet Sanctus Doctor de Filio Dei: *Is est ... qui universorum Patrem revelat cui vult, & quoad humana natura comprehendere valeat:* Quam veritatem confirmat ille hoc Evangelii Oraculo: Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem nisi Filius, & cui Filius revelaverit. „ (a) Sive Pater ergo, concludit S. „ Clemens, ad se trahit quemlibet ... sive liberum „ quod est in nobis arbitrium, veniens ad boni cognitionem, septa transilit: *Non tamen absque eximia gratia erigitur. & exurgit anima, & extollitur supra ea, quæ supereminent.* Igitur Gratia necessaria est ad cognoscendum Deum.

Necessitas Gratiæ ad cognoscēdū Deum. Lib. 1. Stromat. pag. 355.

Lib. 5. Stromat. pag. 588.

VII. Æque autem necessaria est Gratia ad Fidei donum obtinendum; cum doceat S. Clemens, fidem non esse facilem, vulgarem, ac omnibus communem: *Non est ergo amplius fides temere reprehendenda, ut & facilis, & vulgaris, & quæ sit quorumlibet.* „ *Dico ergo*, „ subjungit Sanctus Presbyter, *fidem .... esse divinum aliquid*, sive fundata sit a charitate, sive etiam „ a timore „. Aperte declarat alio loco, doctrinam salutis esse donum, fidem vero esse gratiam: *Est ergo donum doctrina pietatis, gratia vero fides.* Is super ait, scientiam acquiri demonstratione, fidem autem gratia: *Est enim scientia habitus demonstrationis, fides autem gratia.* Igitur gratia necessaria est ad fidei donum obtinendum.

Necessitas Gratiæ ad Fidei donum obtinendum. Lib. 2. Stromat. pag. 372.

Lib. 4. Pag. 468.

Lib. 2. Pag. 288.

VIII. Verum & cogitationes bonæ a gratia proficiscuntur, sicuti tradit Divus Clemens his verbis: *Quin etiam eorum cogitationes qui sunt virtute prædici, per divinam fiunt inspirationem .... & divina voluntas in humanas animas transmittitur.* Ubi Domini facies respicit, illic est pax & exultatio; *Ubi autem faciem averterit (Dominus) ingreditur vitium. Sed cum ipse (Dominus)* prosequitur S. Clemens eodem loco, *avertit oculos .... sua sponte ortum habet vitium.*

Necessitas Gratiæ ad habendas rectas cogitationes. Lib. 6. Stromat. pag. 692.

IX. Ex eadem gratia procedit Continentiæ virtus: *Non potest autem*, ait S. Clemens, *ea aliter accipi continentia, nisi gratia Dei:* „ & ideo (addit Sanctus „ Pater) Dominus dixit: Petite & dabitur vobis; „ per hanc enim de tentationibus victoriam reportamus „. Si quis autem, ait Sanctus Doctor, cavillandi animo interroget; Et quomodo fieri potest, ut caro imbecilla resistat Potestatibus, & spiritibus Dominationum? *Illud sciat, quod Deo omnipotente & Domino freti, eoque habentes fiduciam, adversamur Principibus tenebrarum, & morti.* Adhuc te loquente, inquit ille cum Propheta Isaia (b), dicet, Ecce adsum. *Vides*, concludit S. Clemens, *adjutorem invictum, qui nos defendit.*

Necessitas Gratiæ ad malum fugiendum. Lib. 1. Pædagog. pag. 127.

Necessitas Gratiæ ad servandam Continentiam. Lib. 3. Stromat. pag. 450. & ad superandas tentationes.

X. Tandem æque per gratiam, ac per bona opera æternam salutem consequimur: *Gratia enim servamur, sed non absque bonis operibus:* ab ipsa quippe pendet initium, & perfectio, necnon perseverantia in Justitia Christiana, quemadmodum asserit Sanctus Presbyter scribens, quod qui ex Gentibus convertitur, petit a Deo fidem; qui autem jam ascendit ad cognitionem, charitatis petit perfectionem; qui autem ad summum pervenit cognitionis gradum, precatur ut contemplatio augeatur & permaneat: quin etiam petit, ut a virtute nunquam excidat, sed perpetuo maneat ejusmodi, ut non possit excidere. In dubium igitur est, juxta S. Clementis doctrinam, quod omnia quæ ad justitiam Christianam, & ad nostram salutem relationem dicunt, omnia hæc, inquam, pendent a gratia, quippe omnia hæc a Deo petimus: supervacaneum autem esset id petere, quod in nostra esset potestate.

Lib. 6. Stromat. pag. 491. Initium, perfectio, & perseverantia in justitia verū Gratiæ debita. Lib. 7. Stromat. Pag. 726.

XI. Hinc conjicimus, facili negotio explicari posse nonnulla hujusce Patris loca, in quibus videtur nimium naturæ viribus tribuere, veluti cum ait, Deum divisisse gratiam suam Græcis & Barbaris, prout eorum unusquisque ad eam aptus erat: *Pro ea autem, quam habet unusquisque aptitudine, suum divisit beneficium, & Græcis, & Barbaris;* vel quando scribit, omnes homines æque vocatos fuisse a Salvatore; ac eum in mundum venisse, ut ostenderet hominibus, sat virium habere, ut possint servare mandata: *Omnes quidem ex æquo vocavit .... venit ostensurus hominibus, sufficientes esse eorum vires, ut possint obedire mandatis.* Aliquam utique involvunt tria hæc testimonia difficultatem: in primo enim S. Clemens videtur docere, quod effectus gratiæ in Græcis ac Barbaris pendebat ab aptitudine, ac naturalibus utrorumque dispositionibus: in secundo, quod gratia communis est omnibus hominibus: in tertio tandem, liberum arbitrium sufficere ad servanda mandata. Verum si tria hæc testimonia conferantur cum supra recensitis, omnes evanescunt difficultates, nisi dicere velimus, Sanctum Doctorem sibimetipsi contradicere: quod quidem nullibi in ejus scriptis adinvenire est.

Textus obscuri circa Gratiam. Lib. 7. Stromat. pag. 702. & 704.

Explicatio horū textuum.

XII. Tria igitur hæc subobscura testimonia benigne adeo interpretari debemus, ut nemini fas sit dubitare de vera ejus circa gratiam sententia, quam alibi catholicam esse aperte deprehendimus. Quoad primum igitur dicendum est, sermonem ibi esse, sicuti & in secundo, de gratia pure exteriori, ut esset Verbum Dei, & instructio, quam divisit quidem Deus Græcis & Barbaris pro ea quam unusquisque habebat aptitudinem; & per hanc gratiam dici potest omnes homines ex æquo vocatos fuisse. In hoc sensu Sanctus Doctor in sua ad Gentes Cohortatione exclamat: Audite igitur qui procul, audite qui prope estis: *Nullis celatum est Verbum; lux est communis, omnibus illucescit hominibus.* In eodem sensu docet insuper in suis Stromatis, quod Divinum Verbum omnes simul vocat: illico tamen subjungit, vocationem hanc eos præcipue respicere, qui non sunt perituri, hoc est prædestinatos. Quoniam tamen (verba sunt S. Clementis) in nostra potestate situm est, utrum pareamus, necne, ne quis possit caussari prætextum ignorantiæ, justam fecit vocationem. Manifestum igitur est, in duobus his textibus sermonem fieri de gratia exteriori ac sensibili, quam ignorare solus ille valeat, qui in pleno meridie cæcutire velit. Id sane aptari optime potest Verbo Dei & instructioni, quæ reipsa communis est omnibus hominibus, quamque divisit Deus Græcis & Barbaris, pro ea quam habuit quisque, aptitudine. Græcis quidem,

Sequitur eadem explicatio.

pag. 56.

Lib. 2. Stromat. pag. 370.

(a) Matth. cap. 11. v. 27.

(b) Isai. cap. 58. vers. 9.

II & III. SAECULUM.

dem, hoc est Ethnicis per profanam philosophiam, quæ verum Deum agnoscere docebat: Barbaris autem, hoc est Judæis, (Barbari enim a veteribus appellabantur, ut ab Ethnicis secernerentur) per Divinas Scripturas. Hoc significare vult S. Clemens, & in alio sensu explicari nequeunt prima illa duo testimonia, quin recedamus a mente Sancti hujus Scriptoris.

Sequitur idem argumentū.

XIII. Quoad tertium autem ac postremum, quod habet, Verbum in mundum venisse, ut ostenderet hominibus, sufficientes esse eorum vires ut possint obedire mandatis, nullam in eo video difficultatem, si agatur de potentia remota, sicuti est liberum hominis arbitrium, quo reipsa mandata servare potest: maxima autem inde exurgeret difficultas, si ageretur de potentia proxima, quæ transiret in actum absque gratiæ auxilio. At a veri specie procul abest, S. Clementem id unquam tradidisse, immo vel excogitasse, cum pluribus aliis in locis superius recensitis aperte doceat, omnia ex gratia profluere, cognitionem Dei, fidem, bonas cogitationes, fugam a malo, virtutis operationem, victoriam tentationum, initium, progressum, & perfectionem in christiana pietate. Si liberum nostrum arbitrium se solo sufficeret ad recte agendum, eccur diceret Sanctus Presbyter, necessariam esse gratiam ad cognoscendum Deum, ad amplectendam fidem, ad obtinendas bonas cogitationes, ad fugam peccati, ad virtutis exercitium? Itaque S. Clemens hoc loco loquitur solummodo de potentia remota, quæ reipsa omnibus inest hominibus, & per quam inexcusabiles fiunt, nisi servent mandata. Cæterum, animadvertat quisque, mirum non esse, si eo modo loquatur Sanctus Doctor, cum res illi sit contra Hæreticos, infensissimos humanæ libertatis hostes, Marcionitas scilicet, aliosque hujusce furfuris, qui opinabantur, omnes homines vel esse naturaliter bonos, vel naturaliter malos, ita ut omnes necessario vel bene vel male operarentur. Sanctus Doctor optime quidem adversus hanc periculi plenam opinionem exurgit, ejusdemque sectatoribus ostendit 1º. quod Deus neminem invitum salvat. 2º. quod impii possunt effici boni ac sancti; & quod possunt ex libero arbitrio obedire mandatis: & hæc est quidem Doctrina ac fides Ecclesiæ; quæ optime congruit cum iis quæ alibi docet idem S. Clemens, gratiam scilicet nullam inferre vim libero arbitrio. „ Neque enim, „ inquit ille, Deus invitus est bonus, quomodo ignis „ est præditus vi calefaciendi; verum voluntarie bona „ impertit, etiamsi anticipet petitionem. Neque vero „ invite salvus erit is, qui fit salvus .... Quocirca præcepta quoque homo accepit, ut qui ex se „ moveri possit ad utrum velit ex his quæ sunt eligenda & fugienda. Non facit ergo Deus ea necessitate, sed libera voluntate bene facit iis, qui ex „ se convertuntur „. Et in secundo Stromatum libro aperte declarat, quod recessus a Deo, & inobedientia in nostra sunt potestate, non secus ac obedientia: *Defectio autem, & recessus, & inobedientia sunt in nostra potestate, sicut etiam est in nostra potestate obedientia*. Verum de hoc argumento satis superque dicta sunt.

Lib. 7. Stromat. pag. 723.

Lib. 2. Stromat. pag. 386.

CAPUT NONUM.

DE POSSIBILITATE MANDATORUM. DE IMMORTALITATE ANIMÆ. DE UTROQUE TESTAMENTO. ET DE PHILOSOPHIA.

Possibilitas servandi Dei mandata. Lib. 1. Pædagog. pag. 133. Immortalitas Animæ.

I. MAndata Dei possibilia esse homini, etsi ex natura sua imbecillo, & ad malum prono, tamquam veritatem inconcussam docet S. Clemens hisce verbis: „ Noster Pædagogus, inquit ille, neque „ admodum difficilis est, nec præ benignitate usque „ adeo dissolutus „: *Simul autem mandat, & mandatorum characteres ita imprimit, ut ea possint perficere*. Æque autem tuetur Sanctus Doctor animæ immortalitatem. „ Omnes animæ, inquit ille, a corporibus „ separatæ, vivunt; & licet separatæ sint, *In Dei tamen sinum evolant immortales .... Immortales sunt omnes animæ* prosequitur ille, *etiam impiorum, quibus præstaret haud esse incorruptibiles*. Dum enim ignis inextinguibilis perpetuo torquentur supplicio, nec unquam moriuntur, nullum malo suo finem nancisci possunt. Hæc habet S. Clemens in suo Tractatu de Anima: ea præcisione autem, qua de animæ immortalitate loquitur, nullo negotio innotescit, animæ naturam magis perspectam illi fuisse, quam cæteris veteribus, qui idem argumentum non adeo perspicue pertractarunt.

Vocatio Judæorum & Gentiū. Lib. 7. Stromat. Pag. 694.

II. Nihil magis inconcussum, vel ad instructionem magis aptum dici potest, quam quod docet S. Clemens de utroque Testamento, & de Judæis ac Gentibus. Ait primo loco, vocationem generalem utrorumque ante Incarnationem positam fuisse pro Judæis in lege illis tradita; pro Gentibus vero in Philosophia: at a Jesu Christo per doctrinam fidei duas has diversas nationes congregatas fuisse in unum veluti populum; a Jesu Christo, inquam, qui est unus solus Deus Græcorum æque ac Barbarorum, vel potius totius humani generis Deus: *Hæc autem est universa ac generalis vocatio, ad peculiarem populum justitiæ, per eam quæ est ex fide doctrinam, per unum congregante Domino, qui est unus solus Deus amborum, Græcorum scilicet & Barbarorum, vel potius totius humani generis*. Apparet in eo quod dicit Sanctus Presbyter de Lege pro Judæis, & de Philosophia pro Gentibus, quid sibi velit loco superius citato, in quo declarat, Deum divisisse suas gratias Græcis ac Barbaris pro ea quam habuit unusquisque aptitudine.

Differentia inter duo Testamenta. Lib. 1. Pædagog. cap. 7. pag. 111.

III. Differentiam inter duo Testamenta perspicue significat S. Clemens, docens, quod metus, quo erudiebantur Hebræi a Lege, conversus est in dilectionem pro Christianis: *Prius itaque*, inquit Sanctus Doctor, *veteri populo vetus erat testamentum, & lex cum metu populum erudiebat, & Verbum erat Angelus; novo autem & recenti populo novum ac recens testamentum datum est, & Verbum fuit genitum, & metus in dilectionem conversus est*, καὶ ὁ φόβος εἰς ἀγάπην μετατέτραπται. Iterum idem Pædagogus *Tunc quidem, Dominum Deum timebis, dicebat (Hebræis); nobis autem per hoc suasit: Diliges Dominum Deum tuum. Hoc est*, prosequitur semper S. Clemens, *meum novum Testamentum vetere littera impressum*. Ex his facile eruitur, Religionem Christianam in Dilectione fundari; ideoque qui in dilectione non manet, non est hac Religione dignus.

IV. De eadem differentia inter duo Testamenta loquitur Sanctus Alexandrinus Presbyter, explicans illud Joannis in Evangelio (a) Lex per Moysen data est; gratia & veritas per Jesum Christum facta est: „ Lex, „ inquit ille, per Moysen data est, non a Moyse, „ sed a Verbo quidem; verum per Moysen, servum „ ejus: & ideo fuit ad tempus: æterna autem gratia „ & veritas per Jesum Christum facta est „. *Videte*, prosequitur Sanctus Doctor, *verba Scripturæ: de Lege quidem, data est, inquit, tantum; Veritas autem, quæ est gratia Patris est æternum Verbi opus, & non dicitur dari, sed per Jesum fieri, sine quo factum est nihil*. Breviter adnotamus, ex distinctione illorum verborum *data* & *facta* quam perpauci modo Scripturam legentes instituerent, optime deprehendi, qua attentione & diligentia veteres legerent Sacros libros, ac omnes illorum voces librarent, pro certo habentes, nihil, quod inutile sit, in illis adinveniri.

Lib. 1. Pædagog. cap. 7. pag. 112.

Quid faceret vetusta Lex. Lib. 1. Pædagog. pag. 131.

V. Nec mirum alicui videri debet, Sanctum hunc Presbyterum summis laudibus evehere novam legem super veterem; quippe de lege veteri hæc scribit: *Est enim Lex Pædagogia puerorum insolentium, qui habenis non facile retinentur*: deinde ait, quod propterea illos & Lex, & timor sequebatur, ut & peccata rescinderet, & ad res ex virtute gerendas adhortaretur, *Aures præparans, ut vero Pædagogo* (Jesu Christo) *obedirent*. Itaque virtus & efficacia vetustæ legis, ac timoris, qui erant veluti ejusdem legis character Judæos retrahebat a malo, ad bonum adhortabatur, & eorum aures præparabat, ut Jesum Christum Pædagogum Divinum audirent, eique obtemperarent, cui proprium esse debebat mundare corda nostra, & in viam mandatorum suorum dirigere.

Sequitur idem argumentū. Tractatus Quis Dives salvetur. n. 8.

VI. Ad idem de utroque fœdere argumentum referri potest id quod tradit S. Clemens in suo Tractatu, qui inscribitur: Quis dives salvetur: ibi enim docet, discrimen inter utrumque fœdus ponendum esse; nec paria esse quæ data sunt per servum fidelem, & quæ donata sunt a vero Filio: *Nec paria sunt*, inquit ille, *quæ per servum fidelem data sunt, & quæ a vero Filio donata sunt*: quæ quidem habet post allatum eo loco illud Joannis, *Lex per Moysen &c.* „ Si enim „ Moysis lex sufficiens erat, prosequitur idem Sanctus Doctor, ut vitam præstaret; frustra Salvator „ ipse adveniret, nostrique caussa pateretur, ab ortu „ nativitatis ad metam usque emenso humanæ vitæ „ curriculo. Frustra quoque, qui omnia Legis mandata a juventute (b) impleverat, ab alio, illi provolutus, immortalis vitæ exposceret præmia: neque „ enim solum Legem servaverat, sed & a prima ætate in eam rem incubuerat .... Hic tamen cum „ tantus esset, apprime noverat, certusque erat, nihil sibi quidem ad justitiam deesse: omnino autem „ illi vita opus erat: *Idcirco præstari rogat ab eo, quæ* „ *solus*

(a) Cap. 1. vers. 17.

(b) Marc. cap. 10. vers. 20.

II. & III. Sæculum.

„ *solus dare posset*. At quidem ad Legem quod spectat, longe secus erat; Dei tamen Filio supplicat .... At vero Jesus non illum redarguit, quod Legis omnia non impleverit, quin etiam diligit, & quod iis, quibus fuerat instructus, strenue observatus sit, passis ulnis amplectitur: Ad vitam tamen æternam quod attinet, imperfectum eum pronuntiat, quod ea quæ perfectionis sunt, non impleverit. „ Postremo concludit Sanctus Doctor, quod Lex bona equidem est & sancta, sed Pædagogi cujusdam vice cum timore fungitur, ad summum Legis Jesu verticem gratiamque viam sternens; qui Jesus est plenitudo Legis ad justitiam omni credenti; non qui ut servus servos faciat; sed & filios, & fratres, & cohæredes, Patris voluntatem facientes præstet.

Necessitas, & Utilitas Philosophiæ. Lib. 1. Stromat. pag. 282.

VII. Hæc sunt quæ habet S. Clemens de differentia novi ac vetusti Fœderis. Quoad Philosophiam autem, fatetur, hanc necessariam fuisse Ethnicis ante Incarnationem, aitque, eam instar Pædagogi duxisse Græcos ad Christum, quemadmodum lex duxit Hebræos ad eumdem, *Ipsa quoque* (Philosophia) *Pædagogi more Græcos ducebat, sicut Lex Hebræos ad Christum*. Docet insuper, quod eadem hæc Philosophia illos ad Evangelium suscipiendum præparabat; ac ipsum Deum illam iisdem donasse tradit, ut eo pacto dispositi audirent Jesum Christum. Præterea eam utilem dicit ad eos confirmandos, qui per vim ratiocinii convertuntur; ac necessariam deprædicat argumentationis scientiam ad refellendas falsas Sophistarum opiniones. Verum ne error aliquis intercedat in determinanda Philosophia, de qua loquitur Sanctus Doctor, observandum est, non loqui illum de Philosophia Stoicorum, vel Platonis, vel Epicuri, vel Aristotelis, sed de illa unice Philosophia, quæ comprehendit quidquid veri in suis Operibus Auctores illi tradiderunt: de hac quippe Philosophia Sanctus Alexandrinus Presbyter hæc scribit: *Philosophia confert ad comprehendendam veritatem; cum sit inquisitio veritatis .... Fundamentum Christianæ Philosophiæ*, hoc est, Doctrinæ Jesu Christi.

pag. 283. — Pag. 297. pag. 288. — pag. 292. Lib. 6. pag. 642.

Adversus artem Sophisticam. Lib. 1. Stromat. pag. 287.

VIII. Verum si S. Clemens tot laudibus extollit veram Philosophiam, æque sollicitus est ut deprimat artem Sophisticam, quam appellat scientiam inanem, phantasticam &c. *Ars autem Sophistica est potestas phantastica, seu qua imaginatione percipitur; verbis falsis opiniones tamquam veras ingenerans*. Appellat eam cum Platone artem malam, & cum Aristotele artem decipiendi; ab eodem Apostolo (*a*) proscriptam fuisse dicit; & esse impietatem, ac affectionem lethalem pronuntiat: *Est impietas, & affectio lethalis*. Lupos rapaces tectos pellibus ovium eos vocat, qui huic student, immo plagiarios, impostores, & diversos animarum abigeos, quorum subtilitatibus nulla fides adhibenda sit, sed potius inhærendum pulcherrimo vetusti cujusdam magni Philosophi effato: *Ego ... sum ejusmodi, ut nulli alii credam, nisi rationi*.

Pag. 190.

IX. Hæc quæ sentiebat Sanctus Presbyter de falsa Logica, ac de subtilitatibus falsæ Philosophiæ, locum non habent si sermo sit de vera Logica, qua recta ratiocinandi methodus edificitur. Vidimus jam paulo supra quanti eam faceret S. Clemens, & quam necessariam eam crederet ad superandos ac confundendos vanos Sophistarum conatus. Semper igitur damnavit Sanctus Doctor vanas scientias, scientias quæ inflant; nunquam autem veras scientias, quæ ad veritatis agnitionem perducunt, ut sunt Philosophia, Dialectica, ac cæteræ scientiæ naturales. Arguit insuper quosdam falsos sui ævi mysticos, qui hasce scientias contemnentes, soli ac simplici fidei inhærere volebant: eosdem comparat cum iis, qui vellent botros accipere, cum nullam curam vitis gesserint: *Perinde ac si cum nullam vitis curam gesserint, velint ab initio statim botros accipere*.

Adversus eos, qui contemnunt scientias naturales. pag. 291.

X. Nec desunt nostris hisce temporibus hujusce generis mystici, qui conscientiæ sibi ducerent operam dare naturalibus scientiis priusquam de veritatibus Religionis imbuantur. Verum, quidquid dicere in oppositum possint, certum est, quod ignorantia ad nihilum valet; & S. Clemens eos econtra hortatur, ut ex ipsa Philosophia, aliisque naturalibus scientiis quod utile est colligant, ut possint inde tutam ab insidiis servare fidem. Hinc modum tradit, quo hujusmodi studia bona ac sancta effici possunt, hoc est, si quidquid ex Geometria, Musica, Grammatica, & Philosophia colligitur, ad veritatem fidei referatur: *Ita enim*, scribit Sanctus Doctor, *bene & utiliter eruditum existimo, qui omnia refert ad veritatem, adeo ut ex Geometria, & Musica, & ex Grammatica, & ipsa Philosophia colligens quod est utile, nullis insidiis interceptam servet fidem*. Ad objectionem quæ efformari poterat ab exemplo Prophetarum & Apostolorum, qui hujusmodi artibus, quibus Philosophiæ exercitationes ostenduntur minime instructi, sublimiora Divinitatis percipere potuerunt, aptissime respondes Sanctus Presbyter, ab eorum exemplo illationem inferri non posse, quæ omnibus accommodari valeat hominibus; Prophetis enim ac Apostolis a Spiritu Sancto occulto præceptore sublimiora Divinitatis enunciata sunt; quod sane de cæteris hominibus dici nequit.

Ibid. — pag. 292.

De Eloquentia, & quomodo ea utendum. Pag. 293. 294.

XI. Vetat S. Clemens sectari nimio ardore eloquentiam, & quemlibet contentum esse vult, si simplici ac facili modo quid intelligit significet: Hujusce Doctrinæ hanc affert rationem, quia dictio est tamquam vestis in corpore: res autem sunt carnes & nervi: Non oportet ergo, ait ille, majorem vestis, quam salutis corporis curam gerere. Vetat insuper ne quis superfluo cultu ornatuque orationem concinnet, ad hoc ut captet apud homines gloriam, & propriam Doctrinam manifestet; eosque reprehendit, qui in novis quæstionibus exagitandis operam suam navant. Tandem præcipit iis, qui naturales scientias callent, ne vituperent honestos ingenuosque viros, qui easdem ignorant; vel e contra isti maledictis illos incessant: *Neque ergo*, concludit Sanctus Doctor egregie, *qui bene potest facere est maledictis incessendus ab eo qui bene potest dicere; neque est vituperandus qui bene potest dicere ab eo qui bene facere potest*. Notabiliora hæc sunt, quæ in Divo Clemente leguntur de studio, & usu scientiarum naturalium.

Pag. 295. — Pag. 293.

Explicatur difficilis quidam textus circa Philosophiam. Lib. 1. Stromat. pag. 280.

XII. Priusquam huic Capiti finem imponam, explicandus mihi superest difficillimus quidam textus circa Philosophiam, in quo videtur docere S. Clemens, per hanc scientiam homines justificatos fuisse ante Incarnationem, ex quo sequeretur, Ethnicos potuisse salutem consequi absque fide. Textus autem ita se habet. *Iis enim, qui a Philosophia fuerunt justificati τοῖς γὰρ ὑπὸ φιλοσοφίας δεδικαιωμένοις, auxilium tamquam thesaurus reconditur .... neque erat quidem ante Domini adventum Philosophia Græcis necessaria ad justitiam, εἰς δικαιοσύνην*, quibus verbis innuere videtur Sanctus Presbyter, Philosophiam ante Incarnationem, necessariam fuisse Ethnicis ad justificationem; & hac scientia seipsa Ethnicos justificatos fuisse. Verum, sicuti optime animadvertit Dominus Ceillier (*a*) in hunc locum, si totus attendatur contextus, facile innotescet, Sanctum Doctorem nequaquam tribuere tantam efficaciam scientiis pure humanis. 1°. Enim eodem in libro, ex quo textus iste deductus est, fatetur, justitiam, quæ a Philosophia profluebat, fuisse justitiam imperfectam, vel potius remotam quamdam dispositionem ad veram justitiam, quemadmodum per scalæ gradus quis ascendit in cœnaculum, & Grammatica præmittitur Philosophiæ: *Quamquam per se quoque aliquando Græcos justificabat Philosophia; sed non ad universam ac generalem justitiam, ad quam cooperatrix & adjutrix invenitur, sicut primus & secundus gradus ei qui ascendit in cœnaculum, & Grammaticus ei, qui est philosophaturus*. 2°. Paulo superius docet, quod si Philosophia non comprehendit veritatis magnitudinem, & sit adhuc imbecilla ad mandata Domini exequenda; at regali quidem doctrinæ viam præparat. 3°. Aperte declarat, Philosophos esse parvulos, nisi a Jesu Christo fiant viri: *Parvuli ergo sunt etiam Philosophi, nisi a Christo viri fiant*; ac omnia eorum bona opera nihil eis prodesse, nisi fidem habeant in Jesum Christum: *Nihil ergo eis post vitæ finem proderit, etiamsi nunc recte operentur, nisi fidem habeant, εἰ μὴ πίστιν ἔχοιεν*. 4°. Si S. Clemens credidisset, solam Philosophiam justificare Ethnicos, nunquam dixisset, Deum voluisse Græcorum lingua expositas Scripturas, ut nullum unquam ignorantiæ prætextum afferre possent, cum possent eas audire, si tantum voluissent. 5°. Tandem expresse asserit, Philosophos nequaquam sperare posse salutem, nisi Idolorum cultum relinquant, & credant in Jesum Christum. In dubium igitur est, prout animadvertit Pater Ceillier, nunquam S. Clementem tribuisse Philosophiæ justificationem Gentium, cumque id unum docere, quod sicuti Philosophia est veritatis investigatio, hinc plurimum conferre ad eam inveniendam; & in hoc quidem est remota quædam dispositio ad christianam justificationem, quæ perfecte acquiri nequit, nisi per fidem in Jesum Christum.

Pag. 319. — pag. 309. — pag. 292. — pag. 288. — pag. 324.

(*a*) I. ad Timoth. cap. 6. vers. 3. 4. 5.

(*b*) Tom. II. pag. 308. & 309.

II. & III. Sæculum.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

Sanctus Clemens Alexandrinus omnium Patrum primus Moralem Christianam pertractavit. In ejus Operibus, præcipue vero in Pædagogo, innumeræ extant magni momenti instructiones, quibus exterius æque ac interius homo regi potest. Divinitus loquitur de Charitate, quam omnium virtutum majorem prædicat: Fidei Christianorum excellentiam pandit; de timore verba facit, ostenditque, hunc non sufficere ad justificationem. Vitii turpitudinem demonstrat, ejusque fastidium ac contemptum in iis ipsis creat, qui præ cæteris ad idem sunt proni, modo tamen vel minimum recta uti velint ratione. Egregias vivendi regulas tradit, ne ipsis quidem communioribus actionibus prætermissis; quin immo & urbanitatis regulas docet, quas observare oportet in conviviis & societatibus recreationis caussa initis. Uno verbo S. Clemens considerari debet veluti eximius Doctor, ac eruditus Director, qui utrumque hominem aptissime efformare valet; & si adolescentes in moribus imbuendi meæ curæ committerentur, hujus Patris lectionem unice iis præscriberem; cum in ejusdem Scriptis pulchriores vivendi, nec non urbanitatis regulæ omni accuratiori diligentia pertractatæ adinveniantur. Nec adolescentes solummodo instruit Sanctus Doctor; omnibus quippe, cujuscumque ætatis sint, sexus, ac conditionis, ejus documenta accommodari possunt. Optandum igitur quam maxime esset, quod omnes indiscriminatim homines horum Operum lectioni sedulo incumberent: idque ut præstetur, afferam modo pulchriora hujusce Patris loca; quæque mihi visa sunt majoris momenti.

CAPUT PRIMUM.

De Fide, Spe, Charitate, et Timore.

Definitio Fidei Christianæ. Lib. 1. Stromat. pag. 362. Lib. 2. Stromat. pag. 364.

I. Initium duco a Fide Christiana, quæ a Sancto nostro Presbytero definitur: voluntaria anticipatio, & pia mentis assensio veritatibus, quas Deus revelavit: *Fides est voluntaria anticipatio, pietatis assensio*: hoc est, ait insuper cum Apostolo (*a*), rerum, quæ sperantur, substantia; argumentum earum, quæ non videntur. Est gratia, quæ ea iis, quæ demonstrari nequeunt, deducit ad id, quod est simplex, generale, & universum, quod neque est cum materia, neque materia, neque sub materia. Est divinum aliquid, ut quæ neque ab alia humana amicitia distrahatur, neque a timore præsente dissolvatur; *Fides est basis ac stabilimentum Charitatis*. Tandem, *maxima autem*, ait, *mater virtutum est fides. μεγίστη δὲ ἀρετῶν μήτηρ, ἡ πίστις.*

pag. 372. pag. 369.

Necessitas Fidei Christianæ. Lib. 6. Stromat. pag. 665.

II. Fides adeo necessaria semper fuit ad salutem obtinendam, ut & magis probi inter Ethnicos non potuerint camdem consequi, per quæcumque bona opera ab iis patrata, sicuti supra notavimus. Sine fide nemo potest vere justificari; nec esse justus aliquis potest, quin sit etiam fidelis, licet possit aliquis esse fidelis, cum nondum sit justus: *Quatenus ergo est aliquis justus, est omnino is quoque fidelis; quatenus autem est fidelis, nondum est etiam justus.* In hoc sensu paulo supra scribit S. Clemens, omnes infidelium actiones malas esse & vitiosas: *Contra autem*, ait ille *cujusvis Gentilis peccat actio: πᾶσα δὲ ἡ τοῦ ἐθνικοῦ, ἁμαρτητική? Non enim absolute bene agere, sed scopum quemdam spectando actiones producere, & ex verbo seu ratione operari oportere, ostendunt Scripturæ.* Sicuti vero per bona opera justificari non possumus si desit fides; eadem ratione inutilis est fides si desint opera bona: quare quando audiemus Dominum in Evangelio (*b*) dicentem „ Fides tua te salvam fecit, „ non accipimus eum dicere absolute eos salvos futuros, qui quomodocunque crediderint, *Nisi opera „ quoque fuerint consecuta. Jam vero Judæis solis hanc dicebat vocem . . . . quibus sola fides restabat in Dominum.* Ex his testimoniis æque deprehenditur & meritum bonorum operum, & necessitas fidei. Cæterum, notandum est quod docet S. Clemens, scilicet aliquem fidelem esse, quatenus est justus; non autem econtra justum esse, quatenus est fidelis: aliqui igitur sunt fideles, sed non justi; ideoque aliqui peccatores sunt etiam fideles.

pag. 669. Necessitas bonorum Operum, pag. 668.

(*a*) Ad Hebræos cap. 11. vers. 1. 2.
(*b*) Marc. cap. 5. vers. 34.

II. & III. Sæculum.

Duplicis generis Fides. Lib. 9. Stromat. pag. 545.

III. Licet fides una sit, duplicis tamen generis cum Apostolo (*c*) dici potest: alia est fides communis, quam habebant ii omnes, quos a languoribus suis sanabat Jesus Christus dum in mortali carne degeret; altera est fides perfecta, quam habebant Apostoli, de quibus dictum est (*d*), fidem montes movere, & arbores transplantare: prima est fundamentum secundæ, & hæc est perfectio primæ: *Nam communis quidem fides subjicitur, tamquam fundamentum . . . . quæ autem eximie superædificatur, fidei consummatur.* Notabiliora hæc sunt, quæ scripsit S. Clemens de fide Christiana.

De Spe. Lib. 2. Stromat. pag. 371. & 377. Lib. 1. Pædagog. pag. 100.

IV. Spes autem est Virtus, qua cum fiducia expectamus bona vitæ futuræ: fiducia autem est firma de aliquo apprehensio: in solo autem Deo fiduciam habemus, quem scimus non transgressurum ea, quæ sunt pulchre nobis promissa. Spes a fide procedit, ac ejus est veluti sanguis; *Revera enim sanguis fidei, est spes*, qua continetur fides tamquam ab anima: *Cum autem spes expiraverit . . . . . vitalis fidei facultas dissolvitur.*

Excellentia & necessitas Charitatis, sive Dilectionis Dei. Lib. 4. Stromat. pag. 518. & 519.

V. Charitas, seu Dei dilectio adeo necessaria est ad meritum nostrarum actionum, ut absque illa nihil sit Deo gratum: *Absque Charitate nihil gratum est Deo. δίχα ἀγάπης οὐδὲν εὐάρεστον τῷ Θεῷ.* Sanctus Alexandrinus Presbyter ex epistola S. Clementis Romani sententiam hanc desumit: & ex eodem hoc Pontifice docet insuper, quod Charitas nihil aliud est, quam diligere Deum & proximum, quod operit multitudinem peccatorum, omnia sustinet, in omnibus est patiens, nos Deo agglutinat, omnia facit in concordia: præterea scribit, in charitate consummatos esse omnes electos Dei, ejusque (charitatis) perfectionem explicari non posse. Charitas etiam Deus dicitur, cum sit bonus: *Charitas ergo perficit non mœchandi præceptum, uxorem proximi non concupiscendi, quod prius metu fuerat prohibitum . . . . Charitas non sinit peccare ἡ ἀγάπη ἁμαρτάνειν οὐκ ἐᾷ. Quare nec castitas bonum est & ex virtute, nisi fiat propter dilectionem in Deum ἐπεὶ οὐδ᾽ ἡ ἐγκράτεια ἐπαινετὸν, εἰ μὴ δι᾽ ἀγάπην γίνοιτο τὴν πρὸς τὸν Θεόν.*

Lib. 4. Stromat. pag. 518. pag. 519. Lib. 3. Stromat. pag. 447.

Utilitas timoris pœnarum. Lib. 1. Pædagog. cap. 8. pag. 116. A malo abstinendum non ex metu aut spe cupiscentiæ, sed ex dilectione. Lib. 4. Stromat. pag. 532.

VI. Etsi fateatur S. Clemens, timorem supplicii prodesse, & inventum esse, ut hominibus bono esset: *Ipse timor prodest, &, ut hominibus bono esset, inventus est*: docet nihilominus, quod qui a malo abstinet propter supplicia, non est bonus sua sponte, sed metu: *Qui enim propter hæc (supplicia) abstinet a faciendo aliquid ex iis quæ sunt injusta, non est sua sponte, sed metu bonus; οὐχ ἑκὼν χρηστὸς, φόβῳ δὲ ἀγαθός*; Idipsum sentit Sanctus Doctor de spe bonorum æternæ vitæ. Si autem ab injuria abstinuerit, ait ille, propter spem remunerationis a Deo consequendæ ob ea, quæ juste fecerit, *nec siquidem sua sponte est bonus*. Sicut enim illum metus, sic hunc quoque merces justum facit; *vel potius efficit ut videatur justus*. Vult igitur S. Clemens, ut verus Gnosticus ex solo amore operetur, & ex amore adeo perfecto, ut si per hypothesim posset impune malum perpetrare, vel si propter peccatum, promissum ei fuisset bonum æternum, vel persuasum haberet, fore ut Deum laterent ea quæ gerit (quod quidem fieri non potest, inquit S. Clemens) nihilominus nihil agere deberet præter rationem: *Unde nec si per hypothesim a Deo acceperit potestatem faciendi ea quæ sunt prohibita, neque si propter ea Beatorum bona accepturum eum esse ei promissum fuerit: sed nec si persuasum habuerit fore ut Deum lateant ea quæ gerit, quod quidem fieri non potest, in animum unquam esse inducturum, ut aliquid agat præter rectam rationem.* Limitatio hæc, *quod quidem fieri non potest*, ad duas primas hypotheses relata, immunem reddit S. Clementem a suspicione Quietismi. Observandum pariter est, quod quando Sanctus Doctor vetat agere propter spem remunerationis a Deo consequendæ, loquitur de quadam spe concupiscentiæ, qua agens optaret bonum illud consequendum, prout est sibimetipsi utile, jucundum, &c. idque commode eruitur ex his Sancti Doctoris verbis: *Hæc est ergo prima ejus qui est perfectus beneficentia, quando non fit propter aliquem usum eorum, quæ ad se pertinent.*

pag. 539.

Timoris bona. Lib. 2. Stromat. pag. 372. & 373. pag. 384. Lib. 7. pag. 746.

VII. Cæterum, fatetur S. Clemens, quemadmodum superius notavi, utilem esse timorem, ac homini salutarem: ait insuper, timorem esse fidei socium, ac principium dilectionis: *Timor est principium dilectionis ὁ φόβος τῆς ἀγάπης ἀρχή*, & removere nos a malo: deinde docet, duplicem quoque esse justitiam, unam quidem propter charitatem, alteram vero propter metum; sed filialem esse hunc metum, ac castum, qui permanet in sæculum sæculi: *Timor Domini castus, perma-*

(*c*) Ad Roman. cap. 5.
(*d*) Matth. cap. 17. vers. 19.

II.&III. SAECULUM.

Timor filialis, & timor servilis. Lib. 1. Pædag. cap. 9. pag. 126. & 127.

permanens in sæculum sæculi: duplex quippe esse genus metus tradit S. Clemens; quorum primo utuntur boni filii erga parentes, & cives erga bonos Principes: secundo autem utuntur servi (sive mancipia) erga Dominos difficiles; & talis quidem fuit metus Judæorum, *Qui Deum*, subjungit Sanctus Doctor, *Dominum fecere, non Patrem*. Quando igitur Sanctus Presbyter ait, quod timor justificat, intelligi debet de timore filiali, quem dilectio semper comitatur: & quando e contra docet, quod ex metu non sumus voluntarie, & sponte boni, intelligi debet de timore servili, qui peccatorem moratur, ac disponit ad veram justificationem.

CAPUT SECUNDUM.

ICON GNOSTICI, SIVE PERFECTI CHRISTIANI.

Scientia Gnostici. Lib. 6. Stromat. pag. 648. & 649.

I. SAnctus Clemens præbet nobis imaginem Gnostici, sive perfecti Christiani præcipue in sexto ac septimo libro Stromatum. Gnosticus, cujusmodi fuit Jacobus, Petrus, Paulus, & reliqui Apostoli, omnia scit, & firma comprehensione comprehendit. Scientia, a qua Gnostici nomen derivat, est principium omnium ejus operationum: hinc comprehendit ea, quæ videntur aliis non posse comprehendi, ut qui Filium Dei præceptorem habeat, cui nihil est incomprehensibile: novit antiqua, & conjectat futura, scit strophas orationum, & solutiones ænigmatum: *Præscit signa & prodigia, & temporum eventus discipulus Sapientiæ.*

Gnosticus passionum & perturbationum expers. Pag. 649. & 650.

II. Talis est Gnosticus, ut in eum eæ solæ cadant affectiones, quæ sunt ad conservationem corporis necessariæ, nempe fames, sitis, & similia. Non versatur in rebus gravibus & molestis, neque in dolorem incidit animive ægrorem, cum persuasum habeat, omnia recte fieri, neque potest eum aliquid hujusmodi abducere a Dei charitate; non irascitur, ex creaturis Dei nullam odio habet, omnes diligit, sed Creatorem diligit per creaturas: per charitatem versatur cum dilecto, cui quidem jam est familiariter conjunctus, & ei appropinquat continentius, & contendit in hoc assimilari Domino ipso, ut nullas admittat passiones; nihil præter Deum optat, cum in uno Deo omnia habeat, quæ desiderari possunt.

Pag. 651.

Gnosticus immutabilis, & ex uno tantum re desiderat. Pag. 652.

III. Consummatus per charitatem, nec lætitiæ, quæ adjuncta est voluptati, nec mœstitiæ, quæ adjuncta est dolori, particeps est; sed inexplebilem contemplationis delectationem insatiabiliter percipit: tanquam peregrinus est super terram, & ad supernam patriam toto suo desiderio aspirat, & jam aliquo modo ibidem est propter summam charitatem, qua Deum diligit: *Corpore non amplius utitur, sed solum ei permittit uti necessariis.*

Tranquillitas. Fides, & spes Gnostici. Ibid. & pag. 653.

IV. Ei amplius opus non est fortitudine, ut qui in malis non versetur, nec ullus apud eum est usus temperantiæ, cum ea non egeat. Ejus fides ac spes differunt valde a fide & spe cæterorum, cum per fidem acceperit Gnosticus id quod est incertum & obscurum aliis; & per charitatem jam est ei præsens id, quod est futurum: *Habet id quod credidit, & obtinet promissionem*: ideoque nec optabit quidem consequi ea quæ hic sunt, cui persuasum est fore ut consequatur ea quæ vere bona sunt.

Verba, immo & cogitationes Gnostici exaudit Deus. pag. 653.

V. *Hujus vocem in precatione non expectat Dominus, pete, inquiens, & faciam; animo cogita, & dabo.* De iis quæ locutus est Dominus, accuratissimam & exactissimam veritatem ab ipsa veritate didicit. Quæ autem apud nos sunt oracula, & de iis quæ sunt, ut sunt, respondet, & de futuris, ut erunt, & de iis quæ facta sunt, ut fuerunt: & quæ a Domino dicta sunt, pro apertis & manifestis sumit, etiamsi aliis fuerint obscura: ad omnem bonam actionem semper præsto & paratus est, omnia gravia ac molesta solitus despicere.

Gnosticus Pius. Lib. 7. pag. 700. pag. 705.

VI. Solus Gnosticus est sanctus & pius, riteque eum qui est vere Deus colit, prout ejus majestatem decet; & existimat esse honorandos Magistratus, & parentes, & omnem seniorem. Ejus operatio est, ut cum Deo habeat consuetudinem per magnum Pontificem, pro viribus Domino assimilatus per universam in Deum pietatem. Virtutes suas veluti sacrificium Deo offert, humilitatem scilicet ac mansuetudinem, nec non in captivitatem seipsum redigit, veteri qui per cupiditates corrumpitur, homine interfecto. *Unde nec in definito loco, neque in templo selecto, neque diebus aliquibus festis & præstitutis, sed per totam vitam ... in omni loco, etiamsi per se sit solus, & si habuerit aliquos, qui similiter crediderint, Deum honorat ... qui cum Deo semper est præsens ... Per totam ergo vitam diem festum agentes .... laudantes agros colimus, laudentes*

Cultus Gnostici. Pag. 719.

pag. 720.

navigamus, & in omni alio vitæ instituto, ut decet, ex arte versamur.

Gnosticus in dignitate constitutus. Pag. 709.

VII. Omnibus prodest, prout vires ei suppetunt. Si in dignitate est constitutus, omnibus virtutibus se exornat, ut recte ministerium suum impleat; tolerantia scilicet, liberalitate, magnificentia: propter quam caussam neque reprehensione, neque vulgi mala fama afficitur, neque opinionibus subjicitur, neque assentationibus. Si est simplex privatus, tranquillus est, prudens, moderatus, justus, omnibus utilis, fidelis: *Maxime quidem dives, eo et quod nihil concupiscat, ut qui paucis egeat.*

Gnosticus simplex privatus. Ibid.

Animi constantia in Gnostico. Pag. 715.

VIII. Propter assiduam orationem, ac rerum coelestium contemplationem semper benignus est, affabilis, patiens: idem autem est rigidus & austerus, idque non solum ut non corrumpatur, sed etiam ad hoc ut non tentetur. Nunquam animum voluptati aut dolori submittit, aut ab eis expugnatur. Gnosticus, qui ad summum jam pervenit gradum, precatur, ut contemplatio augeatur, & permaneat: sicut qui est homo vulgaris, ut sit perpetuo sanus: & perterritus exemplo Angelorum, qui propter socordiam humi lapsi sunt, *jam vero petet etiam, ut a virtute nunquam excidat.* Igitur Christiana justitia amitti potest.

pag. 726.

Exercitia Gnostici. Pag. 718.

IX. Verus Gnosticus ante cibum legit Sacras Scripturas: psallit autem, & hymnos canit dum cibos sumit, & antequam eat cubitum; sed & noctu rursus orat: *Sed nec ea qua fit ore, utitur verbosa precatione*, ut qui quæ petere oporteat, a Domino didicerit. In omni loco orat, sed non ut aperte populo appareat. Quin vero & inter ambulandum, & in sermone & quiete & lectione, & operibus quæ fiunt ex ratione, orat. Quin si in ipsius animæ penetrabilibus solum cogitaverit, atque inenarrabilibus gemitibus Patrem invocaverit; ille prope adest eo adhuc loquente. Longe autem abest, ut Gnosticus sit ad mentiendum propensus & ad jurandum; ejusque vita est firmum ac definitivum jusjurandum. Tandem est Vir perfectus, communem, uti Apostoli, vitam ducens, etiam in Matrimonio. Qui autem (Monachus) sui solummodo curam gerit, & cui magna ex parte evenit ut non tentetur, vincitur a Gnostico in dispensatione eorum quæ ad victum pertinent; quippe cum in familiæ vertetur curatione, indivulsus tamen est a Dei charitate. Hæc est Gnostici, seu perfecti Christiani idea, quam S. Clemens elaboravit, nobisque tradidit.

Vita communis Gnostici excellentior vita Monachorum. pag. 741.

CAPUT TERTIUM.

DE PERFECTIONE CHRISTIANA. DE POENITENTIA: ET DE LEGITIMO MATRIMONII USU.

Perfectio Christiana. Lib. 1. Pædag. cap. 3. pag. 80.

I. QUoniam de perfecto Christiano usque adhuc egimus, videndum nunc superest, quomodo ad Christianam perfectionem perveniri possit. Igitur docet primo loco S. Clemens, neminem perfectionem hanc assequi posse, qui non conetur imitari nostrum divinum Pædagogum Jesum Christum. *Hic nobis est imago*, ait ille, *in qua nulla est macula; et omnibus viribus tentandum est animam similem efficere.* Ex his conjicere possumus quænam esset S. Clementis mens circa Christianam perfectionem, ac probe cognoscimus, Sanctum hunc Presbyterum minime optimis ac perfectis Christianis eos accensuisse, sicuti plerumque contingit, qui quamdam præseferunt probitatem, quam Ethnicorum probitatem haud immerito appellare possemus, si ejus initium ac finis æqua lance librarentur. Hujusmodi sane probitate nemo verus Christianus efficitur, & qui vult talis in conspectu Domini apparere, debet necessario conformis fieri Jesu Christo.

Tres gradus, per quos ad hanc perfectionem pervenitur. Ibid.

II. Distinguit insuper S. Clemens tres diversos gradus, per quos ad Christianam perfectionem pervenitur. Primus est, non immorari diu peccatis: *Peccatis autem non diu immorari, loco ultimo non ponatur.* Secundus est, nullum peccatum voluntarie committere, quod est proprium sapientis: *Secundum autem, nullum ex voluntariis attingere maleficiis, quod est proprium sapientis.* Tertius tandem ac postremus est, involuntaria effugere, hoc est, sicuti inferius explicat Sanctus Doctor, ea quæ a voluntate non procedunt, quod quidem eorum est proprium, quos docet instituitque Divinus Pædagogus: *Tertium est in involuntariorum non adeo multa incidere; quod est proprium eorum, qui bene eruditi & a Pædagogo velle institui fuere.* Summa autem perfectionis esset nullo modo peccare. Verum unusquisque facile deprehendit, privilegium hoc mortalibus nequaquam convenire, ac Dei solummodo proprium esse, qui est justitia ac sanctitas ipsa:

II. & III. Sæculum.

ipsa : *Atque optimum quidem est nullo modo peccare penitus; quod Dei esse dicimus.*

Unde Pœnitentia proficiscatur. Lib. 2. Stromat. pag. 371.

III. Quoad Pœnitentiam dicit primo loco S. Clemens, hanc esse fidei effectum, immo & ejusdem opus: *Fides ergo efficeum, quoque & opus, est pœnitentia.* Idque probat ex eo, quod nisi quisque crediderit esse peccatum, quo prius tenebatur, ab eo non dimovebitur: & nisi crediderit, ei quidem, qui delinquit, impendere supplicium, paratam autem esse salutem ei, qui ex præceptis vivit, nec sic quidem mutabitur. Tradit demde Sanctus Doctor, Legem esse alteram exteriorem pœnitentiæ caussam, quia jubet ea quæ sunt facienda, & ea reprehendit, quæ facienda non sunt, necnon peccatorem instruit ac corripit, cum data sit uti Pædagogus ad Christum, ut *per timorem castigationis* eumdem peccatorem convertat ad perfectionem. In hoc sensu Pœnitentia considerari potest ut dispositio remota ad Christianam perfectionem adipiscendam.

Pœnitentia bona est ac utilis. Lib. 1. Pædagog. cap. 9. pag. 124. pag. 117.

IV. Pœnitentia æque utilis est & salutaris homini, ac utile est & salutare ægroto convalescere a morbo. Pulchrum quidem certe est non peccare, ait S. Clemens: *verum bonum est etiam, ut & qui peccat, ducatur pœnitentia; quemadmodum .... bonum .... est etiam a morbo convalescere.* Præterea ostendit Sanctus Doctor Scripturarum auctoritate, Deum in ipsa minarum intentione requirere a nobis pœnitentiam: *Videte quomodo Deus propter suam bonitatem requirens pœnitentiam, & in ipsa minarum intentione tacite ostendat suam in homines benevolentiam.* Falsum igitur est, pœnitentiam inter mala numerandam esse, quemadmodum nostris hisce temporibus Novatores somniantes venditant.

Duplicis generis Pœnitentia. Lib. 2. Stromat. pag. 383.

V. Duplex pœnitentiæ genus distinguit Sanctus Presbyter, prout respicit duplex genus hominum, qui eamdem amplectuntur. Primum est eorum, qui ab infidelitate ad Jesu Christi Religionem convertuntur: alterum vero eorum est proprium, qui peccant postquam Christi fidem professi sunt: utraque pœnitentia obtinet remissionem peccatorum: Secunda autem pœnitentia unica est quæ agenda superest post Baptismum; idque probat S. Clemens, Hermam sequutus, cujus verba hoc loco excribit, ex D. Paulo ad Hebræos (a): *Voluntarie enim peccantibus nobis &c.* Verum supra jam notavimus, id intelligi non posse nisi de pœnitentia publica, quæ reipsa semel tantum concedebatur fidelibus in graviora crimina lapsis post Baptismum.

Vera Pœnitentia. Lib. 2. Stromat. pag. 385.

VI. Attamen ut nullus licentiæ locus supersit, eodem loco docet Sanctus Presbyter, semper autem ex auctoritate Pastoris, quænam sit vera pœnitentia. Vera igitur pœnitentia, prout ille, immo & veritas ipsa docet, ea est, per quam pœnitens non amplius ea facit, quæ fecit: *Qui enim eorum, quæ fecit, ducitur pœnitentia, non amplius facit ἐν ἔτι ποιεῖ. Eum ergo,* subjungit, paucis interjectis, *qui accepit remissionem peccatorum, non oportet amplius peccare ἐν ταῖς ἁμαρτίαις χεῖν.* Hisce præjactis; quæ terribilia esse debent omnibus ferme nostri ævi Christianis, in frequentiores relapsus vehementer invehit, eosque, qui sæpe prolabuntur, Ethnicis æquiparare non formidat.

Ficta Pœnitentia. Ibid.

„ Continuæ autem, inquit ille, & se vicissim excipientes propter peccata pœnitentiæ, nihil differunt „ ab iis, qui omnino non crediderunt, præterquam „ in eo solo, quod se peccare sentiunt: „ *Neque scio, utrum sit deterius, prudentemne ac scientem peccare; an cum pro iis quæ peccavit pœnitentia ductus*

pag. 386.

fuerit, rursus peccare .... Apparet ergo (hominum oculis) *sed non est pœnitentia* (in conspectu Dei) *sæpe petere veniam de iis, quæ sæpe peccamus δόκησις τοίνυν μετανοίας, ὁ μετάνοια, τὸ πολλάκις αἰτεῖσθαι συγγνώμην.* Num possumus, hisce positis, vehementer non commoveri ad frequentes nostros relapsus? vel tranquillo animo consistere super præcipitii oram interim ambulantes? Trepidemus igitur, si vel parum nosmetipsos diligimus, quoniam hyperbolico modo hæc non sunt conscripta, sed sunt indubiæ veritates, quæ Scripturarum, & totius Traditionis auctoritate confirmantur.

VII. His quæ circa Matrimonium ex S. Clemente excripsimus, & inter Dogmaticas veritates retulimus, addimus modo quæ docet idem Sanctus Presbyter quoad ejusdem Matrimonii legitimum usum. 1°. Ait non esse cuilibet ducendam uxorem, neque semper, sed considerandas esse circumstantias temporis, personæ, & ætatis: *Neque enim est uxor ducenda cuilibet, neque semper; sed tempus quoque est in quo convenit, & persona cui convenit, & ætas ad certum usque terminum.* 2°. Mandat, ut pure se gerant qui Matrimonio juncti sunt, ac Deum semper præ oculis habeant:

Legitimus Matrimonii usus. Lib. 2. Stromat. pag. 421.

Sola enim voluptas; ait alio loco, *si quis ea etiam utatur in conjugio, est præter leges, & injusta, & a ratione aliena .... Igitur qui Matrimonio juncti sunt, iis scopus est & institutum liberorum susceptio, finis autem ut boni sint liberi.* Mandat insuper, ut maritus & uxor continentiam servent, prout matrimonii status pati potest, ac sese invicem diligant honesto & moderato amore, & absque concupiscentia. Verum continentiam hanc non oportet considerare in uno solum genere, nempe in rebus veneriis, sed etiam in quibuscumque aliis, quæ luxuriosa concupiscit anima, non contenta necessariis, sed sollicita de deliciis. „ Continentia est, statim subjungit S. Clemens, pecuniam despicere, voluptatem, possessionem, spectaculum magno & excelso animo contemnere, os continere ratione, quæ sunt mala vincere. „ Tandem Sanctus Doctor instruit viros, ne cum propriis uxoribus adhuc prægnantibus, vel infantem lactantibus rem habeant, ostenditque ex Scripturis, hebræorum neminem ad proprias uxores in his circumstantiis accessisse. Cætera silentio prætereo, quæ scribit S. Clemens quoad Matrimonium, cum omnibus innotescere minime debeant.

Pag. 423. Lib. 2. Pædag. pag. 187. Lib. 3. Stromat. pag. 450. Ibid. pag. 456.

CAPUT QUARTUM.

DE ELEEMOSYNA. DE JEJUNIO. ET DE ORATIONE.

Effectus, & remuneratio Eleemosynæ. Lib. 2. Stromat. pag. 398. Lib. 4. Stromat. pag. 489.

I. ELeemosyna & fides, ait S. Clemens in suis Stromatis, sunt custodiæ regiæ. Benedictio autem in caput ejus, qui elargitur; & qui miseretur mendicorum, beabitur; quoniam charitatem ostendit in sibi similem, propter eam, quam habet, charitatem in Opificem humani generis. Verum non ille tantum misericors est, qui reipsa donat; sed ille etiam, qui dare vult, cum non possit: *Misericordes autem esse vult, non solum qui faciunt misericordiam, sed etiam qui misereri volunt, etiamsi non possint, quibus adest ut sponte & libera voluntate operentur.* Nonnunquam enim volumus, vel danda pecuniam, vel corpoream adhibendo operam, facere misericordiam; nec possumus, vel propter paupertatem, vel morbum, vel senectutem:

Ibid.

Eundem autem honorem consequentur ii qui voluerunt, cum iis qui potuerunt; quorum est voluntas æqualis, etsi alii superent facultatibus. Pulcherrima hæc verba æque divites humiliant, qui suarum eleemosynarum jactant & magnificant numerum, ac pauperes solantur, quibus deest unde in suos fratres opulentas erogent eleemosynas.

Necessitas, quæ divitibus incumbit, dandi superflua pauperibus. Lib. 2. Pædagog. cap. 13. pag. 207. & 208.

II. Necessitatem, quæ divitibus incumbit, dandi superflua pauperibus, ostendit S. Clemens sequentibus verbis. „ Deus ipse, ait egregie Sanctus Doctor, produxit genus nostrum ad communicationem; *& fecit omnia pro omnibus: sunt ergo omnia communia, ne plura quam alii sibi vindicent divites.* Hoc ergo, *adsunt mihi & supersunt, cur non me his oblectabo?* non est humanum, nec ad societatem pertinens. Illud autem magis charitatem arguit, *adsunt mihi, cur non impertiar pauperibus?* „ Qui enim talis est, est perfectus, qui hoc implevit „ (præceptum): *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (b). Hæ sunt veræ divitiæ, hic est pretiosus thesaurus. *Quæ autem fiunt in cupiditates impensæ, interitus non sumptus locum obtinent. Scio enim,* loquitur semper S. Clemens, *Deum potestatem usus nobis dedisse, verum eam usque ad id quod est necessarium; & usum communem esse statuit.* Absurdum est autem & turpe, unum laute & luxuriose vivere, cum multi esuriant. Quanto est enim gloriosius multis benefacere, quam magnifice habitare? Quanto autem prudentius, in homines, quam in lapides, & in aurum, impendere? Quanto autem est utilius ornatos habere amicos, quam ornamenta inanima? „ Utinam æternæ istæ veritates divitum corda pertingerent! heu! quam facile possent egenos juvare, ac inopiam omnino tollere, si necessaria solummodo sibi retinerent, & in superfluos sumptus non distraherent ea bona, quorum non sunt nisi simplices administratores! exulet ab eorum cordibus cupiditas, & illico paupertas exulabit a mundo. Animadvertendum nihilominus est eam Divo Clemente, ne ullus locus scrupulis supersit, absolute vetita non esse sumptuosa & magnifica, dummodo tamen absque ulla vehementi affectione & discrimine eis utamur: *Sin autem fieri non potest .... hæc supervacanea longe rejicienda.* De eleemosyna sermo erit iterum in capite sequenti.

III. Je-

(a) Cap. 10. v. 26.

(b) Matth. cap. 19. vers. 19.

II. & III. SECULUM.

Significatio Jejunii. Lib. 6. Stromat. pag. 665. Lib. 7. Stromat. Pag. 744.

III. Jejunium, juxta S. Clementis doctrinam, significat omnem abstinentiam ab omni peccato operis, oris, & cogitationis: *Jejunia autem significant omnem generaliter abstinentiam ab omnibus malis, tam quæ alia sunt, quam quæ verbis, & ipsa cogitatione.* Tradit alio loco S. Clemens, quod Gnosticus jejunat in vita & ab avaritia, & a libidine, ex quibus omnia oriuntur vitia. *Jejunat ergo ex lege a malis actionibus, & ex Evangelii perfectione a malis cogitationibus.* Hoc est itaque verum Christiani jejunium, se abstinere scilicet ab omni malo, & nihil perpetrare vel opere vel cogitatione, vel ore, quod oppositum sit legi, & a perfectione Christiana remotum: quod quidem non impedit, quominus serventur abstinentiæ, quas servat Ecclesia, quemadmodum alio loco vidibimus.

Definitio Orationis. Ibid. pag. 721.

IV. Sanctus Presbyter prolixius loquitur de Oratione; & notabiliora quæ habet, sunt quæ sequuntur. *Est ergo, ut audacius dicam, precatio, cum Deo conversatio & collocutio.* Quare licet susurrantes, & nec labra quidem aperientes tacite loquamur, *intus clamavimus: omnem enim intrinsecus paratam collocutionem Deus exaudit.* Hæc orationis notio æque convenit mentali, ac vocali orationi: & ex allatis modo S. Clementis verbis facile dignoscitur, Sanctum Doctorem, utramque veram esse orationem agnoscere. Idipsum in sequentibus nos demonstrabimus.

Assidua Oratio semper exaudita. Ibid. & pag. 723.

V. Gnosticus per totam vitam orat; dum per preces suas cum Deo studet versari; & illi soli id quod petit secundum Dei voluntatem tribuitur, & cum petiit, & cum cogitavit. Omnino enim novit Deus eos qui bonis digni sunt, & qui non: unde dat ea quæ singulis conveniunt. Quamobrem indignis, etiam si sæpe petierint, non dabit; dabit vero iis qui sunt digni: *Neque supervacuum tamen propterea est petitio, etiamsi absque petitione dentur bona*: Nam & gratiarum actio, & petitio eorum quæ pertinent ad conversionem proximorum, est opus Gnostici. Quin etiam fides, qua quis credit accepturum esse se quod petit, quadam precatio est, in animo Gnostici reposita. (Hæc habet S. Clemens de oratione Gnostici.)

Orationes in totum usque ad thronum Dei ascendunt. Pag. 728.

„ Quod si quis dicat, verba sunt Sancti Alexandrini
„ Presbyteri, vocem internus in aere volvi, nec ad
„ Deum pervenire: *At cogitatio Sanctorum secat non*
„ *solum aerem, sed totum mundum*: statim enim vis
„ divina, perinde ac lux, totam perspicit animam...
„ & Deus totus auditus, & totus oculus est, ut his
„ nominibus utar. „

Orationes Impiorum inutiles, & cur? Lib. 6. Stromat. Pag. 670.

Nocent insuper & impiis, & cæteris. Lib. 7. Pag. 724.

VI. Orationes impiorum, eorumque, qui recte non operantur, inutiles sunt, vel quia ignorant quæ sint vera bona; vel quia si acciperent, donum non sentirent; vel tandem quia pro dignitate eo non uterentur: *Clarum est, quod qui bona non faciunt alienant .... nec ii quidem Deum precari possunt, ut ab eo bona accipiant; cum, quæ sint vera bona, ignorent; neque, si acceperint, donum senserint; neque pro dignitate eo usi fuerint, quod non norunt .... sceleratis ergo hominibus oratio non solum in alios, sed etiam in seipsos est perniciosissima.* Orant siquidem, ut ea possideant, quæ non habent bona, atque quæ videntur bona, non ea quæ sunt, petunt. Ridiculum foret, si ex his principiis quisquam concluderet, impios nequaquam debere orare: id enim cum ex illis unice debet, peccatorem debere dimittere affectum ad peccatum, ut facilius possit orationis donum obtinere.

Oratio Mentalis. Lib. 7. Stromat. Pag. 713.

VII. Ut ostendam id quod superius innui, S. Clementem scilicet agnoscere, orationem mentalem esse veram orationem, sat erit ejusdem verba hæc iterum recitare. „ Quomodo non ipsam animam, ait Sanctus
„ Doctor, & mentem Deus exaudit, cum jam certe
„ anima animam, & mens mentem exaudiat? *Unde*
loquatur Deus linguas non expectat, ut hominum interpretes; sed cognoscit omnium mentes; & quod nobis vox significat, hoc Deo nostra loquitur cogitatio, quam etiam ante creationem sciebat esse venturam in mentem. „ Licet ergo, concludit Sanctus Presbyter, etiam absque voce emittere orationem, modo quia quidquid
„ est intrinsecus spiritale, intendat in vocem, quæ
„ mente percipitur, per individuam ad Deum conver-
„ sionem „. Antequam huic argumento finem imponamus, animadvertere hic optimum erit, S. Clementem aperte docere, quod peccatorum preces quandoque sed raro exaudiuntur: *Hoc quidem raro fit, propter justam Dei bonitatem*; quia quæ vere bona sunt non petunt.

(a) Matth. cap. 19. vers. 24.

II. & III. SECULUM.

CAPUT QUINTUM.

QUIS DIVES SALVETUR.

I. SAnctus Clemens Tractatum satis prolixum concinnavit, qui inscribitur: Quis Dives salvetur. Ut igitur in hoc pertractando argumento Sancti hujus Doctoris inhæreamus principiis, in medium afferemus quæ in illo notabiliora sunt. Primo igitur principii loco ponit S. Clemens, Divitum salutem non esse in se quid impossibile, difficiliorem autem opulentorum salutem esse dicit salute egenorum, hac præcipue de causa, quia omnes fere divites, auditis illis Salvatoris vocibus: (a) *facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum*, animum despondentes, quasi vitam minime consecuturi, longius a via, quæ in cœlum ducit, divertunt. Addit insuper, alios adesse, qui Salvatoris verba recte intelligunt: neglectis tamen quæ ad salutem spectant, operibus, quantum par est apparatum non faciunt, ut eorum quæ in spe posita sunt, compotes efficiantur. Hæc igitur sunt quæ saluti Divitum communiter obstant; vel non percipiunt Salvatoris verba modo allata, & inopportuno timore corripiuntur; vel eadem percipientes, negligunt quæ ad salutem spectant. Valde igitur necessarium est illos confirmare, istos vero perterrere.

Lib. Quis dives salvetur. num. 2.

II. Divitum salutem veluti possibilem tuetur S. Clemens, dicens, quod Deus divites æque ac pauperes vocavit ad Religionem Christianam; immo ait, divites non omnino repulsos esse ab hæreditate Regni Cœlorum, si modo dicto audientes sint, ut mandata exequantur; *eosque, qui velint, Dominum placide suscipere*; nec Deum præcipere, ut pecunias a se dives amoveat, ac facultates projiciat, sed solum ut animo exterminet quæ de divitiis vana judicia sunt; ac tantum abesse, quod Jesus Christus jusserit ut divitiæ projiciantur, quod potius non uno in loco sui Evangelii laudat rectum earundem usum, immo mandat insuper, ut esuriens alatur, potus detur sitienti, nudus contegatur, peregrinus colligatur: quæ quidem omnia solus dives potest præstare. „ Quanam quis ratione,
„ inquit Sanctus Doctor, esurientem alat, sitienti po-
„ tum det, nudum contegat, peregrinum colligat,
„ quæ nisi quis faciat, ignem comminatur & tenebras
„ exteriores, si quisque ipse prior horum omnium ege-
„ nus extiterit? Quin & ipse excipi se hospitio a Za-
„ chæo jubet & Matthæo, qui divites essent & pu-
„ blicani: *At quidem dimittere eos pecunias non jubet.*

num. 3.

num. 5.

num. 11. & 12.

num. 13.

III. Ex his concludit Sanctus Presbyter, abjiciendas non esse opes, quæ cedere possunt in proximi utilitatem: divitiæ enim ac opes præsto sunt, subjacentque velut materia quædam & instrumentum, boni usus præstandi causa, his qui vim instrumenti sciant; & ex se opes neque bonum, neque malum habent, atque omni vacant crimine. *Quod igitur*, subjungit Sanctus Doctor, *cunctis opibus renunciare jubemur ..... in hunc modum intelligendum est, ut de affectibus animi ac perturbationibus dictum accipiatur.*

num. 14. & 15.

num. 14.

IV. In postrema hac animadversione pluribus insistit: ac deinde docet, sublatis opibus vitia ac perturbationes adhuc manere posse, & abjectis sæcularis fastus divitiis, vitiorum adhuc & affectuum segetem aliquam esse posse, ac tandem ab exteriori paupertate innumera mala prodire: „ Qui e contra possessionibus locu-
„ ples est, aurumque & argentum, & domos tam-
„ quam Dei dona habet, Deo largitori in hominum
„ salutem ex eis obsequitur „; *novitque fratrum potius caussa, quam ob sui gratiam, hæc a se possideri ...; Hic ille est, qui a Domino beatus prædicatur, & pauper spiritu vocatur.* Hæc S. Clementis verba nata apta sunt ut tranquillitatem tribuant conscientiæ eorum divitum, qui perlectis supra memoratis Evangelii verbis, plus æquo anguntur, ac si æternam salutem consequi nequaquam possent. Intelligant igitur hujusmodi viri, divitias malas non esse prout divitiæ sunt, immo æternum præmium promereri posse, si rectus fiat earundem usus. Hujus vitæ bona, mala sunt malis, bona vero iis omnibus, qui juxta Evangelii mentem eadem insumunt.

num. 15.

num. 16.

V. Quoad temerarios vero nimiumque audaces divites, qui salutem obtinere posse opinantur absque legitimo divitiarum usu, aperte declarat S. Clemens, hujusmodi homines regni cœlorum desiderio accendi non posse, qui proni cernuique in terram, opes in animo gerunt: Ubi enim, inquit S. Clemens cum Domino Salvatore, est mens hominis, ibi & thesaurus ejus est.

num. 17.

II.&III. Sæculum.

est. Si igitur thesaurus hominis in divitiis est, ibi & cor ejus erit; & homo qui mundi laqueis irretitus est, cœlestem patriam nequit concupiscere: *Unde et, (qui terra sit) regni cœlorum desiderio attendatur, ac ejus cura affici possit . . . . quem plane necesse sit in iis deprehendi, quorum amore captus existit.* Falso
num. 29. igitur dives, *qui tamen dives est*, quia vitam transtulit ad exteriorem substantiam, quæ præterit atque interit. Rursus eadem ratione est & verus pauper, & spurius alius falsique nominis pauper existit: ei igitur, recede, dicendum est, ab his, quas in animo possides facultatibus, ut mundo corde evadens videas Deum; ac vende universa quæ habes, & opes opibus commuta,
num. 32. pro prædiis quippe & pecunia erit tibi merces, ac perpetuus honor, & salus, æternaque incorruptio: videlicet debet absolute ac necessario bona sua suasque opes in pauperes distribuere absque tedio, querela, personarum acceptione; immo suppliciter Deum exorare debet, ut dignetur ea munera acceptare; & debet insuper festinare ac enitere, ac timere ne illa spernet. Tandem copiosas Eleemosynas omnibus indiscri-
num. 33. minatim elargiri debet. „ Melius enim est, inquit „ Sanctus Presbyter, ut & indignis benefacias propter „ dignos, quam ut dum caves indignos, ne in eos „ quidem qui bene merentur, incidas. Quod vero om„nibus qui indigeant deinceps præbeas, necesse omni„no etiam aliquem nancisci, qui apud Deum salutem „ conciliare queat „.

VI. Etsi doceat hoc loco S. Clemens, omnibus indiscriminatim pauperibus elargiendam esse eleemosynam; nihilominus commendat præcipue senes pietate præstantes, pupillos religiosis moribus, viduas mansuetudine instructas, viros charitate ornatos. Hos ille dicit advocatos, quos divitiis suis sibi parare debet apud Deum dives: hic quippe pauper a Deo divitis salutem efflagitare potest, ille laborantem solari; alius lacrymas ac gemitus in ejus gratiam ad universorum Dominum fundere; alter libere admonere ac corripere; alter benevole consilium dare: omnes denique vere, sine dolo, nullo timore, nulla simulatione, aut adulatione, nihilque ficte amare. Hæc sunt, quæ observatione digna occurrunt in Divo Clemente quoad salutem Divitum.

CAPUT SEXTUM.

De Jurejurando. De Peccato in Genere. Et de Mendacio.

Definitio jurisjurandi. Lib. 7. Stromat. pag. 728.

I. JUsjurandum a Sancto Alexandrino Presbytero sic definitur: *Est jusjurandum confessio definitiva cum divina assumptione.* Qui est autem semel fidelis opus non habet jurejurando; & ita vitam instituit, ut ea sit firmum ac definitum jusjurandum, fidemque ostendat confessionis in constanti stabilique vita & sermo-

Gnosticus non jurat, & cur? pag. 729.

ne. Sed neque jurat, ut qui in affirmatione quidem *ita*, in negatione autem *Non* usurpare constituerit. Sufficit ergo ei vel affirmationi, vel negationi addere illud *Vere dico*, ut fidem iis faciat, qui responsi ejus non perspiciunt stabilitatem. Cuinam ergo opus est jurejurando ei, qui ita vivit, ut jam pervenerit ad summum veritatis? *Nam qui ne jurat quidem, multum abest ut sit pejeraturus. Qui autem juste vivit; . . . is fallit vere & sancte jurat. Est ergo ei superfluum linguæ testimonium.*

Definitio peccati, & in quo proprie peccatum consistat. Lib. 1. Pædagog. cap. 13. pag. 135. pag. 136.

II. Peccatum a Sancto Doctore sic definitur: *Quidquid est præter rectam rationem, id est peccatum.* „ Si „ ergo (subjungit) quæ in ipsam Rationem seu Ver„bum inobedientia committitur, peccatum generat; „ quomodo non necessario Rationi seu Verbo obedi„re, quod quidem fidem dicimus, parit id, quod „ vocatur officium? Ipsa enim virtus, est animæ con„sentiens affectio, rationi subjecta per totam vi„tam . . . . Jam enim, quando primus homo pecca„vit, & Deo non obedit, *& jumentis*, inquit (Scri„ptura) *assimilatus est*, qui præter rationem aber„rasset, merito rationis expers existimatus compa„ratur jumentis „. Non amplius enim ut homo loquitur, *Nec est amplius particeps rationis, qui peccat præter rationem*: verum est expers rationis bellua, dedita cupiditatibus, cui omnes voluptates insident. Hanc perhibet S. Clemens & peccati, & peccatoris definitionem. Sicuti vero per Rationem de qua loquitur, intelligit Rationem æternam, hoc est Verbum Dei, ita hoc necessario sequitur, quod peccatum, juxta Sancti Presbyteri doctrinam, opponitur huic æternæ Rationi, ejusque est inobedientia. Obedientia autem quæ illi præstatur, est fides, prout eodem loco expresse idem Sanctus Presbyter docet. Indubium igitur est, omne peccatum dicere aliquam oppositionem ad fidem; ac in ista oppositione peccatum in genere vere ac proprie consistere.

Peccatum est voluntarium. Lib. 2. Stromat. pag. 388. Lib. 7. Stromat. pag. 738. Lib. 2. Stromat. pag. 388.

III. *Peccatum est voluntaria injustitia . . . . . est ergo peccatum . . . . voluntarium . . . . . sunt utique duo cujusvis peccati principia, ignorantia & imbecillitas: est autem utrumque in nostra potestate.* Sicut certe in fossam quoque incidit aliquis, vel quod ignoraverit, vel quod transilire non potuerit *propter imbecillitatem corporis. Sed in nostra quidem certe est potestate, & ad nostram dedaci disciplinam, & parere preceptis.* Non datur igitur, juxta S. Clementem, ignorantia juris naturalis, nec imbecillitas seu infirmitas naturæ, quæ omnino a peccato excusent; utrumque enim superare possumus, idque in nostra est potestate.

Definitio Voluntarii. Lib. 2. Stromat. pag. 387.

IV. Omne peccatum voluntarium esse docet Sanctus Clemens: illudque voluntarium appellat, quod est ex appetitione, vel ex instituto, vel ex electione, vel ex cogitatione. *Voluntarium autem est, vel quod est ex appetitione, vel quod ex instituto ac electione, vel quod ex cogitatione.* Non venit autem in judicium id, quod

Quid sit Involuntarium. Ibid.

est involuntarium. Id autem est duplex: unum quidem, quod fit ex ignoratione; alterum vero quod ex necessitate. Inquirendum nunc est, ex quanam ignorantia voluntarium auferatur. Tollitur igitur voluntarium, juxta hunc Auctorem, ex ea ignorantia, qua quis seipsum ignorat; ex ea insuper, qua quis ignorat id quod agit, ut si, exempli gratia, domesticum occidit pro adversario; & tandem ex alia hujusce generis, quæ actiones respiciunt, vel res, quas scire non tenemur, & invincibiliter possumus ignorare. In omnibus his circunstantiis nullum habetur voluntarium, ideoque nullum peccatum.

V. Etsi verba faciens Sanctus Alexandrinus Presbyter de versione Septuaginta Interpretum asserat, eamdem ideo concinnatam fuisse, ut & ipsi Græci inexcusabiles sint, nullamque protendere possint ignorantiam quoad veræ Religionis principia, quemadmodum superius de Dogmaticis veritatibus pertractantes innuimus; Id nihilominus intelligi debet quoad præcepta, quæ aliunde in lege naturali firmantur. Hinc ex eodem S. Clemente eruimus, ignorantiam earum rerum quæ simpliciter respiciunt jus positivum, excusare posse: aperte enim declarat, quod qui verbum non audivit,

Ignorantia Juris divini positivi excusat a peccato. Cohort. ad Gentes. pag. 63.

veniam consequitur propter ignorantiam: *Deinde*, ait Sanctus Doctor, *qui Verbum quidem non exaudivit, ei venia datur propter ignorantiam*: qui vero auribus accepit, & consulto tamen incredulam mentem gerit, quo videbitur esse prudentior, eo magis ipsi sua cognitio nocebit; cum ipsa eum prudentia condemnet, quod optimum non elegerit.

VI. Itaque ut habeatur verum peccatum, requiritur voluntarium; abesse debet necessitas, & ignorantia invincibilis; debet esse liberum, & a nostra electione: si non serventur conditiones istæ, voluntarium non habetur, ideoque neque peccatum. Hæc est S. Clementis Doctrina. Cæterum, idem Sanctus Doctor duplex

Duplex peccatum; Mortale, & Veniale. Lib. 2. Stromat. pag. 389.

peccatum distinguit, peccatum mortale, quod ille appellat cum Apostolo Joanne *peccatum ad mortem*, pro quo ipse Apostolus Joannes non dicit ut roget quis (*u*); & peccatum veniale, & est peccatum non ad mortem, & quod facile remittitur. Hæc sunt quæ de peccato in genere tradit Sanctus Alexandrinus Presbyter.

VII. Quoad mendacium in particulari, illud in qualibet circumstantia vetat S. Clemens, etiamsi necessarium esset ad vitam tuendam: *Ea ratione* ait ille de

Non est permissum mendacium, etiamsi de vita agatur. Lib. 7. Stromat. Pag. 729. Pag. 730.

suo Gnostico loquens, *neque jurat, si fuerit rogatus, neque unquam negat, ne falsum dicat, etiamsi moriatur in tormentis.* Et aliquanto supra scribit: *Gnosticus quidquid habet in mente, id etiam fert in lingua . . . vera enim simul sentit & dicit.* Nihilominus S. Clemens docere videtur, aliquas haberi circumstantias, in quibus mentiri licet; idque probat exemplo Divi Pauli, qui ut Hebræos lucrifaceret, voluit circumcidere Discipulum suum Timotheum, licet in omnibus suis sermonibus circumcisionem nihil prodesse doceret: *Vera enim . . . dicit*, verba sunt S. Clementis, *nisi quando loco medicina, ut medicus ad ægrotantes, ad eorum qui laborant salutem, mentietur aut falsum dicet . . .

Mendacium quandoque permissum juxta Sanctum Clementem. Ibid.

Ecce enim Timotheum præclarus circumcidit Apostolus, cum vociferaretur & scriberet, circumcisionem manufactam nihil prodesse, &c.* Pro hujus Doctrinæ veritate nequaquam sponderem, quæ nec probabiliter quidem confirmatur & circumcisione Timothei, cum eamdem permiserit Apostolus ex sola indulgentia, non autem ut mentiretur; circumcisio enim nec in seipsa mala erat, nec tunc temporis vetita; mendacium autem e contra

(*u*) Epist. 1. cap. 5. vers. 16. 17.

II. & III. SAECULUM.

contra malum est ex natura sua; ideoque nunquam licet mentiri, etiamsi vita in discrimen adducatur.

CAPUT SEPTIMUM.

DE MARTYRIO, ET DE TORMENTIS.

I. PUlcherrima documenta de Martyrio & Tormentis tradit S. Clemens in quarto Stromatum libro, & sunt quæ modo subjicimus. Primo igitur docet, mortem non esse malum, quemadmodum opinabantur quidam ejus ævi hæretici, qui Martyres reprehendebant, sed e contra esse verum bonum, ac magnam parere utilitatem vero fideli. Deinde ait, martyrium esse *Perfectum opus charitatis*. Insuper tradit, vere martyrem esse in conspectu Domini eum fidelem, qui sanctissimas Christianæ Religionis regulas servat, quicunque tandem sit ejus vitæ exitus: *Et vita*, ait ille, *& sermone est testis, quomodocunque liberetur a corpore, fidem tanquam sanguinem per totam vitam, & etiam in exitu profundens*. Veritatem hanc quilibet facile deprehendere poterit, si vel parum violentiam attenderit, quam semper sibimetipsi inferre debet quisquis vult pie vivere in Christo Jesu. Quod si persecutiones addamus, quas subire cogitur verus fidelis, fateri debemus, solam sanguinis effusionem eidem deesse, ut Martyribus accenseatur, quoniam & vita & sermone testis est veritatis.

Excellentia Martyrii. Lib. 4. Stromat. pag. 479. Verus Christianus est Martyr. pag. 480.

II. Docet Sanctus Presbyter, veluti Martyres suscipiendos non esse sui ævi Hæreticos, qui propter odium in Creatorem, & in proprium corpus, seipsos magno studio morti tradere contendebant: „ Fidelis enim „ martyriis, ait Sanctus Doctor, non servant characte„ rem, quandoquidem verum Deum non cognovere. Non debemus igitur in corpus invehi, sed bona ejusdem corporis compago, & recta compositio, prout docet S. Clemens, est procuranda, non quidem in corporis commodum, sed propter intimam ejus unionem cum anima, ad quam omnis pro corpore suscepta sollicitudo, referri debet. Quin immo gerenda est cura corporis, addit Sanctus Doctor, per quod & vivendum, & recte vivendum est ei, qui annuntiat præconium veritatis. Eorum igitur reprehendenda est devotio, qui multum apud Deum promereri putantes, immodicis afflictionibus, ac omnigena carnis maceratione corpus adeo enervant, ut liberum exercitium operationum animæ aliquo modo impediant. Id agere, est voluntarie infirmitates sibi conciscere, ac incommoda, quæ dum corporis vires roburque imminuunt, remittunt etiam illam animæ vim, quæ admodum cuilibet est necessaria, ut suas erga Deum & Proximum obligationes persolvat. At nunquam homini licet hujusmodi incommoda voluntarie sibi parare: igitur neque licet immodicis carnis macerationibus indulgere, quas molestæ infirmitates semper subsequuntur.

Hæretici. Falsi Martyres. pag. 481.

Habenda est moderata cura corporis. Ibid.

III. Docet S. Clemens paulo inferius, lætitiam & dolorem in se malum non esse, & boni malive naturam induere ex modo, quo quis iisdem utitur: idque probat primo auctoritate Scripturarum, præcipue vero his Divi Pauli ad eos qui matrimonio juncti sunt verbis: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi* (a) & deinceps: *Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam*. Deinde profert ad rem aliqua Profanorum Scriptorum testimonia, ex quibus eruitur, æque Religioni ac rationi contentaneum esse, quod homo sui corporis prudenter curam gerat dummodo propter animæ bonum id peragat: *Habetur autem cura corporis*, ait hoc loco S. Clemens, *propter animam, ad quam fit relatio*.

Lætitia & dolor ex modo quo quis iis utitur, ad bonum vel malum accedunt. pag. 483.

pag. 483.

IV. Hisce præjactis principiis ostendit S. Clemens, meritum paupertatis & persecutionum repetendum non esse præcise & absolute ex eo, quod pauper quis sit, sed ex ratione qua hujus mundi honores contemnit, ac ex patientia, qua possidet animam suam. Deinde post plura documenta quæ tradit diversa pertractans argumenta, loquitur de Martyrio, ac mortis contemptu, & in hoc perfectionem virtutis Christianorum consistere docet. Damnat eorum vecordiam, qui persecutionis metu Jesu Christo mentiuntur, hosque non solum meticulosos, ac modicæ fidei, verum etiam infideles, & hypocritas appellat. Mentiuntur itaque Domino, ait S. Clemens, vel potius spei suæ mentiuntur, eaque frustrantur, qui Deo non credunt. Miseris autem hominibus, quibus martyrium, quod per sanguinem Domino præbetur, videtur esse mors violentissima, ostendit, hanc mortis januam, esse veræ vitæ principium; idque probat non solum ex sacris Scripturis, (nam omnia fere mandata hoc indicant,) sed etiam ex ipsa Ethnica Philosophia: inde autem homines munit adversus propriam imbecillitatem; & ut plenam victoriam consequantur, eosdem ad charitatem inflammat, cujus vim miram prorsus atque supernam extollit contra omnes hostis tentationes. „ Neque ergo, ait S. „ Clemens cum Apostolo, spes felicitatis, neque in „ Deum charitas, ægre fert ea, quæ accidunt, *manet* „ *autem libera*: & licet in bestias incidat immanissi„ mas, licet in ignem voracissimum, licet tyrannicis „ conficiatur tormentis, a divina pendens amicitia, „ minime redacta in servitutem, *Superas obit regiones, corpora iis tradens, qui id solum possunt tenere*.

pag. 484.

pag. 490.

Infortunium eorum, qui Christo abrenuntiant in tormentis. pag. 491. pag. 491.

Mirus Charitatis effectus in Martyribus. pag. 497.

V. Postremo illustre hoc de Ecclesia sui ævi testimonium reddit: eam scilicet vocat plenam iis exutroque sexu qui per omnem vitam sunt meditati mortem, quæ excitat ad Christum. Deinde distinguit duplex genus confessionis: unum positum est in fide bonisque moribus: per alterum vero testimonium reddimus Jesu Christo, & veritati ejus doctrinæ coram hominibus christiani nominis hostibus. Prima confessio omnibus fidelibus est absolute necessaria: altera vero non est omnium propria, & tunc solum facienda est, quando se præbet occasio. Vetat, igitur S. Clemens fugere ac vitare postremæ hujus confessionis occasiones ea vecordia, vel ea imbecillitate; ac docet, quod quando Dominus dicit: *cum vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam*, (b) non suadet fugere, tanquam malum sit pati persecutionem, nec ut mortem extimescentes, jubet nos eam fuga declinare: sed vult, nos null esse auctores, neque adjutores mali, nec nobis ipsis nec ei qui interimit. „ *Qui autem*, „ ait Sanctus Presbyter, *non obedit, est audax & te*„ *merarius, & inconsulto se in manifesta pericula con*„ *jicit*. Si autem, prosequitur Sanctus Doctor, qui „ hominem Dei interimit, in Deum peccat, is quo„ que ejus cædis reus tenetur, qui se offert judicio. „ Talis autem erit, qui non vitet persecutionem, ca„ piendum se præbens per audaciam: *Is est, qui,* „ *quantum in se est, adjuvat improbitatem ejus, qui* „ *persequitur. Quod si etiam irritet, plane caussa est,* „ *ut quis provocet feram*. „ Æquo igitur jure Ecclesia semper fidelibus prohibuit sese offerre Christiani nominis hostibus, ac in aliquibus Conciliis sancivit, habendos non esse, neque colendos ut veros Martyres, eos omnes, qui tanta præsumptione ac temeritate ducti fuerunt. Fateri nihilominus debemus sapientissimas has regulas non adeo stricte sumendas esse, ut nunquam in his excipi recipsa potuerit, vel excipi possit: etenim Spiritus ubi vult spirat, & Ecclesia tanquam Martyres colit nonnullos Christianos, qui sponte tormenta adiere, & Judices Tyrannosque aliquanto acerbe, ut videtur, allocuti sunt. Nonnulla hujusce rei exempla videri possunt in primo ac secundo volumine Historiæ Ecclesiasticæ Domini Fleury. Verum hæc exempla imitari non debemus; & æque periculosum est vel sese exponere morti ex temeritate, vel fugere ex nimia timiditate.

Ibid.

pag. 503.

Vecordia & temeritas Martyri vetita. pag. 504.

CAPUT OCTAVUM.

EXTERIOR CHRISTIANI VITA.

I. ANtequam huic de Motibus Sectioni finem imponamus, afferenda supersunt quæ docet Sanctus Clemens quoad exteriorem Christiani vitam. Quia vero in suo Pædagogo præcipue argumentum hoc pertractat Sanctus Doctor, hinc ea eodem quæ notabiliora sunt excribemus. Verum non adeo rigorose quæ solum hominem exteriorem respiciunt asseremus, ut sermo non instituatur etiam de homine interiori. Primo igitur videamus quænam sit actio Christiani, ejusque definitionem a Divo Clemente audiamus: *Est quidem Christiani actio*, inquit ille, *rationalis animæ operatio, ex sincero ac pendenti judicio & appetitione veritatis*. Hinc aliquanto supra, Christianorum vita, inquit, est quædam rationalium quasi actionum compages: hoc est, eorum, quæ a Ratione docentur, quæ labi nesciat operatio: *Quam quidem finem appellamus*, Igitur Christiani vita est in fide, & est omnino evangelica; idemque dicendum est de ejus actionibus: vita quippe in eo sensu, in quo nunc sumitur, ab ipsis actionibus gignitur.

Definitio actionis Christiani. Lib. 1. Pædag. cap. 13. pag. 136. Vita Christiani. Ibid.

II. In secundo Pædagogi libro præscribit S. Clemens regulas decori & honestati, quas in exterioribus suis actionibus Christianus debet servare. Cibus itaque commensurari debet a pura necessitate, minime vero a voluptate. Alii quidem homines, scribit Sanctus

Sumendus cibus ex necessitate, non ex voluptate. Lib. 2. Pædagog. cap. 1. pag. 139.

(a) I. ad Corinth. cap. 7. vers. 28. 35.

(b) Matth. cap. 10. vers. 23.

II.&III. SÆCULUM.

Quinam Christiani cibus. pag. 140.

ctus Doctor, vivunt ut comedant, quod certe etiam rationis expertibus evenit animantibus; *Nobis autem Pædagogus præcipit comesse, ut vivamus*. Sunt igitur multiplices ciborum qualitates respuendæ, nec non vitari debet studium delicatum in cibis, quod in noxias voluptates dilabitur; ac tandem frugalis ac moderatus cibus sumendus est, & abjutari debent transmarinæ escæ, quas alii anxie perquirunt. S. Clemens appellat hujusmodi homines, insatiabiles, ventris curam unice gerentes, sollicitos ciborum indagatores, edaces, ac tandem omnivoros. Ut autem Christianos avertat a passionibus istis, 1°. Legem Dei ob illorum oculos ponit, quæ cibum permittit, prout sola necessitas exigit. 2°. auctoritate medici Antiphani docet, ciborum varietatem esse vel unam morborum caussam: *Antiphanes autem Delius Medicus, vel unam hanc esse dixit morborum caussam, ciborum varietatem*. Contra enim omnino, qui escis utuntur vilissimis, sunt robustiores, saniores, & generosiores; sicuti & famuli dominis, & agricolæ possessoribus. *Victus autem, qui sufficientiam excedit, . . . animam certe segnem & inertem reddit*.

Cur intemperantia, ac luptuositas incibis fugienda sit. Ibid.

pag. 141.

Cur abstinendum ab immolatis. Ibid.

III. Docet hoc loco S. Clemens abstinendum esse ab immolatis 1°. propter nostram conscientiam: 2°. propter odium dæmonis. 3°. ne scandalo simus fratribus nostris. „ Ab his ergo abstinendum est, inquit ille, „ non quod ea pertimescamus (non est enim in eis „ aliqua potentia,) sed quod propter nostram con„ scientiam, quæ sancta est, & propter dæmonum „ odium, quibus illa sunt dedicata, aversemur: & „ præterea propter eorum, qui multa procliviter, & „ lubrice suspicantur, imbecillitatem. „ Cæterum, licet S. Clemens execranda ac detestabilia esse dicat quæ immolata sunt, docet nihilominus, in se talia non esse; ait quippe paucis interjectis, juxta Salvatoris Doctrinam, quod non quæ intrant, coinquinant hominem,

pag. 144.

sed quæ ex ore exeunt: (*a*) & cum Apostolo ait, habere nos potestatem edendi ea, quæ sunt in macello, citra ullum scrupulum, ullamve curiosam indagationem; (*b*) ac posse nos comedere quidquid apponitur nobis. (*c*) Id ergo unice præcipit, ut non abutamur libertate evangelica, ne inde imbecillis afferamus offensionem: *Videte ergo*, sunt ejusdem Patris verba, *ne hæc vestra potestas offensionem afferat imbecillis*. *Non oportet ergo*, illico subdit, *nos . . . abuti donis Patris, sed eis uti*. Omnia hæc optime consentanea sunt Doctrinæ Apostoli, & libertati evangelicæ.

Quandoque permissus ferculorum apparatus, & qua intentione id faciendum. Ibid. & pag. 145.

IV. Verum videtur in sequentibus S. Clemens aliquid remisisse de severitate, qua ciborum varietatem damnavit: hoc loco enim solam consuetudinem interdicit: *Non enim*, inquit, *ferculorum apparatum tollemus, sed consuetudinis prolapsionem, tanquam calamitatem suspectam habemus*. Igitur juxta S. Clementis doctrinam ferculorum apparatus, ac ciborum varietas & magnificentia quandoque permittitur, præcipue quando aliqua id peragendi ratio concurrit. At his in circumstantiis cor nostrum a carnalibus epulis subduci debet, ac spirituale appetere alimentum, Deumque Dominum cœli & terræ, qui nos hic pascit, benedicere. Cæterum, optimum esse, concludit Sanctus Presbyter, hunc ferculorum apparatum vitare; ac debere nos per abstinentiam a lautis & delicatis cibis, convivas ad virtutem hortari.

Mensa Christiani. p. 147.

V. Optima est abstinentia a carne & vino; de qua quidem nullum extat præceptum, dummodo tamen & temperantia & moderatio, quæ requiritur, intercedat. Cibus Christiani ex piscibus constat potius quam ex carne, ac comedere debet quæ cruda sunt magis quam quæ sunt assa igne: *A cibis enim nidorantibus, & ad ventrem invitantibus procul est mensa veritatis*. Etsi enim maxime propter homines omnia facta sunt; *Non tamen omnibus uti bonum est, & semper*. Occasio, tempus, modus, & aliæ hujusmodi circumstantiæ servandæ sunt circa cibum sumendum. In genere autem:

pag. 148.

Ii cibi edendi sunt, qui non esurientes nos cogunt comedere. Longe aberant Apostoli ut hisce uterentur cibis: vescebantur siquidem seminibus, baccis, & oleribus, sicuti Matthæus, & Joannes locustas, & mel agreste comedebat. Cibus igitur veri Israelitæ, hoc est Christiani, simplicitatem imitari debet illius cibi, quem David distribuit omnibus Israelis copiis, ut in secundo libro Regum refertur: (*d*) ibi enim legitur: Et partitus est universæ multitudini Israel, tam viro quam mulieri, singulis collyridam panis unam, & assaturam bubulæ carnis unam, & similam frixam oleo. *Hoc est*, ait S. Clemens, *sufficiens nutrimentum & Israeliticum; gentile autem, quod est supervacuaneum*.

pag. 149.

pag. 150.

(*a*) Matth. cap. 15. vers. 11.
(*b*) I. ad Corinth. cap. 10. vers. 25.
(*c*) Ibidem vers. 27.

II.&III. SÆCULUM.

Abstinentia ab usu vini. pag. 151.

VI. Ad potum quod attinet, aqua est naturalis ac necessarius potus sitientibus: *Naturalis itaque & sobrius potus sitientibus, est aqua*. Vinum iis solummodo convenit, qui hoc remedio indigent: optimum esset a vino omnino abstinere. Verum si abstinentia hæc generalis esse nequit, pueros saltem ac puellas afficere debet: *Placet ergo ut pueri & puellæ ab hoc medicamento plurimum abstineant*: Non enim ferventi ætati, quod est omnium humidorum calidissimum, vinum infundere convenit, perinde ac si quis ignem in ignem derivet, ex quo immanes appetitiones, ardentesque cupiditates & mores ignei incenduntur. *Hinc fit, ut mastum juventutis, fines pudoris transiliat*. Qui autem sunt in ipso flore ætatis, interdiu quidem sumentes prandium, si sitis accesserit, curetur aqua non multa hæc affectio. Vespere autem tempore cœnæ, quando sobriis ac seriis lectionibus operam non damus, exiguo vino utendum est, ut introducto calore foveatur tepor innatus, qui propter occupationes ac labores diei, deficit.

Vinum pueris ac puellis vetitum. Ibid. & pag. 152.

Usus vini provilis, qui viridi florent juventute. pag. 152.

Vinum magis permittitur, ac minus nocet iis, qui sunt provectioris ætatis. Ibid.

VII. Rigorem autem, quo abstinentiam a vino præcepit adolescentibus, temperat Sanctus Doctor ejusdem vini potum indulgens senioribus. *Iis autem*, inquit, *qui jam sunt provectioris ætatis, hilarius potu uti permittendum est*; ut frigidam ætatem, quæ tempore quodammodo emarcuit, vitis medicamento, citra noxam suscitent. Neque enim seniorum appetitiones circa ebrietatis aut impudicitiæ naufragia amplius fluctuare solent: *Quibus etiam in conviviis licet aliquid urbane dicere ac lepide*. Vetat tandem Sanctus Doctor requirere vinum ardens ac famosum; vultque, ut vinum in sua patria natum cuique sufficiat.

pag. 156. & 157.

Adversus pretiosam supellectilem, nimiumque affectui in proprietate retinenda. pag. 159. 160. 161. 162. & 163. cap. 3.

VIII. Eamdem moderationem servare debet Christianus in supellectili. In mensa adhiberi non debent pocula aurea vel argentea; horum enim irritus & inutilis est usus, ut quibus visus decipiatur tantum; & est molesta eorum tractatio; & damnosus dives potus. Quin etiam curiosa ac inanis cælatorum in vitro vana gloria, ad frangendum propter artem paratior, quæ timere docet, simul ac bibas, est a nobis ac nostris institutis exterminanda. Omnis iste splendor ac pompa absolute opponitur Christianæ simplicitati, nec verus Jesu Christi Discipulus esse quis poterit, quin inanes has vanitates contemnat. Christus enim in vili catino cibum sumpsit, & fecit Discipulos super herbam accumbere, & pedes eorum lavit, linteo accinctus, & a Samaritana potum petiit, quæ aquam vase fictili hauriebat e puteo. Tandem Sanctus Clemens rem esse plane ridiculam dicit, quod viri ac mulieres divites argentea urinæ receptacula, aut ex auro receptacula excrementorum faciant, aliaque hoc super argumento scribit, quibus pudore ac salutari confusione aperiri deberent quotquot in his rebus studium suum ponunt.

Adversus profanos cantus. cap. 4. pag. 164. 165. 166. Cap. 5. pag. 167.

IX. Vetat S. Clemens in conviviis instrumenta musica, ac profanas cantilenas in qualibet circumstantia; solumque permittit cantica spiritualia. Vehementem ac inconcinnum risum insuper vetat, eumque permittit, qui urbanus sit, ac remissus. Pariter subrisiones prohibet, jocos, ac inhonestos sermones; sermones autem lepidos, raro admodum, permittit, ut exhilarent. Adolescentes, si adsint seniores, modesti esse debent: Oportet obstruere os eis, qui turpiloquio utuntur, vel aspectu severiore & vultus aversione, & ea, quæ vocatur, subsannatione, vel etiam asperiori oratione. Adolescentes abesse debent ab epulis ac conviviis eorum, qui matrimonio juncti sunt; res quippe periculi plena est, cum vel videre, vel audire aliqua possint, unde eorum passiones suscitentur, vel aliæ de novo excitentur. Adolescentulæ præcipue ab hisce conviviis ac epulis abstinere debent, ne labantur in quibus minime decet. Quod si aliqua necessitas evenerit, quæ eas jubeat accedere, illæ quidem exterius amictu pulchre tegantur, ne ulla hominibus detur occasio illas impuris oculis conspiciendi; intus autem tegantur pudore.

Cap. 6. pag. 168.

Cap. 7. pag. 170.

Adversus odores. cap. 8. pag. 175.

X. Vetat pariter S. Clemens coronarum & unguentorum usum; ad libidines enim, ut ipse scribit, & voluptates impellunt, maxime cum nox prope est. Utique mulier, quæ fuerat in civitate peccatrix (*e*) unxit pedes Domini, & eum delectavit. Hoc autem non est exemplum, quod omnes Christiani imitari debeant; mulier enim illa, quando id peregit, nondum fuerat Verbi particeps, hoc est, nondum erat Christiana; deinde id quod operata est eadem mulier, mysteriis non vacat; ideoque nihil concludi potest in unguentorum patrocinium. Non omnes tamen vetat Sanctus

pag. 177.

(*d*) Lib. 2. Reg. cap. 6. v. 19.
(*e*) Luc. cap. 7.

II.&III. Secu-lum.

ctus Presbyter unctiones; Deum quippe permittit, sed absque ulla suavis odoris immixtione. Permittit insuper quosdam odores, qui cum christiana mortificatione stare possunt; verum ex sola necessitate eos permittit, eos omnes rejiciens, qui ad amores ac impudicitias impellunt. Desipientibus autem mulieribus quæ capillos ungunt, rationibus ex physica petitis ostendit Sanctus Doctor, eas propterea celerius canescere.

pag. 178. pag. 179.

Modus transigendi noctem. cap. 9. pag. 184. pag. 186.

XI. Modum transigendi noctem nunc tradit S. Clemens. Finito convivio Deo benedicere debemus, quod concesserit, ut eum diem feliciter transmitteremus. Stratorum magnificentia, ac mollia cubilia & delicata valere debent; quia sensualitatem excitare valent, & saluti officiunt, ut physicis rationibus Sanctus Doctor demonstrat. Somnus brevis esse debet, ut longior sit vita; dormiens enim homo nullius est pretii, non secus ac qui non vivit. Quocirca sæpe etiam noctu e lecto surgendum est, Deusque est laudandus. Ut brevi dormiamus, sobrietas in cibo est necessaria. Loth non ad illum nefarium inductus esset coitum, nisi inebriatus fuisset a filiabus, somnoque gravatus. Noctu autem expergiscendum est, præcipue quando dies definunt; & huic quidem danda est opera litteris, illi vero ars sua est inchoanda; fœminas autem oportet lanificium aggredi. Longe absit ut permittatur interdiu dormire: quod quidem valde molestum esse debebat in fervida ardentique regione Ægypti.

Vestes & ornatus. cap. 10. pag. 199. pag. 200. pag. 205. pag. 206. pag. 207. & 208.

XII. Vestes debent esse simplices, albi coloris, & adhiberi debent solummodo ad regendam nuditatem. Interdicuntur vestes floridæ, & aureum ornatum gestantes, necnon curiosæ in texturis plicaturæ. Mulieres debent omni sua parte regi. Ex eadem materia virorum ac mulierum vestes efformari debent; ex indulgentia autem mulieribus, propter earum imbecillitatem, vestis non admodum simplex permitti potest, dummodo tamen hominum oculos ideo in seipsas non convertant. Advertant autem præcipue, inquit Sanctus Clemens, ne ex earum numero sint, *quæ se vestibus viliores arguunt*. Fœminam non decet nudum pedem ostendere; viro autem pulchre convenit nullos habere calceos, præterquam similiter, vel ingrediatur iter. Damnat Sanctus Presbyter usum gemmarum ac margaritarum, aitque, non esse Dei voluntatem ut iisdem communiter utamur, ac propterea in terræ visceribus, ac maris undis abditas esse. Insuper, quod superfluum est, debetur pauperibus: sed gemmæ absolutæ sunt superfluæ: igitur pauperibus in eleemosynam sunt erogandæ.

Lib. 3. Pædagog. cap. 10. pag. 245. pag. 247. & 248. pag. 255.

XIII. De Vestium magnificentia disserens S. Clemens, hæc habet: *Si quis auro ornari se existimet, is est auro inferior; qui autem est auro inferior, is non est ejus dominus*. Nonnunquam ornari concedit Sanctus Doctor iis mulieribus, quæ in conjugem minus continentem incidunt: *nec autem eis constituetur terminus, ut a solis suis maritis laudari, & eis placere ambiant*. Virorum caput debet esse rasum; barba autem hirsuta. Mulieribus crines mollire sufficit, & tenui aliqua fibula comam juxta collum alligare frugaliter. In Ecclesiam venire oportet virum & mulierem, honeste indutos, simplici incessu, silentium amplectentes, charitatem non fictam possidentes, castos corpore, castos corde, ad Deum rogandum aptos. Mulieres semper tectæ sint, nisi domi fuerint; & postquam ab Ecclesia excesserint, non debent, deposita illa quæ in eis erat quasi inspirata divinitus sanctitate, multitudini, cum qua versantur, assimilari.

pag. 230. pag. 231. Cap. 5. pag. 232. & 233. Cap. 10. pag. 241. 242. 243. Cap. 11. p. 253. 254.

XIV. Vanitas est, quæ Christianum minime decet, ostentare ingentem numerum famulorum, quorum alii mensæ deserviunt; alii epulis parandis ac deferendis; alii sunt cubicularii, &c. Eunuchorum famulatum vitare debent mulieres, nec multa animalia, aves indicas, pavonesque enutrire possunt, sed melius est si divitias in levandis pauperum miseriis impendant. Balneorum usus rarus admodum esse debet, & solum salutis caussa, vel ad mundiriem: vetantur autem balnea, quæ hominibus æque ac mulieribus sint communia. Viri, præcipue in adolescentia alii quidem nudi luctentur, alii vero parvo quoque globo ludant, aliis autem deambulatio sufficiat: pulchrum erit etiam aquam per se haurire, & ligna scindere, & ligonem tractare. Mulieres in lana & tela sunt exercendæ, ac domus curam habere decent. Prohibetur tesserarum ac talorum ludus; nec ad spectacula quidem Circi, vel Theatri licet accedere; Magna quippe confusione & iniquitate hi cœtus pleni sunt, & occasio conventus caussa est turpitudinis, cum viri & fœminæ mixtim conveniant, alter ad alterius spectaculum. Futilis autem est eorum excusatio, qui ajunt, recreationis caussa spectacula hujusmodi adiri: ostendit quippe S. Clemens, comœdias ac theatra periculi plena esse, nec indifferenter adeo spectari posse, quemadmodum hodie spectantur. Verum, quidquid excogitare possimus hac in re, semper experientia compertum erit, theatra esse pestium cathedras, & maledictionis conventus, in iisque puritatem ac innocentiam Christianam periclitari.

Adversus theatra ac comœdias cap. 11. pag. 255.

XV. Hæc sunt notabiliora, quæ in S. Clemente occurrunt quoad vitam Christiani: & quæ modo attulimus, indigitare possunt, prout egregie animadvertit Dominus Abbas Fleury, (a) quænam esset vita Christianorum secundi Ecclesiæ sæculi. „ Etenim etiamsi „ præcepta plerumque perfectionem proponant, tamen „ S. Clemens adeo prudens erat, ut non proposuisset „ omnibus Christianis hujusmodi regulas, nisi observari potuissent, & reipsa a multis observatæ fuissent. „ Cæterum, sicuti urbanitas optime stare potest cum Christiana Religione, hinc mirum non est, si Sanctus Presbyter in suo Pædagogo nonnullas urbanitatis regulas tradat; quarum notabiliores nunc exscribo. Cavere quisque debet, ne inter comedendum loquatur: sed nec simul edere & bibere convenit. Ratio primæ regulæ est, quia fit vox indecora & non satis expressa, ut quæ plenis maxillis in angustum coercetur; & lingua, quæ nutrimento premitur, a naturali operatione præpedita obscuram, & quasi oppressam edit vocem. Ratio autem secundæ regulæ est, quia maximæ est intemperantiæ tempora confundere, quorum usus non simul conveniunt. Quod si etiam sederint, subjungit Sanctus Presbyter, ne pedes sæpe permutent, nec alterum femur alteri superponant, nec manum mento sustentent. Jam vero modesti etiam est, & in cibo & in potu quod minus est eligere. Senes autem rarissime quidem, sed aliquando tamen cum adolescentibus luserint, falsum aliquod dictum in eos torquentes, quo eos decorum doceat; videlicet cum taciturno & verecundo facete & urbane licet hoc modo agere. Senior loquatur in convivio; cum enim decet; sed in perfecta scientia loquatur: adolescens vero loquatur vix cum bis interrogatus fuerit. Uterque autem qui disserit, vocem suam metiatur justa proportione: clarus enim clamor pronunciationis est res insanissima: cum proximis autem ita loqui, ut non audiaris, ejus est, qui nullo est sensu præditus, neque enim audient: & hoc est quidem pusilli & abjecti animi indicium; illud vero arrogantiæ. Absit etiam vehemens contentio verborum; & priusquam audieris, ne verbum responde. Neque prolixo est unquam sermone utendum, neque multum loquendum; sed neque rapide & præcipitanter colloquendum est: ipsi enim voci, ut ita dicam, jus aliquando tribuendum est. Poppysmata autem, & sibili, & digiti expressi soni, quibus accersuntur famuli, cum signa sint a ratione aliena, ratione præditis hominibus vitandi sunt. Frequenter etiam spuere & violentius excreare, & etiam emungere in convivio, & sternutare, &c. vitandum est.

Regulæ Urbanitatis. Lib. 2. Pædagog. cap. 1. pag. 147. Cap. 7. pag. 171. 172. & 173. pag. 174.

XVI. Hoc unum animadvertendum superius erat, quod S. Clemens censet, ab osculis esse abstinendum: docet enim, non in osculo consistere dilectionem, sed in benevolentia; & oscula apud infideles sui ævi suspicionem & maledicentiam movere consuevisse: *Etenim hoc utique turpem movit suspicionem & maledicentiam, quod impudenter osculo uterentur, quod esse oportebat mysticum*. Hinc conjicere mihi videor, ex his Christianorum osculis, quæ in usu erant ad significandam eorum in Ecclesia communionem, arma sumpsisse Ethnicos, ut veterum fidelium puritatem dedecorarent, licet innocua essent oscula illa, atque purissima. Ab osculis occasione sumpta loquitur S. Clemens de osculis lascivis, eorumque enormitatem ostendit. Mandat postremo S. Clemens, ut Christiani adeo prudentes sint, virtutibus ornati &c. ut uno eodemque tempore & Deo placere possint, & bono exemplo esse hominibus: *Nos enim*, inquit, *sumus sal terræ*.

APPENDIX

Comprehendens Aliqua Notabilia Puncta Disciplinæ et Historiæ.

I. CUM in Divo Clemente nonnulla habeantur admodum notabilia quoad Ecclesiæ disciplinam; hinc Lectoribus gratum fore confidimus, si sub peculiari quodam titulo omnia hæc comprehendantur: quibus addere etiam in animo est nonnullos historiæ articulos, ut nihil iis optandum supersit, quibus non suppe-

(a) Tom. I. Hist. Eccles. pag. 575.

II. & III. SÆCULUM.

suppetit facultas legendi eumdem Sanctum Doctorem. Ad Disciplinam quod attinet, primo loco Sanctus Presbyter indigitare videtur tres Baptismi immersiones in allegorico sensu, quo interpretatur hæc Geneseos verba: Abraham tertio die suspiciens vidit locum eminus (*a*): *Erant autem tres quoque dies*, inquit S. Clemens, *mysterium signaculi, per quod is qui vere est Deus, creditur*. Neque nos morari debet vox *signaculi σφραγῖδος*, quæ communiter intelligitur de Confirmatione: ex his enim quæ immediate sequuntur hanc vocem, evidenter eruitur, S. Clementem loqui de Baptismo, minime vero de Confirmatione: ait quippe: per quod is qui vere est Deus, creditur: quod quidem nullo pacto intelligi potest de Confirmatione, sed solum de Baptismo.

Tres immersiones Baptismi. Lib. 5. Stromat. pag. 583.

II. De Eucharistia disserens Sanctus Presbyter, docet, in more positum fuisse in aliquibus Ecclesiis, quod fideles possent partem Eucharistiæ sumere, ac liberum unicuique fuisse vel communionem percipere, vel ab eadem abstinere, prout cuique propria dictabat conscientia. *Eucharistiam*, inquit Pater iste, *cum quidam, ut mos est, diviserint, permittunt unicuique ex populo partem ejus sumere; ad accurate enim perfecteque eligendum ac fugiendum, optima est conscientia*. Verum generalis hæc permissio præsupponebat dispositiones necessarias ad divinorum mysteriorum participationem, ut eruitur ex his Sancti Doctoris verbis, quæ statim subjungit: *firmum autem ejus fundamentum est recta vita, cum ea quæ convenit doctrina*. Libenter idipsum concederetur etiam iis fidelibus, qui cæteris perfectiores sunt, sentiuntque, prout oportet, de puritate ac sanctitate Religionis Christianæ.

Libertas antiquis Fidelibus data communicandi, aut a communione abstinendi, juxta propriam conscientiam. Lib. 1. Stromat. pag. 271.

III. Primis Ecclesiæ sæculis Divina Mysteria nocturno tempore celebrabantur, ut sanctis illis actionibus magis attente ac pie fideles vacarent; abstrahitur quippe anima tunc temporis a sensibilibus rebus, quæ per totam diem huc illucque eam distrahunt. *Qua quidem ratione*, ait Sanctus Doctor, *mihi videntur noctem vocasse εὐφρόνην (prudentem), quoniam anima tunc cessans a sensibus convertitur ad seipsam, & est magis prudentiæ particeps; propterea ergo sacra quoque mysteria maxime noctu fiunt, significantia eam, quæ noctu fit, animæ a corpore contractionem*. Quod sane minime impediebat, quominus diurno etiam tempore Orationes fierent, hora scilicet Tertia, Sexta, & Nona, quarum expresse meminit S. Clemens in septimo Stromatum libro. Orientem versus orabant fideles; & caput ac manus in cœlum extendebant, & pedes excitabant in ultima acclamatione orationis. Præterea loquitur S. Doctor de precibus, quæ ad solis ortum habebantur.

Divina Mysteria nocturno tempore celebrata: & cur? Lib. 4. Stromat. pag. 530.

Diurnæ divinæ. pag. 722. & 724.

IV. Jejunium feriæ quartæ & sextæ in usu erat S. Clementis ævo: ait enim Sanctus Doctor: *Novit ipse (Gnosticus) jejunii quoque ænigmata horum dierum, quartæ & sextæ*: & mox subjungit: *dicitur autem ille quidem Mercurii, hic vero Veneris*. Expresse etiam loquitur Sanctus Presbyter de festo Nativitatis Domini, quod ab aliquibus celebrabatur die vigesimaquinta Decembris. Basilidiani celebrabant diem Baptismi Jesu Christi, & in Lectionibus transigebant noctem quæ ante hunc diem præibat. Arguit quosdam sui ævi Hæreticos (Ebionitas), quia sola aqua utebantur in Eucharistia, horumque Hæreticorum conventus, Synagogas, nunquam autem Ecclesias, appellat; quinimmo eorum Baptismum, hæreticum dicit: *Baptisma hæreticum, non convenientem & germanam aquam alienam*; idque dixit præ oculis habens hunc proverbiorum textum: *Ita enim trajicies aquam alienam*: qui quidem textus desideratur in nostra Vulgata; legitur vero in Appendice capitis noni Proverbiorum, juxta Romanam editionem.

Jejunium Feriæ quartæ & sextæ. Lib. 7. pag. 744. Solemnitas Nativitatis Domini. Ibid. Celebrata die 25. Decembris. Lib. 1. Stromat. pag. 340. Commemoratio Baptismi Jesu Christi celebrata apud Basilianos. Ibid. Eucharistia & Baptismus Hæreticorum. Lib. 1. Stromat. pag. 317.

V. Hæc de Disciplina. Ad Historiam autem quod attinet, 1°. narrat S. Clemens, Jesum Christum ortum esse anno vigesimo octavo Regni Augusti; baptizatum vero fuisse, ac prædicationi suæ initium dedisse anno decimoquinto Tiberii. Verum, ad annum solummodo prædicationem ejus extendit, atque mortuum esse trigesimo ætatis suæ anno: quod sane opponitur doctrinæ Ecclesiæ. Nec spondere possum de S. Clemente, qui deformem vocat Jesum Christum. Profert utique Sanctus Doctor in suæ opinionis patrocinium hunc Isaiæ locum: Non est species ei, neque decor; vidimus eum, & non erat aspectus, unde nec reputavimus eum (*b*): Verum textus hujusmodi intelligi non debet de reali deformitate. Fatendum nihilominus est, alios ex Patribus haberi, qui idipsum de Jesu Christo cum Divo Clemente opinati sunt.

Epocha Nativitatis, Baptismi, & Mortis Jesu Christi juxta Sanctum Clementem. Lib. 1. Strom. pag. 340. Jesus Christus erat deformis juxta Sanctum Clementem. Lib. 3. Pædagog. cap. 1. pag. 115. Cap. 117.

VI. Si fides adhibenda est Divo Clementi, Jesus Christus solum S. Petrum baptizavit; S. Petrus vero baptizavit S. Andream; S. Andreas autem baptizavit Jacobum & Joannem. (Auctor Prati Spiritualis hanc opinionem Sancto Doctori adjudicat, quam ex libro quinto Hypotiposeon ejusdem S. Clementis exscripsit.) Eruimus etiam ex Eusebio (*c*), Divum Clementem credidisse, donum Scientiæ a Salvatore post suam Resurrectionem communicatum fuisse Divo Jacobo, Divo Joanni, ac Divo Petro, ut ipsi idem donum communicarent deinceps cæteris Apostolis, Apostoli autem septuaginta duobus Discipulis: id pariter eruitur ex septimo Hypotiposeon libro. Narrat insuper Eusebius idem (*d*) ex Divo Alexandrino Presbytero, quod Divus Jacob cum ad Deum preces fudisset pro suo accusatore, iste confessus est Jesu Christi fidem, & martyrii palmam cum eodem Apostolo meruit obtinere.

VII. S. Clemens ostendere volens Hæreticis qui matrimonio adversabantur, eorum doctrinam falsam esse, ait, Divum Petrum, ac Divum Philippum matrimonio junctos fuisse, ac filios procreasse; Divum Philippum autem suas filias nuptui tradidisse: *Petrus enim & Philippus Filios procrearunt; Philippus autem Filias quoque suas tradidit*. Docet insuper eodem loco, viduas, de quibus sermo est in prima Epistola ad Timotheum (*e*), illas fuisse, quæ suo ævo appellabantur Diaconissæ. Ex quo sequitur, institutionem Diaconissarum esse ex Traditione Apostolica. Mira quædam narrat de Sybilla Delphica, quæ ex profanis Auctoribus exscribit: inter cætera vero ex auctoritate Serapionis ait, Sybillam hanc ne mortuam quidem cessasse ab arte divinandi: *Serapion autem in versibus dicit, ne mortuam quidem a divinandi arte cessasse Sybillam*.

Sancti Petrus & Philippus Matrimoniũ contraxerant. Lib. 3. Stromat. pag. 448.

Sybilla Delphica. Lib. 1. Stromat. pag. 304.

VIII. Sicuti Nicolaitæ, Hæretici nefandioribus impuritatibus dediti gloriabantur, eorum Sectæ ac errorum Auctorem fuisse Nicolaum, unum ex septem Diaconis; hinc S. Clemens nullum non movet lapidem, ut vetustum hunc virum ab hoc crimine purget: ideo vocat eum, virum magnum ac præclarum, virum Apostolicum, eumque dicit semper abstinuisse ab iis voluptatibus ac immunditiis, in quibus absque scrupulo hæretici illi volutabantur. Nicolaum fuisse auctorem eorum Sectæ probabant Nicolaitæ, adducentes quoddam ejus viri adagium, nempe oportere carne abuti. Verum, hujus adagii sensum ab eis detortum esse dicit Sanctus Presbyter, cum id unum significare vellet vir præclarus, oportere voluptates arcere & cupiditates, & hac exercitatione marcidas flaccidasque reddere Carnis appetitiones & insultus. Narrabant pariter Nicolaitæ in propriæ caussæ patrocinium, quod cum vetustus hic Diaconus pulchram haberet uxorem, & accusatus fuisset quod eam suspectam haberet, in conventu Apostolorum eam perduxit, & potestatem ad eam accedendi unicuique fecit: quæ sane confirmant impurum sensum, quo verba Nicolai supra relata hæretici isti interpretabantur. Verum Sanctus Doctor historiam hanc minime denegans, arguit eosdem, quod pessime interpretarentur hanc Nicolai actionem, quam innocuam esse non secus ac ejusdem verba, demonstrare conatur; idque probat ulterius ex eo, quod filii ac filiæ ejus, omnes in cælibatu totam vitam transegerunt. Viget adhuc controversia, sicuti vigebat S. Clementis ævo, num Nicolaus, sit reipsa Hæresis Nicolaitarum auctor. Etsi autem Apologia, quam de vita & moribus hujus Diaconi concinnavit S. Clemens, aliqua videatur momenta præseferre; & sententiæ huic eruditi nonnulli Critici nomen dederint; nihilominus res in tuto posita nondum est. Vidimus jam, & infra etiam videbimus, non omnes Patres Apologiæ S. Clementis subscripsisse, & nonnullos tradere, Nicolaum virum immundum fuisse, & reipsa illius Sectæ auctorem, quæ ab eodem nuncupatur. Quidquid tamen sit, negari nequit, hunc Ecclesiæ Diaconum iis arma ministrasse, qui ejus puritatem in dubium vocare aggressi sunt, ac veluti occasionem dedisse hæresi Nicolaitarum, sive ex eo quod peregit coram Apostolis, sive ex ambiguo ejus adagio, oportere carne abuti: posito tamen quod utrumque verum sit. At S. Clemens idipsum fateri videtur, cum utrumque admittat, & solum conetur ostendere Hæreticis, quod actionem æque ac verba Nicolai pessime interpretabantur. Facilius sane poterat utramque rem denegare, quam utriusque Apologiam conscribere; nihilominus Apologiam exaravit. Verum, Criticis disputationem hanc relinquamus.

Nicolaus, unus ex septẽ Diaconis, a S. Clemente purgatur. Lib. 2. Stromat. pag. 411.

DO-

(*a*) Cap. 22. vers. 3.
(*b*) Cap. 53. vers. 2. 3.
(*c*) Lib. 2. Hist. Eccles. cap. 1.
(*d*) Lib. 2. Histor. Ecclesiast. cap. 9.
(*e*) I. ad Timoth. cap. 5. vers. 3.

DOCTRINA TERTULLIANI

PRESBYTERI, ET ECCLESIÆ DOCTORIS,

DEINDE MONTANISTÆ, AC TANDEM HÆRESIARCHÆ.

II.&III. Secu-lum.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

I. PRIMUS Latinorum Patrum, cujus Opera ad nos usque pervenerint, est Tertullianus. Omnium oculos in seipsum, & in sui admirationem converterat, ob scripta quæ concinnaverat in patrocinium Catholicæ Ecclesiæ, tum ut ejusdem Doctrinam contra Ethnicorum calumnias, & contra Hæreses tueretur, tum ut fideles instrueret. Hinc omnium Ecclesiarum sermone celebrabatur, ut refert Eusebius (1). Hinc omnium facile princeps sua ætate judicabatur, ut narrat Vincentius Lirinensis (2), nempe omnes disciplinas mira quadam mentis capacitate complexus, ingenio tam gravi ac vehementi excelluit, ut nihil pene sibi ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit. Uno verbo, celebre erat ejus nomen ob innumeras quas reportaverat victorias de Ethnicis non minus quam de Hæreticis: Verum ad Montani dogma delapsus egregias has dotes omnes obscuravit. Lucerna hæc ardens, cum lucis suæ radios in omnem terram diffudisset, tandem extincta est. Excellens hoc ingenium a via veritatis aberravit, ut ambularet in tenebris ac erroribus. Columna hæc, quæ prima fronte immobilis videbatur, ac sacrum Ecclesiæ ædificium splendide ornabat, ejusdem Ecclesiæ opprobrium ac confusio evasit, quando ab illius fide ac Doctrina recessit. Deceptus ineptiis trium obsessorum, Montani, Priscæ, & Maximillæ, quos Spiritus Sancti afflatu loqui opinabatur, illudit Christianis, quorum patrocinium antea susceperat, propriam sectam Ecclesiæ præponit, eamque acerbe admodum insectatur; & tandem eo usque insaniæ devenit, ut Hæresiarcha fuerit, hoc est, cujusdam sectæ Auctor, quæ ab eodem nomen derivata, Tertullianistarum secta nuncupata est. O incomprehensibilia Dei judicia! Exemplum secundi hujus Salomonis deterrere debet illos omnes, qui in domo Dei aliquid esse videntur.

II. In duas classes distribui debent Opera hujus Patris, qui æque pro Ecclesia dimicavit, ac contra Ecclesiam. Prima classis ea comprehendit, quæ adhuc Catholicus exaravit: secunda vero ea, quæ post suam ab Ecclesia defectionem elaboravit. Primi generis sunt, Tractatus de Baptismo, de Pœnitentia, & de Oratione; ad Uxorem libri duo; de Præscriptione liber unus; Tractatus de Patientia; liber Scorpiacum; Apologeticus; ad Nationes libri duo; Tractatus de Testimonio Animæ; Adhortatio ad Martyres; Tractatus de Spectaculis; alter Tractatus de Habitu muliebri; & alter de Cultu fœminarum. Hæc adhuc Catholicus conscripsit Tertullianus, si Domino de Tillemont fides est adhibenda. Secundi autem generis opera, seu quæ hæreticus jam factus concinnavit sunt, Tractatus de Monogamia; Tractatus de Jejuniis; Liber de Pudicitia; Libri contra Hermogenem, Judæos, & Valentinianos; Tractatus de Anima, de Carne Christi, & de Resurrectione carnis; contra Marcionem libri quinque; Tractatus adversus Praxean; Apologia pro Pallio; Liber ad Scapulam; Liber de Corona Militis; Liber de fuga in Persecutione; & Liber de Virginibus velandis. Hæc sunt omnia Tertulliani Opera, quæ ad manus nostras venerunt.

III. Etsi multa prudentia opus sit in Lectione Operum Tertulliani, vel si quando aliquo eorumdem testimonio Catholicæ Religionis veritates sint confirmandæ; & pluris facienda sint ea quæ conscripsit in Ecclesia, quam quæ post lapsum; nihilominus hæc negligi omnino non debent, cum plurima, quæ optima quidem sunt, percipi possint, licet errores, quibus conspersa sunt, eorumdem vim roburque notabiliter imminuant. Ut autem Lectio hæc prodesse possit, omne studium in eo ponendum est, ut quæ vera sunt, a dubiis, & quæ firma ac indubiæ fidei, a futilibus optime secernantur. Animadvertere quisque poterit in Tertulliano Hæretico idem ingenium, eamdemque ingenii fœcunditatem; minime autem eamdem ratiocinandi vim & efficaciam. Audaciam quamdam in phrasibus semper præsefert; at in Tertulliano hæretico ille persuadendi modus desideratur, quem in eo adhuc Catholico satis mirari non possumus.

IV. Afferam ea omnia, quæ in utriusque generis Operibus notabiliora perlegere potui; verum eas præcipue veritates proferre in animo est, quas constantissime docuit Tertullianus; idque propriis locis indigitabo. Insuper nonnihil de erroribus hujusce Patris dicam, ne a scopo hujus Operis recedam. Antequam vero rem hanc pertractare aggrediamur, optimum fuerit notare quid de ejus stylo ac scriptis sentiendum sit. Tertulliani itaque stylus quandoque est nimium inflatus, durus, obscurus, ac barbaris vocibus scatet: at sententiis adeo innumeris ornatur, ut ingenii acumen, quo exaratæ sunt nemo nequeat non vehementer mirari. Phrasium asperitatem, quemadmodum animadvertit illustris quidam quarti sæculi Scriptor, comitatur mira quædam vis, quæ in sui admirationem omnium animos rapit; & legentium mens læta congaudet, dum inter barbaras hujusmodi obscuritates, sublimes Auctoris ideas detegit. Ad Tertulliani scripta quod attinet, præter ea quæ superius dicta sunt, quæ quidem sufficere possunt, id unum hic præcipue animadvertam cum Domino Cellier, difficillime assequi posse sensum illorum librorum, quos hæreticus jam factus exaravit; & quandoque adeo confusa esse ejusdem ratiocinia, ut impossibile pene sit illorum sensum hariolari.

S E-

(1) In Chron.

(2) Commonit. 1.

II. & III. SÆCULUM.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA.

Prima sunt quæcumque tradit Tertullianus quoad Dogma. Docet quippe nos plenissime ea omnia quæ respiciunt inspirationem, & canonem Librorum Sacræ Scripturæ: tuetur validissime auctoritatem, immo & necessitatem Traditionis: ostendit, quid sit Ecclesia: adeo perspicue loquitur de Trinitate Divinarum Personarum, earumdemque Consubstantialitate, ut nihil magis desiderari queat: majori, qua fieri potest, præcisione pertractat Divinitatem Verbi in particulari: de Incarnatione exactissime loquitur, ac unitatem Personæ in duabus Naturis fatetur: meminit omnium ferme Sacramentorum novæ Legis, & eorum proprietates ac effectus in sensu omnino orthodoxo explicat. Uno verbo clarissime adeo exponit ac evolvit cæteras omnes Dogmaticas veritates, de quibus prout sese præbuit occasio, sermonem instituit, ut fieri nequeat, quin versatissimum eum fateamur in scientia Mysteriorum Religionis. Verum utique est, quemadmodum superius innui, Tertullianum non semel a vero ablusisse in re Dogmatica postquam ab Ecclesia defecit; a quibus tamen maculis non uno in loco se purgare conatur: attamen hujusmodi errores nihil officiunt veritatibus supra recensitis, quibus omnibus, si paucas excipias, firmiter semper adhæsit: quin immo veritates illæ etiam, quas ex parte immutavit, non ideo veritates esse desinunt. Tertulliano Catholico major fides præstari debet, quam Tertulliano Hæretico. Quamdiu in Ecclesiæ communione vixit, ejus mentem assecutus est, ejusque fidem tenuit, atque doctrinam, tandem ejusdem linguam locutus est: sed veritates, quas docuit postquam ab Ecclesia ad hæreticorum castra defecerat, nostram fidem æque promerentur, licet erroribus compertæ sint: hos enim errores spiritus mendacii dictavit: illas autem veritates ab Ecclesia ille didicerat. Rejiciamus ergo omnes Tertulliani errores, catholicas autem veritates, quocumque tandem loco illas doceat, amplectamur.

CAPUT PRIMUM,

DE SACRA SCRIPTURA.

Inspiratio S. Scripturæ. Lib. 1. de cultu fœmin. cap. 3. Edit. de Rigaut. Lib. de Resurr. carnis. c. 22. Lib. 3. contra Marcion. c. 6. Lib. 5. contra Marcion. c. 7. Lib. de Anima. cap. 2.

I. Tertullianus sive Catholicus, sive Montanista semper docuit, Scripturam veteris novique Testamenti inspiratam fuisse. Pluribus hujusce Patris testimoniis id probare possumus: ne autem in immensum abeat oratio, & ne nimii simus in argumento quod in controversiam vocari nequit, unum vel alterum solummodo ex diversis ejus Operibus exscribimus. *Legimus*, ait vetustus hic Pater, *omnem Scripturam ædificationi habilem, divinitus inspirari*. Et alio loco, *evolverem*, inquit, *Prophetias, si Dominus ipse tacuisset; nisi quod & Prophetiæ vox erant Domini....* *Nos quidem certi*, addit alibi, *Christum semper in Prophetis locutum, spiritum scilicet Creatoris*. Docet insuper eodem in Opere, Spiritum Sanctum per os Divi Pauli locutum fuisse: *Verebatur nimirum* (*Paulus*) .... *ne dicam Spiritus Sanctus*. Tandem in Tractatu de Anima aperte appellat Libros Sacros, Dei litteras: *Revocando quæstiones ad Dei litteras*.

Plenitudo S. Scripturæ. Lib. contra Hermog. c. 22.

II. Nec minus Scripturæ utilitatem, quam ejus inspirationem tuetur Tertullianus: immo videtur docere, eam comprehendere quidquid ad fidem necessarium est, cum contra Hermogenem scribat: *Adoro Scripturæ plenitudinem .... Si non est scriptum* (id quod Hermogenes docet non esse scriptum;) *timeat*; subjungit magnus Doctor, *væ illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum*. Verum hæc verba in toto vigore accipienda non sunt, quasi Tertullianus Traditionem rejiceret: etenim ex una parte, inferius oppositum evidenter ostendemus, ex altera vero parte obiter animadvertere opus est, in modo allato Tertulliani textu sermonem haberi de quadam veritate, quæ evidenter ex Scripturis eruitur, & quæ opponitur errori Hermogenis, qui materiam Deo coæternam asserebat, ex qua Universum eductum fuisse tuebatur, quamlibet Omnipotenti Deo creationem ex nihilo audacter adimens. Tertullianus igitur contrariam huic errori veritatem tuetur, & quia certus erat, ex Scripturis eamdem innotescere, ideo Hermogeni æquo jure vetat quidquam addere Sacris libris, & per consequens asserere, materiam esse Deo coæternam, ex eaque Deum omnia condidisse. Ex hisce autem non consequitur, omnes rejiciendas esse Traditiones, ac ex Sacra Scriptura omnes comprobari posse Catholicæ Religionis veritates. Ea utique comprehendit omnia, quæ necessaria sunt ad controversiam dirimendam Hermogenem inter & Tertullianum; non autem ea quæ cæteras omnes valeat dirimere. Id nunquam credidit Tertullianus, nunquam id docuit, sicuti fusius infra videbimus.

Sacris Scripturis abutuntur Hæretici. Lib. de Pudicit. cap. 7.

III. Adeo verum est, Tertullianum nunquam id sensisse, ut Montanista jam factus fateatur, Hæreticos abuti consuevisse verbis Sacræ Scripturæ. „ Hæretici, inquit ille, easdem parabolas quo volunt tribuunt, non quo debent aptissime excludunt. Quare aptissime? quoniam a primordio secundum occasiones parabolarum, ipsas materias confinxerunt doctrinarum. „ Et infra in eodem libro habet. *Sed est hoc solemne perversis & idiotis & hæreticis ... alicujus capituli ancipitis occasione adversus exercitum sententiarum instrumenti totius armari*. Hinc alio loco aperte declarat ineundam non esse cum iis disputationem de fide, vel de Sacræ Scripturæ auctoritate: *Quoniam nihil proficiet congressio Scripturarum &c.* etenim vel non recipiunt quasdam Scripturas; & si quas recipiunt, non recipiunt integras. *Ista Hæresis*, hæc sunt Tertulliani verba, *non recipit quasdam Scripturas; & si quas recipit, non recipit integras: adjectionibus & detractionibus, ad dispositionem instituti sui intervertit: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit*. *Tantum*, subjungit Pater iste, *veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus*: ideoque non solum nullam præstant ædificationem hujusmodi Disputationes, sed vehementer timeri debet, ne pusillorum scandalum creent. *Ergo non ad Scripturas provocandum est*, concludit, *nec in his constituendum certamen, in quibus, aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incertæ*.

Ibid. c. 16. Ad sacras Scripturas provocandum non est in disputatione cum Hæreticis. Lib. de Præscript. cap. 16. Ibid. c. 17. Cap. 19.

IV. Num etsi non ita evaderet conlatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, examinandum in primis esset, quibus competat fides ipsa; cujus sint Scripturæ: a quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani: „ ubi enim (illico subjungit) apparuerit esse veritatem & disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit „ veritas Scripturarum, & expositionum, & omnium „ Traditionum Christianarum. „ Tandem adeo persuasum erat Tertulliano, ex Sacris Scripturis solummodo comprobari non posse omnes fidei ac Dogmatis veritates, ut dicere non vereatur, quemadmodum in Præfatione innui, Deum permisisse, immo voluisse, (ut iisdem hujusce Patris verbis utar) eo modo exaratas Sacras Scripturas, ut possent inde omnes Hæreses enasci, *quæ sine Scripturis*, ut ait idem Doctor, *esse non possunt*. Quando igitur Tertullianus in libro contra Hermogenem dicit: *Adoro Scripturæ plenitudinem*; ac profitetur, se ea tantum credere, quæ scripta sunt: insuper quando ad Marcionem ait: *Non recipio quod extra Scripturam de tuo infers*; hæc omnia ad ea præcise referenda sunt argumenta, quæ iis in locis in controversiam vocantur: nec recte peculiarem hanc regulam extenderet aliquis ad omnes Theologicas veritates, cum innumeræ sint, quarum nulla in Scripturis fit mentio, quemadmodum Tertullianus ipse nos infra docebit.

Ibid. Cap. 39. Lib. contra Hermog. c. 22. Lib. de carne Christi. c. 7.

V. Quando vero Sacrarum Scripturarum sensum intelligere volumus, consulere debemus, prout docet Tertullianus, Apostolos, & Discipulos Domini. „ Quis nunc, (scribit egregie) medullas Scripturarum magis nosset, quam ipsa Christi schola? quos „ & sibi discipulos Dominus adoptavit, omnia utique edocendos; & nobis magistros adornavit, omnia utique docturos. Cui potius figuram vocis suæ „ declarasset, quam cui effigiem gloriæ suæ revelavit, „ Petro, Jacobo, Joanni, & postea Paulo? quem „ Paradisi quoque compotem fecit ante martyrium. „ Ab iis igitur consilium petendum est, quando agitur de vero Sac. Scripturarum sensu; non vero ab Hæreticis, qui unam eamdemque opinionem diversimode exponunt, & Sacras Scripturas diversimode interpretantur. Sicuti autem Catholica Ecclesia ex una parte Apostolorum doctrinam sequi profitetur; ex altera vero parte Doctrina hæc semper in Ecclesia viguit, & in sæculum vigebit: hinc ad hanc Ecclesiam confugere oportet, eaque est consulenda super difficultates, quæ in divinis Libris occurrere possunt, quemadmodum Tertullianus in suo Præscriptionum libro apertissime docet.

Quisnam sit consulendus, quando agitur de vero sensu Sac. Scripturarum. Scorpiac. cap. 12.

VI. Pentateuchum conscriptum fuisse a Moyse asserit Tertullianus, eumque vetustiorem dicit omnium Sapientum Ethnicorum, ac profanorum Historicorum; & idipsum de cæteris Scriptoribus Sacris, qui post Moysen floruerunt, atque prædicat: *Cæteri quoque Prophetæ*, ait, de his loquens in suo Apologetico, *etsi Moysi posthumant, extremissimi tamen eorum non retrosiores deprehenduntur primoribus vestris Sapientibus &*

Libri Canonici S. Scripturæ. Lib. 1. contra Marcion. c. 10.

II. & III. Sæculum.

Apologet. cap. 19. Contra Hermog. cap. 44. Lib. de Pudicit. cap. 17. Exhort. ad Castit. cap. 9. Lib. 4. contra Marcion. c. 16 Ibid. c. 2. & 3. Lib. de Pudicit. cap. 20.

Legiferis, & Historicis. Adscribit Danieli librum, cujus titulus est Baruch; Salomoni Canticum trium puerorum, qui missi sunt in caminum ignis, Proverbia, & Sapientiam. Librum Ecclesiastici, Scripturam Sacram appellat, sed ejus auctorem reticet: idipsum peragit de libris Judith, Job, & Machabæorum, quibus addit quartum librum Esdræ, de cujus canonica auctoritate ne minimum quidem dubitare videtur. Quod ad novum attinet Testamentum, quatuor tantum Evangelia amplectitur, quæ adscribit Sanctus Matthæo, Marco, Lucæ, & Joanni; & primum eum postremo appellat Apostolos; cæteros vero viros Apostolicos. Meminit Epistolæ ad Hebræos, ast sub nomine Divi Barnabæ. „ Et utique receptior, ait ille, „ apud Ecclesias Epistola Barnabæ illo apocrypho Pa„ store mœchorum (hoc nomine vocat Pastorem Her„ mæ, quem tanta veneratione tota antiquitas prose„ cuta est.) Monens itaque Barnabas Discipulos, im„ possibile est, inquit, eos qui semel illuminati sunt, „ & donum cœleste gustaverunt &c. „ qui textus iisdem verbis reperitur in Epistola Divi Pauli ad Hebræos, minime vero in Epistola, quæ apud nos extat sub nomine Divi Barnabæ. Nec mirum videri debet, quod Tertullianus Epistolam hanc Divo Barnabæ adscribat, cum inter Patres alii eamdem adscripserint Divo Lucæ, aut Divo Clementi. Hujus erroris origo ex eo est repetenda, quod Divus Paulus Epistolæ illi nomen suum non præmisit, quemadmodum in cæteris aliis peregerat. Quidquid tamen de hoc sit, omnium ferme Græcorum Patrum æque ac Latinorum constans opinio est, Divum Paulum Epistolam ad Hebræos conscripsisse; & inter eos, qui hanc veritatem in dubium revocant, nonnulli tuentur, Doctrinam ac sensum hujus Epistolæ Divo Paulo adscribi omnino debere, qui alicujus ministerio usus, puta Divi Lucæ, eamdem exaravit, cum hujus Epistolæ stylus valde conformis sit stylo Actuum Apostolorum. Verum, Ecclesiæ judicium iis favet Patribus, qui Divum Paulum illius Epistolæ Auctorem fatentur. Cæterum mirari non debemus, si Tertullianum acerbe admodum audivimus loquentem contra Pastoris Opus. Valde enim intererat ei, qui ad Montanistarum castra jampridem convolaverat, acerba loqui contra Hermæ Pastorem, qui expresse præcipuos damnabat suæ Sectæ errores: idque evincitur evidentissime ex eo, quod Tertullianus, quoadusque Catholicus permansit, summa veneratione de hoc libro locutus est; sicuti alibi jam notavimus.

Alii Libri a. Scripturæ. *Lib. de Præscript. cap. 3. Lib. 3. contra Marcion. c. 8. De Resur. cap. 18. De Pudicit. cap. 19. Lib. 3. contra Marcion. c. 14. & alibi. Lib. 1. de cultu feminar. cap. 3. Ibid.*

VII. Tertullianus in quibusdam suorum Operum locis citat duas primas Divi Joannis Epistolas sub nomine Sancti hujus Apostoli, cui & Apocalypsim tribuit, quæ ejus nomen in fronte gerit. Meminit insuper Epistolæ Divi Judæ, ejusque auctoritate canonicum esse Librum Enoch ostendit. Verum decipitur hac in re Tertullianus; ac fatetur & ipse, librum hunc in canone Judæorum minime reperiri, & sua etiam ætate a quibusdam uti canonicum receptum non fuisse: *Scio*, inquit, *Scripturam Enoch .... non recipi a quibusdam, quia nec in armarium Judaicum admittitur*. Nihilominus, ut supra dixi, ejusdem libri auctoritatem tuetur, & Scripturis canonicis accenset. Tandem cum cæteris veteribus concordat dum asserit, Scripturas veteris Testamenti ab Esdra restitutas fuisse; & sacros libros diverso titulo ab illo, quo inscribuntur in nostris exemplaribus, citat, non secus ac & cæteri veteres præstiterunt. Id vero peculiare habet Tertullianus, quod quandoque id Prophetis tribuit, quod non sunt locuti, ut videre est in libro de Carne Christi cap. 28. ibi enim nonnulla recitat ex Ezechiele, quæ in illo Propheta desiderantur; & in libro de Resurrectione Carnis cap. pariter 28. ubi locum quemdam profert ex Isaia, qui legitur in Deuteronomio &c. Hæc sunt notabiliora, quæ in Tertulliano

De Monog. c. 11.

occurrunt quoad Sacram Scripturam. Cum autem doceat alio loco, oportere consulere textus originales, ut emendari possint errores, qui in Scripturæ Versionibus contingere potuerunt; ideo id docet, quia ejus ævo nulla extabat Scripturæ Versio, quæ Ecclesiæ judicio authentica haberetur; quemadmodum postea declaratum fuit.

CAPUT SECUNDUM.

DE TRADITIONE.

I. TErtullianus præ cæteris omnibus Patribus argumentum hoc pertractavit funditus, ejusque necessitatem præ cæteris aptius comprobavit, utilitusque Traditione usus est adversus omnes hæreses sui ævi. Præcipue in Præscriptionum libro materiam hanc perspicue adeo evolvit, ut nihil amplius desiderari posse videatur. Ex hoc libro exscribemus quidquid notabile occurrit quoad Traditionem; & idipsum deinceps exscribemus ex aliis hujusce Patris Tractatibus. Tertullianus ut fideles retrahat a præstanda fide opinionibus Hæreticorum, *Apostolos Domini*, ait, *habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt*. Itaque etiamsi Angelus de cœlis aliter evangelizaret, anathema diceretur a nobis. Hæc est origo, hoc est fundamentum Traditionis. Jesus Christus docet Apostolos suos; Apostoli tradunt fidelibus veritates illas, quas a Servatore didicerant, & fideles veritatibus istis firmiter adhærent, quæ propter Ecclesiæ sollicitudinem in servando doctrinæ semel acceptæ deposito, usque ad consummationem sæculorum perdurabunt. Inferendum igitur est ex hoc testimonio, Traditionem, æque ac Sacram Scripturam, esse Dei Verbum; Traditio quippe nil aliud est, quam Doctrina & fides, quam a Jesu Christo acceperunt Apostoli, & fidelibus partim scriptis, partim vivæ vocis oraculo tradiderunt.

II. & III. Sæculum. Origo & Fundamentum Traditionis. *Lib. de Præscript. cap. 6.*

II. Apostoli a Domino edocti, in omnem terram profecti sunt post ejus Resurrectionem, ac Ecclesias fundaverunt primo per Judæam, deinceps apud cæteras Nationes in quibusdam Civitatibus, *a quibus traducem fidei & semina Doctrinæ, cætera deinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur ut Ecclesiæ fiant*: ac per hoc, ait idem Doctor, & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Hoc fuit initium Traditionis, quæ usque ad sæculi consummationem in Ecclesia perseverabit.

Traditionis in Ecclesia initiū & perpetuitas. *Ibid. c. 20.*

III. Hisce præjactis, Tertullianus hoc instituit ratiocinium. Cum Jesus Christus solis Apostolis revelaverit Doctrinam, quam ipse a Patre acceperat, non aliter deprehendere possumus quænam sit hæc doctrina, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, *tam viva .... voce, quam per epistolas postea*. Si hæc ita sunt, constat igitur, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; sine dubio tenentem quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit .... At idipsum nos credimus, quod tenent Apostolicæ istæ Ecclesiæ; quippe cum iisdem communicamus; igitur vera est nostra doctrina. Hoc est Tertulliani ratiocinium, quod, ut mihi videtur, graviter Hæreses opprimit.

Argumentum præscriptionis. *Ibid. c. 21.*

IV. Ad infirmandam hanc præscriptionem dicere solebant Hæretici, non omnia Apostolos scisse; vel omnia quidem scisse, sed non omnia omnibus tradidisse. Tertullianus vero respondet, quod hoc posito, Christus reprehensioni subjiceretur: *In utroque*, ait ille, *Christum reprehensioni subjicimus, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit*. „ Qui „ igitur, illico subjungit magnus Doctor, integræ „ mentis credere potest, aliquid eos ignorasse, quos „ Magistros Dominus dedit, individuos habens in co„ mitatu, in discipulatu, in convictu; quibus obscu„ ra quæque seorsim disserebat, illis dicens datum es„ se cognoscere arcana, quæ populo intelligere non „ liceret? Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ „ petram dictum, claves Regni cœlorum consecutum, „ & solvendi & alligandi in cœlis & in terris po„ testatem? Latuit & Joannem aliquid, dilectissimum „ Domino, pectori ejus incubantem, cui soli Domi„ nus Judam traditorem præmonstravit, quem loco „ suo Filium Mariæ demonstravit? Postremo, quid „ eos ignorare voluit, quibus dixerat plane aliquan„ do: Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non po„ testis modo ea sustinere: cum venerit ille Spiritus „ veritatis, ipse vos deducet in omnem veritatem? „ Verum utique est, Petrum reprehensum fuisse a Paulo: sed si reprehensus est, *utique conversationis fuit vitium, non prædicationis*. Ex omnibus hisce momentis probe intelligitur, non eam fuisse Tertulliani opinionem, quod non omnia scirent Apostoli, quemadmodum falso autumabant sui ævi Hæretici, ut possent inde inferre, non omnia adhuc innotescere, ac quoad aliquas veritates examen adhuc superesse instituendum, cum de omnibus fidei veritatibus suffragium non tulerint Apostoli.

Sequitur idem argumentū. *Ibid. c. 22.*

V. Quod attinet ad alteram objectionis partem, scilicet, omnia quidem scisse, sed non omnia omnibus tradidisse Apostolos, sapientissime respondet Tertullianus, nullam extitisse rationem, ut absconderent quod a Domino didicerant; immo Dominum eis præcepisse, ut si quid in tenebris & in abscondito audissent, in luce & in tectis prædicarent: deinde addit: *Neminem, quod scio, verebantur, non Judæorum vim, non Ethnicorum*: quo magis utique in Ecclesia libere prædi-

Sequitur idem argumentū. *Ibid. c. 26.*

II.&III. SÆCULUM.

prædicabant, qui in Synagogis, & in locis publicis non tacebant. Perperam igitur quis assereret, Ecclesias recte non percepisse prædicationem Apostolorum; contrarium enim ex epistolis eorundem Apostolorum eruitur: hinc Divus Paulus ad eos scribens commendat illos, ac gratias Deo agit pro eorum fide, scientia, &c. & ceteræ Ecclesiæ, ad quas epistolæ nullæ sunt conscriptæ, communicabant cum illis. Cæterum, *ecquid verisimile est*, inquit ille, *ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint?* Si id contigisset, *exitus variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum .... Cæterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.* Tertullianus itaque, ut constat, probat veritatem Traditionis, & Doctrinæ Catholicæ ex unanimi consensu omnium Ecclesiarum in una eademque fide.

Cap. 27. Cap. 28. Ibid.

VI. Si igitur Jesus Christus docuit Apostolos veritates omnes Religionis; si Apostoli eamdem hanc doctrinam in omni sua puritate & integritate tradiderunt Ecclesiis quas fundaverunt; si tandem ceteræ Ecclesiæ omnes communicant cum Apostolicis illis Ecclesiis, ac eamdem fidem & doctrinam amplectuntur; id unum, ut contundantur Haeretici, ostendendum remanet, eos obortos fuisse post universalem hanc Ecclesiam, quæ recepit veræ doctrinæ semen ab Apostolis, ac ab ipso Domino. Quod autem Ecclesia Catholica præcesserit hæreses, id nequit in dubium revocari, cum Hæresiarchæ ab Ecclesia recesserint, ac post Apostolos inceperint propria Dogmata docere. Quod autem prius traditum sit, id verum est ac divinum, inquit Tertullianus; falsum vero ac extraneum est id, quod posterius traditum est. *Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse dominicum & verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum.*

Sequitur idem argumentum præscriptionis. Ibid. c. 30. Cap. 31.

VII. „ Cæterum, prosequitur eruditus iste Auctor, „ si quæ audent (Hæreses) interserere se ætati Apo„ stolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, „ quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Epi„ scoporum suorum, ita per successiones ab initio decur„ rentem*, &c. hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ „ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia „ Polycarpum a Joanne conlocatum refert: sicut Ro„ manorum Clementem a Petro ordinatum itidem ... „ Confingant tale aliquid Hæretici: (quod enim illis „ post blasphemiam inlicitum est?) sed etsi confinxe„ rint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum „ cum Apostolica comparata, ex diversitate & contra„ rietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicujus au„ ctoris esse, neque Apostolici. „

Sequitur idem argumentum. cap. 32.

VIII. Cum certo certius sit Hæreticos obortos esse post Apostolos, veritatem Catholicæ Ecclesiæ & Doctrinæ fateantur necesse est, nisi absurdum hoc tueri velint, videlicet, quod tamdiu regnavit error, quamdiu hæreses non erant, & quod aliquos Marcionitas, & Valentinianos liberanda veritas expectabat. At, si hoc verum est, perperam interea evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata: tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata. Igitur ante Christiani extiterunt, quam Christus inventus, ante hæreses, quam vera doctrina? Verum, dicam iterum, quomodo probant Hæretici, se Apostolos esse? *Probent se novos Apostolos esse.* „ Dicant Christum iterum descendisse, iterum ip„ sum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, „ iterum resuscitatum ... Volo igitur & eorum vir„ tutes proferri, nisi quod agnosco maximam virtu„ tem eorum: „ *Qua Apostolos in perversum æmulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant; isti de vivis mortuos faciunt.* Hisce signis proprios errores ac mendacia confirmabant Hæretici primis Ecclesiæ sæculis, & Deus, qui perpetuo invigilat Ecclesiæ suæ bono, permisit, recentiores Sectarios eadem hæc signa præbere propriæ missionis, ac auctoritatis prædicandi verbi Dei.

Sequitur idem argumentũ. c. 27. & 29. Cap. 30.

IX. Ex his omnibus concludendum est cum Tertulliano, Catholicos recedere debere ab Hæreticis, ut mordicus teneant doctrinam illarum Ecclesiarum, quarum prima fundamenta fecerunt Apostoli; *Apud quas* (Ecclesias) *ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident: apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque.* „ Proxima est tibi Achaja? prosequitur Pa„ ter iste; habes Corinthum. Si non longe es a Ma„ cedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. „ Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si au„ tem Italiæ adjaces, habes Romam: *Unde nobis quo„ que authoritas præsto est.* Ista quam felix Ecclesia! „ cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo pro„ fuderunt: ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur; „ ubi Paulus Joannis (Baptistæ) exitu coronatur; ubi „ Apostolus Joannes, posteaquam in oleum igneum „ demersus nihil passus est, in insulam relegatur. „

Concluditur argumentum præscriptionis. Cap. 36.

X. Hæc sunt quæ habentur in libro de Præscriptione Hæreticorum quoad Traditionem, & nihil aptius dici potest pro venerabili ejusdem auctoritate. Deus Pater mittit Filium suum in hunc mundum, ut construat Ecclesiam Christianam. Jesus Christus ad eumdem hunc effectum mittit Apostolos suos, & docet illos veritates omnes, quæ veluti fundamentum esse debebant spiritualis hujus ædificii. Apostoli acceptam a Domino doctrinam tradunt omnibus Ecclesiis ad quas ex divina Providentia missi sunt. Ecclesiæ istæ tenent firmissime illam Apostolorum doctrinam, ac ceteris omnibus Ecclesiis communicant, quæ Apostolorum neminem viderunt: Et omnes istæ Ecclesiæ invicem coadunatæ unum idemque corpus constituunt in unitate ejusdem Doctrinæ, ejusdemque fidei. Quis porro Ecclesiam hanc, columnam immobilem veritatis deseret, ut amplectatur Sectas ab eadem sejunctas? Absit, ut unquam pluris faciamus novitatem quam vetustatem, mendacium quam veritatem, traditionem humanam ac opiniones quæ a malo dæmone sunt quam doctrinam Jesu Christi ipsiusque Dei. Amplectamur igitur Traditionem Ecclesiæ, quæ est doctrina pura Apostolorum, Jesu Christi, & Dei, illique firmiter inhæreamus. *Ego sum hæres Apostolorum*, egregie ajebat Tertullianus, *sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certe*, ad Hæreticos sermonem convertit, *exhæredaverunt semper & abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos.*

Lib. de Præscrip. cap. 37.

XI. Etsi quæ allata sunt satis superque ostendant Tertulliani catholicam doctrinam quoad auctoritatem Traditionis: nihilominus ea modo afferre ex eodem Patre in animo est, quæ in ceteris suis Tractatibus, licet obiter tantum, quoad idem argumentum scriptis mandavit. Loquitur igitur primo de Traditione in Tractatu de Corona: ibi enim fatetur, in Scripturis expresse non damnari quod milites coronas gerant tanquam præmium ob egregia eorum facinora: verum declarat, a Traditione morem hunc damnari; quod quidem sufficere debet, ut ipse scribit, ad hoc ut Christiani ab ea praxi abhorreant. *Hanc si nulla Scriptura determinavit, certe consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de Traditione manavit.* „ Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in „ Traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas „ scripta. *Ergo quæramus, an & Traditio, nisi scripta „ non debeat recipi.* Plane negabimus recipiendam, si „ nulla exempla præjudicent aliarum observationum, „ quas sine ullius scripturæ instrumento, solius Tra„ ditionis titulo, & exinde consuetudinis patrocinio „ vindicamus. Denique ut a Baptismate ingrediar, „ Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in „ Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renun„ tiare diabolo, & pompæ, & angelis ejus: dehinc „ ter mergitamur amplius aliquid respondentes, quam „ Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, „ lactis & mellis concordiam prægustamus, exque ea „ die, lavacro quotidiano per totam hebdomadem ab„ stinemus. „ Refert deinde Tertullianus alias huic similes consuetudines, quæ ex libris sacris non eruuntur; & tandem prosequitur hisce verbis: *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Hisce Christianæ Religionis consuetudinibus illam addit Tertullianus, quæ apud Judæos vigebat, velandi omnes fœminas, licet nullum de hoc in veteri Lege adesset præceptum: ex quo Doctor iste concludit, Traditionem, & si non scriptam, habere vim legis, quando consuetudine confirmata est: *His igitur exemplis renuntiatum erit, posse etiam non scriptam Traditionem in observatione defendi, confirmatam consuetudine, idonea teste probata tunc Traditionis, ex perseverantia observationis.* Videant nostrorum temporum Sectarii, num hæc principia stare possint cum eo contemptu, quo ipsi in Traditionem feruntur.

Auctoritas Traditionis. Lib. de Corona. cap. 2. 3. Consuetudines Ecclesiæ in sola Traditione nõ scripta fundatæ. cap. 3. Ibid. c. 4.

XII. Idem insuper pertractat argumentum Tertullianus in primo libro contra Marcionem, quæritque, Traditionem Apostolorum nullam corruptionem passam esse illorum ævo; ac eam solam esse Traditionem Apostolorum, quam docent hodie Ecclesiæ ab ipsis fundatæ: *Ergo jam Apostolica Traditio nihil passa est in tempore suo, circa Dei regulam; & non alia agnoscenda erit Traditio Apostolorum, quam quæ hodie apud ipsarum Ecclesias editur.* Ex omnibus his, quæ a Tertulliano exscripsimus patet, Traditionem sua donari auctoritate, non secus ac Sacram Scripturam, & æque esse Dei Verbum; hanc quippe fideles ab Apostolis tenent, Apostoli a Servatore, Servator autem a Patre suo.

Lib. 1. cõtra Marcion. c. 21.

Ut igitur Hæretici caussa excidant, demonstrari debet, quænam sit vera Apostolorum Traditio: sed id apertissime ostendit Tertullianus scribens, oportere consulere Ecclesias quas Apostoli fundaverunt; præcipue vero Ecclesiam Romanam, cujus maximam auctoritatem Tertullianus præ cæteris commendat ac veneratur propter eximios viros, qui prima illius fundamenta jecere. Igitur, ut ad cor redeant Hæretici, ad hanc Ecclesiam revocandi sunt, quæ cæterarum omnium Ecclesiarum mater est; in eaque veritates illas percipient, quæ nunquam adinveniri poterunt in sectis ab eadem sejunctis.

CAPUT TERTIUM.

De Ecclesia, et ejus Ministris.

I. Ecclesiam, ut inquit Tertullianus, Arca figurabat: *Ecclesia est arca figurata*. Repræsentat insuper Ecclesiam navicula S. Petri. *Cæterum navicula illa, figuram Ecclesiæ præferebat, quod in mari, idest sæculo, fluctibus, idest persecutionibus, & tentationibus inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente, donec orationibus Sanctorum in ultimis suscitatus, compescat sæculum, & tranquillitatem suis reddat.* Tertullianus hoc loco præ oculis habet historiam Evangelicam, quando scilicet navicula fluctibus periclitante, excitatus Jesus a Discipulis, mare sedavit: per orationes vero Sanctorum intelligi debet, juxta Dominum Regalium illa Orationis Dominicæ petitio: Adveniat regnum tuum. Cæterum idea, quam hic efformat Tertullianus de Ecclesia, est recta, ac veritati consona. Navicula enim hæc, idest Ecclesia, semper jactata fuit mundi hujus fluctibus, eritque usque ad consummationem sæculorum; tunc enim Dominus tanquam a gravi somno excitabitur, ut Ecclesiæ optatam tranquillitatem reddat, & rigorose ab ejusdem persecutoribus pœnas sumat.

[Ecclesiæ imagines. Lib. de Baptism. cap. 8. — Ibid. c. 12.]

II. Ecclesiæ Unitas ex iis omnibus optime comprobatur, quæ de Traditione ex Tertulliano exscripsimus. Meminit utique Doctor iste plurium Ecclesiarum, quas variis nominibus distinguit; sed semper sollicitus est, ut deprehendatur, omnes has Ecclesias unam eamdemque fidem tenere, ac unam eamdemque amplecti doctrinam, (quæ est doctrina Apostolorum) ac tandem unam eamdemque Ecclesiam constituere propter communicationem pacis, quæ oritur ex unitate doctrinæ. *Itaque*, inquit Pater iste, *tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis, prima, ex qua omnes. Sic omnes, prima, & Apostolica, dum una omnes probant unitatem; dum est illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio.* Hæc erant olim vincula unionis Ecclesiasticæ: scilicet non solum unitas fidei, sed insuper communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, &c. Hæc cordium unio æque essentialis est, ac unanimitas in credendo.

[Unitas Ecclesiæ. Lib. de Præscript. cap. 20.]

III. Vera Ecclesia debet præterea essentialiter esse Apostolica, hoc est ab Apostolis fundata, ac eorum doctrinam tenere, & tandem ab illis gubernari, qui legitimi sunt Apostolorum successores. Quod Apostoli Ecclesiæ fundamenta posuerint, expresse docet Tertullianus dum ait, quod cum Jesus Christus elegisset duodecim Apostolos, ut omnes docerent nationes, insignes isti Viri pleni Spiritu Sancto, *Primo per Judæam contestata fide in Jesum Christum, & Ecclesiis institutis; dehinc in orbem profecti... proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei & semina doctrinæ cæteræ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant.* Omnes Ecclesiæ, sunt Apostolicæ, posteriores etiam, quoniam sunt cæterarum soboles: *Et ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum:* omnes enim istæ, sicuti supra dictum est, sunt prima, quæ ab Apostolis originem trahit, & cum qua in omnibus communicant: *Sic omnes, prima, dum una omnes probant unitatem, &c.* Sed primam hanc posuerunt Apostoli, ut omnibus compertum est; ergo & cæteras posuerunt, saltem mediate; ideoque omnium Ecclesiarum parentes haberi debent Apostoli. Hac nota, ut docet Tertullianus, vera Ecclesia ab Hæreticorum Sectis distinguitur, quemadmodum superius vidimus de Traditione agentes.

[Ecclesia Apostolica. Ibid.]

IV. Ecclesia æque Apostolica est propter suam doctrinam, cum eam solummodo amplectatur, quam Apostoli tradiderunt. „ Apostolos Domini, inquit Tertullianus, habemus auctores, qui nec ipsi quicquam „ ex suo arbitrio quod inducere elegerunt; sed acce„ ptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assi„ gnaverunt. „ Et illico subdit: *Itaque etiamsi Angelus de cœlo aliter evangelizaverit, anathema diceretur a nobis.* Tandem vera Ecclesia a viris Apostolicis gubernari debet, hoc est ab iis, qui legitime in Apostolorum locum suffecti sunt: hinc Tertullianus Hæreticos urget, quemadmodum supra vidimus, ut edant origines Ecclesiarum suarum, & evolvant ordinem suorum Episcoporum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris habuerit auctorem & antecessorem; sicuti vera Ecclesia suo ævo ostendebat. Ex quibus omnibus Doctor iste concludit, quod cum Hæretici non valeant successionem hanc demonstrare, æquo jure a communione Ecclesiarum Apostolicarum excluduntur.

[Sequitur idem argumentum. Ibid. c. 6.]

V. Tertio vera Ecclesia debet esse Catholica. Nemo sane, nec ipsos inter Ethnicos, prærogativam hanc Christianæ Ecclesiæ denegabat. „ Adeo quotidie, aje„ bat ad illos Tertullianus, adolescentem numerum „ Christianorum ingemitis. Obsessam vociferamini ci„ vitatem; in agris, in castellis, in insulis Christia„ nos; omnem sexum, omnem ætatem, omnem deni„ que dignitatem (ut amplectatur Christianam Religio„ nem) transgredi a vobis. „ Idipsum tradit in suo Apologetico: & in Tractatu ad Scapulam prope finem, *Nec tamen*, scribit ille, *desinet hæc secta*, (Ecclesia Christiana) *quam tunc magis ædificari scias, cum cædi videtur.* Et revera, licet hujus Patris ævo immaniter persequerentur Ecclesiam tyranni, testatur nihilominus in suo Tractatu de Anima, lucem Evangelii omnibus mundi nationibus refulsisse: *Nulla jam gens, Dei extranea est, in omnem terram, & in terminos orbis Evangelio coruscantem.* Quin immo & ipsos inter Barbaros Evangelium Christi prædicatum fuerat: *Et apud barbaros enim Christus*; hoc est Christiani aderant. Hinc Plinius in celeberrima sua ad Trajanum epistola conqueritur de mira Christianæ Religionis extensione, etsi, ut ita dicam, ea essent Ecclesiæ primordia: *Neque enim*, scribit Plinius, *civitates tantum, sed vicos etiam atque agros, superstitionis istius contagio pervagata est.* Hoc pacto Sanguis Martyrum erat semen Christianorum, ut augeretur eorum numerus, & in omnem terram diffunderetur.

[Ecclesia Catholica. Lib. 1. ad Nation. cap. 1. — Apologet. cap. 1. — Lib. ad Scapul. cap. 4. — Lib. de Testim. Animæ c. 5. — Lib. de Coron. c. 3.]

VI. Non loquar modo de Ecclesiæ Sanctitate, quæ essentialiter ei convenit, cum hæc inter veritates Morum locum habeat. Ast verba faciam de ejusdem Ecclesiæ doctrina, cujus veluti compendium non uno in loco suorum Operum Tertullianus concinnavit. Itaque in Libro de Præscriptione Hæreticorum hæc habet: „ Regula est autem fidei, Unum omnino Deum esse, „ nec alium præter mundi conditorem; qui universa „ de nihilo produxerit, per Verbum suum primo om„ nium demissum. Id Verbum Filium ejus appella„ tum, in nomine Dei varie missum a Patriarchis, in „ Prophetis semper auditum, postremo ex spiritu pa„ tris Dei & virtute, in Virginem Mariam, carnem „ factum in utero ejus, & ex ea natum egisse Jesum „ Christum: exinde prædicasse novam legem, & no„ vam promissionem regni cœlorum: virtutes fecisse: „ fixum cruci, tertia die resurrexisse: in cœlos ere„ ptum sedisse ad dexteram Patris: *misisse vicariam* „ *vim Spiritus Sancti*, qui credentes agat: venturum „ cum claritate, ad sumendos sanctos in vitæ æternæ, „ & promissorum cœlestium fructus, & ad profanos „ adjudicandos igni perpetuo, facta utriusque partis „ resuscitatione, cum carnis restitutione. „ *Hæc regula*, subjungit ille, *a Christo instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt.* „ Cæterum, manente forma ejus in „ suo ordine, si quid tibi videtur vel ambiguitate „ pendere, vel obscuritate obumbrari, est utique fra„ ter aliquis doctor gratia scientiæ donatus; est ali„ quis inter exercitatos conversatus, apud quos cu„ rios potes. „

[Compendium Doctrinæ Ecclesiæ. Lib. de Præscript. cap. 13.]

VII. Nunquam Tertullianus in his fidei Catholicæ veritatibus hæsitavit, nunquam has deseruit, ut probe dignoscitur ex his quæ docet in suo Tractatu contra Praxeam, quem post suum lapsum conscripsit. „ Nos „ unicum quidem Deum credimus, inquit ille; sub „ hac tamen dispensatione, ut unici Dei sit & filius „ sermo ipsius, *qui ex ipso processerit*; per quem om„ nia facta sunt, & sine quo factum est nihil: hunc „ Missum a Patre in Virginem (credimus,) *& ex ea* „ *natum hominem, & Deum*, filium hominis, & fi„ lium Dei, & cognominatum Jesum Christum: hunc „ passum, hunc mortuum, & sepultum secundum Scri„ pturas, & resuscitatum a Patre, & in cœlos re„ sumptum, sedere ad dexteram Patris, venturum ju„ dicare vivos & mortuos: qui exinde miserit, se„ cundum promissionem suam (factam Discipulis suis) „ a Patre Spiritum Sanctum Paracletum. „ Hæc est

[Sequitur idem argumentum. Tract. contra Prax. cap. 2.]

regula

II. & III. SÆCULUM.

regula fidei, quæ semper obtinuit, ut docet Tertullianus, ab ipso Evangelii initio; & cum regula ista ante omnes hæreses extiterit, consequens est, hanc solam sequi oportere, juxta hanc præscriptionis regulam: *id esse verum, quodcunque primum; id esse adulterum, quodcunque posterius*. Animadvertendum hic obiter est, Tertullianum adhibere vocem *processionis* loquens de verbo, cum Ecclesia deinceps hac voce usa sit unice dum loquitur de Spiritu Sancto, ut indigitet; modum quo procedit Filius, distingui debere a modo quo Spiritus Sanctus procedit. Cæterum, divina Mariæ Maternitas in hac regula fidei clarissime significatur.

VIII. Docet Tertullianus in suo Tractatu qui inscribitur Scorpiace, Jesum Christum dedisse Divo Petro claves regni cœlorum, & per eum toti Ecclesiæ. Nam & si adhuc clausum putas cœlum, ait ille, ad Valentinianos loquens, *memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse*. Alio loco videbimus errores Tertulliani circa potestatem clavium quæ in Ecclesia residet: verum erroribus istis subscripsit propter Montani ineptias, quas adoptaverat, cum semper veritatem catholicam in hac materia docuerit quamdiu fidelis extitit Ecclesiæ quemadmodum ex dicendis infertus constabit.

Claves cœlorum Ecclesiæ traditæ. *Scorpiac.* cap. 10.

IX. Ad Ecclesiam pertinet veras Scripturas determinare, verum earum sensum, ac veras Traditiones: id constat ex supra allatis in Capite de Sacra Scriptura: addi posset hic textus, quem in eodem capite supra attulimus, in quo Tertullianus aperte docet, veritatem Scripturarum, & expositionum, & omnium Traditionum christianarum illic esse, ubi est veritas doctrinæ ac fidei christianæ: *ubi enim apparuerit esse veritatem & disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionum, & omnium Traditionum christianarum*. Sane in dubium revocari nequit, quod Tertullianus adhuc catholicus prærogativam hanc Ecclesiæ tribuerit cum exclusione omnium Sectarum, quæ ab eadem Ecclesia erant divisæ. Quis enim, ut ait idem Doctor alio loco, medullas Scripturarum magis nosset, quam ipsa Christi schola? Quinam autem ea hac Jesu Christi schola, nisi Apostoli, nisi Ecclesia Catholica, ab Apostolis ipsis fundata, quæ eorum doctrinæ semper immobiliter adhæsit? Solius igitur Ecclesiæ proprium est determinare veras Scripturas, verum earundem sensum, ac veras Traditiones. Ejus consilium exquirendum est, si quando de hisce rebus agatur, non autem peculiaris Spiritus attendere debemus illusiones, cujus ductum sequuntur recentiores Sectarii.

Soli Ecclesiæ competit judicium ferre de veris Scripturis, de earum sensu, & de veris Traditionibus. Lib. *de Præscript.* cap. 19. *Scorpiac.* cap. 12.

X. Videamus modo quæ docet Tertullianus de Ordine Ecclesiastico. Evidentissime constat, discrimen aliquod ab eo poni Clericos inter & Laicos: & ne ullum de hac re dubium supersit, sat erit attendere quæ tradit ille in Exhortatione ad Castitatem capite sexto, & in Tractatu de Monogamia, capite undecimo; quibus in locis discrimen hoc apertissime docet. Videtur utique nullum ponere discrimen inter Sacerdotes & laicos cum ait: „ *Nonne & Laici Sacerdotes sumus?* „ quis (Jesus Christus) Sacerdotes nos Deo & Patri „ fecit „. Id vero intelligendum est de Sacerdotio omnino spirituali, cujus munera sunt ejusdem naturæ, hoc est spiritualia. Hinc semper verum remanet, reale ac verum discrimen haberi Clericos inter & populum, sicuti Tertullianus ipse asserit immediate post allata superius verba. *Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas*. Quæ quidem auctoritas vim habet ex præcepto Jesu Christi, ac Apostolorum, qui Ministros in Ecclesia posuerunt, ut fideles regerent, verbum Dei prædicarent, ac ministrarent Sacramenta.

Discrimen inter Clericos & Laicos.

Tract. de Monogam. cap. 12.

XI. Perperam autem objicierentur hæc Tertulliani verba: *Ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi solus*. 1°. enim ex his verbis tale discrimen peroptime comprobatur: quippe, si Laici munera illa obire non possint cum Ecclesiastici adsint, igitur potestate qua donantur Clerici, destituuntur laici ideoque reale discrimen inter eosdem habetur. Deinde verba hæc respiciunt munera spiritualia, ut superius dixi, idque absolute verum esse debet, nisi asserere velimus, Tertullianum opposita tradidisse antequam etiam a Catholica Ecclesia deficeret: docet enim apertissime in libro de Baptismo Episcopum habere potestatem baptizandi, deinde vero Presbyteros & Diaconos, non tamen sine episcopi auctoritate. Tribuit utique idem jus etiam laicis, verum, in solo casu necessitatis, ut suo loco videbimus; & quia hoc Sacramentum necessarium est ad salutem. Si igitur Laicis denegat jus communiter ministrandi Sacramentum hoc, quod necessarium est necessitate medii, quis unquam sibi persuadere poterit, facultatem laicis permisisse offerendi Sacrificium, ipsis etiam absentibus Sacerdotibus, cum Sacrificium non adeo necessarium sit ac Baptismus? Loquitur igitur Tertullianus hoc loco de quodam mystico Sacerdotio, quo Sacrificium laudis Deo offertur, & munera spiritualis cujusdam Sacerdotii exercentur, ob quæ nequaquam tollitur discrimen illud, quod reipsa habetur inter Clericos & laicos.

Lib. de Baptism. cap. 17.

XII. Parum adeo verisimile est, Tertullianum opposita docuisse, ac Laicos credidisse vere Presbyteros (nisi de Sacerdotio mystico, ut dixi, ejus verba intelligantur) ut idem discrimen Clericos inter & laicos tradat in suo Tractatu de Monogamia, quem hæreticus jam factus exaravit: ibi enim supponit cum Catholicis, Clericos differre a populo, & populum munera Clericorum non obire; & si Monogamiam in Laicis, æque ac in Clericis exigit, non ideo laicos Clericorum albo adscribit; sed solum disponit laicos, ut valeant hoc pacto in Clericorum numerum cooptari. Unde enim, inquit ille, Episcopi & Clerus? nonne de omnibus? (hoc est, de populo). Sed si non omnes Monogamiæ tenentur, unde Monogami in Clerum &c.? At, dicam iterum, omnia hæc verba apertissime ostendunt discrimen quod Clerum inter & populum admitti debet; quod quidem discrimen non est solum quoad munera, sed quoad ordinem ac potestatem, & per quod Clerici a Laicis ita distinguuntur, ut primum locum teneant, ac ipsis superiores sint in spirituali Ecclesiæ regimine. Cæterum, non inficior, Tertullianum non pertractare hoc argumentum ea diligentia ac perspicuitate, quæ in pluribus ejus Tractatibus deprehenduntur.

XIII. Docet præterea vetustus hic Pater, Episcopos Clericis omnibus præstare 1°. quando iis tribuit jus ministrandi Baptismi, tamquam ordinariis hujus Sacramenti Ministris: *Dandi quidem (Baptismi) habet jus summus Sacerdos*; quam facultatem Presbyteris ac Diaconis concedit tamquam delegatis & ex auctoritate ac participatione Episcopi: *Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est*. 2°. Prærogativa Summi Sacerdotis, quam de Episcopo prædicat, (*Summus Sacerdos*) connotat ex seipsa ejus præstantiam, ac potestatem in simplices Sacerdotes, cæterosque Clericos. 3°. quando Hæreticos urget, ut ostendant originem Sectarum suarum, & ordinem sibi invicem succedentium ministrorum, non loquitur de Presbyteris, vel aliis Clericis, sed solum de Episcopis, quorum initium sumi debere ab Apostolis docet, vel a viris Apostolicis, ad hoc ut legitimi censeri possint, & intra veram Ecclesiam. Ex omnibus his probe dignoscitur, Tertullianum primum in Ecclesia locum Episcopis assignare; & licet expresse non asserat, præstantiam hanc esse de jure divino, id nihilominus satis superque significat, dum eos dicit Apostolorum successores, quod sane rigorose dici non posset, si Episcopi eorum potestatem ac auctoritatem non obtinerent: sed Apostolorum in Ecclesiam auctoritas erat de jure divino, cum Dominus ipse eos posuerit regere gregem suum: igitur æque de jure divino est eorum successorum auctoritas. Verum hæc dicta sint satis de Ecclesia.

Episcopi præstant Clericis. Lib. de Baptism. cap. 17.

CAPUT QUARTUM.

DE HÆRESI.

I. De hoc argumento pluribus disserit Tertullianus. Hæresis itaque, prout docet sapientissimus iste Pater, est effectus temeritatis humanæ, minime vero Spiritus Dei, cum contendat emendare Sacram Scripturam, quam Sanctus iste Spiritus dictavit, nec non impudentissime audeat ea omnia ex eadem expungere, quæ illi adversantur, quemadmodum peragebant inter cæteros Marcionitæ, ac peragunt etiam Recentiores Hæretici. Verum, non solum syllabas subtrahit Hæresis, sed integras Divinæ Scripturæ paginas quandoque subducit, ut Marcionitis exprobrat Tertullianus hisce verbis: *De manibus Hæretici præsidentis non miror, si syllabas subtrahit, cum paginas totas plerumque subducat*. Tandem eo audaciæ ac temeritatis devenire quandoque solet, ut integros libros expungat; & non erubuerunt nonnulli Hæretici totum Vetus Testamentum & notabilem Novi partem rejicere, quemadmodum non uno in loco idem Tertullianus tradit, & nos ex Divo Irenæo didicimus.

Hæresis facinus supra Sacrã Scripturã. Lib. 4. *contra Marcion.* c. 5.

Lib. 5. *contra Marcion.* c. 17.

II. Quando Hæretici coguntur aliquam admittere Scripturæ Partem, venerabilem ejus auctoritatem infirmare conantur falsis interpretationibus, ac captiosis adeo, ut valeant iisdem proprios errores comprobare: *Hæreticis fere mos est simplicia quæque torquere ...... Simplicitatem communium verborum torquentes in quæstionem*, ut Hermogeni exprobrat Tertullianus .... *Ita*

Sequitur idem argumentũ. Lib. *contra Hermogen.* cap. 19. Cap. 27.

semper

II. & III. SÆCULUM.

semper Hæretici aut nudas & simplices voces conjecturis, quo volunt, rapiunt, aut rursus conditionales & rationales, simplicitatis conditione dissolvunt. Hinc parum interest quod Hæretici Scripturas recipiant nec ne; & ut rectius loquamur, utrumque æque exitiosum est ac injuriosum Dei verbo, juxta pulcherrima hæc Tertulliani verba, alibi jam recitata: *Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus.*

Lib. 4. contra Marcion. c. 19. Lib. de Præscript. cap. 17.

Hæretici nullum jus habent in Sacras litteras. Ibid. c. 37.

III. Æquo igitur jure vetat Tertullianus Catholicis inire disputationem cum Hæreticis de sola Divinorum Librorum auctoritate, ut pluries animadvertere quisque potuit in articulo de Traditione. *Si enim*, egregie subjungit Doctor iste, *Hæretici sunt, Christiani esse non possunt.* „ Ita non Christiani, *Nullum jus habent Christianarum litterarum*, ad quos merito dicendum est: Qui estis? quando, & unde venistis? *Quid in meo agitis, non mei?* Quo denique, Marcion, jure sylvam meam cædis? *Qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis?* qua potestate, Apelles, limites meos commoves? mea est possessio: quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea est possessio, *Olim possideo*, prior possideo, *Habeo origines firmas* ab ipsis auctoribus, quorum fuit res: „ *Ego sum hæres Apostolorum.*

Hæretici non differunt ab Idololatris. Ibid. c. 40.

IV. Potest insuper idipsum confirmari ex eo, quod Hæresis nihil differt ab Idololatria: *Neque*, inquit Tertullianus, *ab Idololatria distare Hæreses*, (*quis dubitare debet.*) Idololatria quippe & Hæresis ab eodem auctore proficiscuntur, & eadem sunt utriusque opera. Sed Idolorum cultores nullum jus habent in Sacras litteras, nec earumdem auctoritate possunt suos errores confirmare; igitur nec Hæretici possunt jus illud sibi arrogare. Si nequeunt itaque Hæretici pugnare auctoritate Scripturarum, neque nos debemus cum iis disputationem inire in materia fidei ex sola Sacrorum librorum auctoritate, cum disputationes hujusmodi nihil prodesse possint, & victoria his in circumstantiis vel dubia sit, vel parum certa. Verus pugnandi modus contra eos est, præscriptionis argumenta, quæ supra attulimus, in eos intorquere. Hujusmodi armis certa obtinetur victoria, cum eorum ictus effugere vel infirmare nequeant.

Hæreses profana Philosophia subornantur. Lib. de Præscript. cap. 7.

V. Doctrina Hæreticorum est Doctrina hominum, & dæmoniorum, nata de ingenio sapientiæ sæcularis, quam Dominus stultitiam vocat: *Ipsæ denique hæreses a philosophia subornantur.* Inde Æones Valentini, qui Platonicus fuerat; inde Marcionis, qui a Stoicis venerat, Deus (imaginarius); Et ut anima interire dicatur, ab Epicureis observatur: Et ubi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est. Hinc illæ fabulæ, & genealogiæ interminabiles, & quæstiones infructuosæ, & sermones serpentes velut cancer, a quibus nos Apostolus refrenans, nominatim Philosophiam (*a*) contestatur caveri oportere. *Quid ergo Athenis*, inquit Tertullianus, *& Hierosolymis? Quid Academiæ & Ecclesiæ? Quid Hæreticis & Christianis? . . . . Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium.*

Characteres Hæreticorum. Lib. 5. contra Marcion. c. 19. Lib. de Præscript. cap. 41. Lib. de Resurrect. carnis. cap. 5. Lib. de Præscript. cap. 41.

VI. Solent Hæretici inanibus subtilitatibus, ac vanis Philosophiæ regulis suos errores tueri; & propterea damnari debent: *Hac sententia omnes Hæreses damnari, quod omnes ex subtilis eloquentiæ viribus, & Philosophiæ regulis constent . . . . Omnes tument, omnes scientiam pollicentur . . . . Ita nec rhetoricari quoque provocant Hæretici, sicut etiam philosophari.* „ In primis quis catechumenus, quis fidelis, (inter ipsos sit) incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam Ethnici si supervenerint (recipiuntur). *Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cujus penes nos curam, Lenocinium vocant.* Pacem quoque passim cum omnibus miscent, nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent . . . . . Ante sunt perfecti Catechumeni, quam edocti „.

Sequitur idem argumentum. Ibid.

VII. „ Ipsæ mulieres Hæreticæ, quam procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, Curationes repromittere, forsitan & tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leves, & inconstantes: nunc Neophitos conlocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros; *ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt* . . . . Itaque alius hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus: *Nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt*, (ex quo iterum probatur Orthodoxa Tertulliani fides quoad distinctionem Clericorum & Laicorum) De verbi autem administratione, prosequitur Tertullianus, quid dicam? *Cum hoc sit negotium illis, non Ethnicos convertendi, sed Nostros evertendi.* Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur. Nostra suffodiunt, ut sua ædificent. Adime illis Legem Moysis, & Prophetas, & Creatorem Deum; accusationem eloqui non habent. „ (Loquitur hoc loco Tertullianus de Cerdone, Marcione, & Apelle, qui impudenter conabantur hæc Christianæ Religionis fundamenta evertere) „ Ita fit, subjungit idem Doctor, ut ruinas facilius operentur stantium ædificiorum, quam extructionem jacentium ruinarum.

Sequitur idem argumentum. cap. 42.

VIII. „ Ad hæc solummodo Opera humiles, & blandi, & summissi agunt. Ceterum, nec suis Præsulibus reverentiam noverunt. Et hoc est quod schismata apud Hæreticos fere non sunt, quia cum sint, non parent: *Schisma est unitas ipsa.* Mentior si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit . . . . *Idem licuit Valentinianis, quod Valentino; idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare.* Denique penitus inspectæ Hæreses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur. Plerique (Hæretici) nec Ecclesias habent, sine matre, sine sede, orbi fide, extorres, sine lare vagantur. Notata sunt etiam commercia Hæreticorum cum Magis quam pluribus, cum Circulatoribus, cum Astrologis, cum Philosophis, curiositati scilicet deditis. Adeo & de genere conversationis qualitas fidei æstimari potest. Negant Deum timendum: itaque libera sunt illis omnia & soluta. Ubi autem Deus non timetur, nisi ubi non est? Ubi Deus non est, nec veritas ulla est „.

Cap. 43.

Hæretici confusionem patientur in extremo judicio. cap. 44.

IX. Hoc pacto depictis sui ævi Hæreticis eosdem provocat Tertullianus ad Christi tribunal, ut omnium operum rationem reddant, in primis autem ipsius fidei. „ Quid ergo dicent, inquit Sapientissimus iste Doctor, qui illam (fidem) stupraverint adulterio hæretico, *Virginem traditam* a Christo? Credo allegabunt, nihil unquam sibi ab illo, vel ab Apostolis ejus de feris & perversis doctrinis futuris prænuntiatum, & de cavendis abominandisque præceptum . . . . Adjicient præterea multa de auctoritate cujusque Doctoris hæretici; illos maxime doctrinæ suæ fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, uti merito Apostoli crederentur . . . . quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent, ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis „. Hæc sunt notabiliora quæ habet Tertullianus de Hæresi, ejusque Asseclis. Perpendat hæc omnia Lector nullo partium studio præventus, videatque, num quæ hic recitat Tertullianus, majori ex parte conveniant Novatoribus, eorumque Sectis.

CAPUT QUINTUM.

DE PERFECTIONIBUS DIVINIS ABSOLUTIS.

Existentia Dei omnibus nota. De Pœnitent. c. 5.

I. ANtequam audiamus Tertullianum disserentem de absolutis Divinitatis attributis, rectus rerum ordo postulat ut videamus prius quænam sit ejus Doctrina de veri Dei existentia, ac modo, quo illum nos cognoscimus. *Deum in aperto constituentes*, inquit ille, *vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem, ignorare non licet.* Siquidem a primordio rerum, conditor earum cum ipsis pariter compertus est, ipsis ad hoc prolatis, ut cognosceretur. Nec enim si aliquando posterior Moses, primus videtur in templo litterarum suarum Deum mundi dedicasse, idcirco a Pentateucho natales agnitionis supputabuntur; cum totus Mosis stylus notitiam Creatoris non instituat, sed a primordio enarret a Paradiso & Adam, non ab Ægypto & Mose recensendam. Denique major popularitas generis humani, ne nominis quidem Mosis compotes, nedum instrumenti, Deum Mosis tamen norunt; etiam tantam idololatria dominationem obumbrante, seorsum tamen illum quasi proprio nomine Deum perhibent, & Deum Deorum, &, si Deus dederit, &, quod Deo placeat, &, Deo commendo. „ Vide an noverint, prosequitur Tertullianus, quem omnia posse testantur; *Nec hoc illis Mosis libri debent. Ante enim anima, quam prophetia; anima enim a primordio conscientia Dei, dos est.* Eadem, nec alia, & in Ægyptiis, & in Syris, & in Ponticis. Judæorum enim Deum, dicunt animæ Deum. „ *Habet Deus testimonia totum hoc*

Lib. 1. contra Marcion. c. 10.

(*a*) Ad Colossens. cap. 2. vers. 8.

II.&III. SÆCULUM.

hoc quod sumus, & in quo sumus. Numquam Deus latebit, numquam Deus deerit: semper intelligetur, semper audietur: Etiam videbitur quomodo volet.

Non datur naturalis & invincibilis ignorantia de Deo.

II. Jure igitur & merito eruditus hic Auctor omnem rejicit de Deo ignorantiam, quæ naturalis asseratur ac excusatione digna; nec non docet, hanc plectendam esse etiam in ipsis Ethnicis: *Illius ergo est etiam ignorantes Deum plectere, quem non licet ignorari*. Majori autem perspicuitate idipsum docet in suo Apologetico his verbis: *Et hæc est summa delicti, nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt*. „Vultis ex operibus ipsius eum recognoscere? Vultis ex „animæ ipsius testimonio comprobemus, quæ licet „carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis „circumscripta, licet libidinibus ac concupiscentiis „evigorata, licet falsis Diis exancillata, cum tamen „resipiscit . . . . Deum nominat, hoc solo nomine, „quia proprio Dei veri: Deus Magnus, Deus bo„nus, &, quod Deus dedit, Deus videt, &, Deo „commendo, &, Deus mihi reddet. O *testimonium* „*animæ naturaliter christianæ*! Denique pronuntians „hæc, non ad Capitolium, sed ad Deum respicit: „*Novit sedem Dei vivi, ab illo & inde descendit*. Itaque non datur ignorantia invincibilis de vero Deo, prout docet Tertullianus; & posito etiam quod quis Deum ignoret, non ideo tamen excusabilis est.

Apologet. cap. 17.

III. Etsi Tertullianus firmiter adeo asserat, naturaliter Deum ignorari non posse, ac solam creaturarum considerationem sufficere, ut illius conscientiam adipiscamus; fatetur nihilominus, a vera doctrina solummodo, ac vera Religione obtineri id posse. Tradit hoc in primo libro adversus Marcionem, & apertius etiam in secundo his verbis: *Deum nos a Prophetis & a Christo, non a Philosophis & Epicuro erudimur*: quibus vocibus tacite arguit Marcionitas, qui omnes ferme suos errores circa Divinitatem, comprobant ex principiis Philosophiæ, & præcipue Epicuri, qui desidiosam Divinitatem finxerat, quem imitati deinceps sunt Marcionitæ.

Unde eruatur vera Dei cognitio. Lib. 2. contra Marcion. c. 16.

IV. Videamus modo quamnam ideam de Deo Christianorum tradat Ethnicis Tertullianus. „Quod coli„mus, inquit ille in suo Apologetico, Deus unus „est, qui universum creavit, & omnia quæ in eo „sunt . . . . Invisibilis est, etsi videatur: incompre„hensibilis, etsi per gratiam repræsentetur: inæstima„bilis, etsi humanis sensibus æstimetur. Ideo verus, „& tantus est. Cæterum, quod videri communiter, „quod comprehendi, quod æstimari potest, minus est „& oculis quibus occupatur, & manibus quibus con„taminatur, & sensibus quibus invenitur: *quod vero immensum est, soli sibi notum est. Hoc est quod Deum æstimari facit, dum æstimari non capit. Ita eum vis magnitudinis, & notum hominibus objicit, & ignotum*. Hæc verba pulcherrima quidem sunt, sed Tertulliani ingenio apprime digna.

De Deo idea. Apologet. cap. 17.

V. Nec solummodo Dei existentiam probat Tertullianus, sed aliquas insuper positivas ejusdem ideas nobis perhibet, veluti cum ait in suo Tractatu ad Nationes: *Deum existimo ubique notum, ubique præsentem, ubique dominantem, omnibus colendum, omnibus demerendum*. Unicus est, Spiritualis, & ab omni materia secretus, est bonus ac justus, est æternus, omnipotens, & voluntati ejus non est qui possit resistere. Est immensus & immutabilis, & solus qui sit perfectus, & nihil ei comparari potest. Hæc sunt præcipua divina attributa quæ tradit Tertullianus. Videamus modo ea, quæ de quolibet in particulari Auctor iste docet.

Lib. 2. ad Nation. Cap. 8.

VI. Itaque Dei Unitatem pro viribus tuetur Tertullianus tum contra Ethnicos, tum contra sui ævi Hæreticos, præcipue Marcionitas, qui duas Divinitates inter se diversas admittebant, sicuti pluries supra notavimus. Probat 1°. hanc veritatem contra Ethnicos, iisdem ostendens Deorum quos colebant naturam; eos siquidem homines appellat, sicuti cæteros, quorum comperta erant ortus, matrimonia, genealogiæ, opera, immo & sepulturæ locus: hæc omnia testatur præcipue de Saturno & Jove, quorum historiam narrat ex vetustioribus profanis Scriptoribus, & ex publicis monumentis, quæ apud Romanos servabantur. Hinc concluduit, oportere agnoscere verum Deum, quem Christiani colunt, & quem Romani ipsi seorsum fatebantur involuntariis illis vocibus, *si Deus dederit &c.* quas supra exscripsimus, & quæ sunt *Testimonium animæ naturaliter christianæ*.

Unitas Dei Ethnicis demonstrata. Apologet. cap. 11. & seq.

Ibid. c. 17.

VII. Profanas has Divinitates non admittebant Marcionitæ, sed duas agnoscebant ac tuebantur; hinc Tertullianus ut oppositum demonstret, ait, Christianis optime innotescere, quod *Deus, si non unus est, non est . . . . Deum autem ut scias unum esse debere, quære quod sit Deus, & non aliter invenies*. Ait insuper, omnium conscientiam agnoscere, Deum esse summum magnum, ideoque nihil illi adæquari posse; quia si aliquid ei adæquetur, jam non erit summum magnum. Hinc tali modo validissimo arguit. Deus est summum magnum: ut autem tale sit, nihil ei adæquari debet, hoc est, nullum aliud extare debet summum magnum; secus aliquid haberetur ei æquale, ideoque non esset summum magnum: *Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum . . . . Proinde Deus, cum summum magnum sit, recte veritas nostra pronuntiavit: Deus, si non unus est, non est*. Non quasi dubitemus, subjungit iste Doctor, esse Deum; sed quia quem confidimus esse, id eum definiamus esse: *Quod si non est (summum scilicet magnum) Deus non est*.

Eadem Veritas Marcionitis ostensa. Lib. 1. contra Marcion. c. 3.

VIII. Perperam autem quis objiceret, posse & duo summa magna consistere distincta atque disjuncta in suis finibus, non secus ac Regna terrarum tanta numero & tamen summa magna in suis quibusque regionibus consistunt. 1°. enim si huic argumentationi locus dabitur, quid prohibet, respondet Tertullianus, non dico & tertium & quartum Deum inducere, verum tot jam numero, quot & gentium Reges? 2°. de Deo agitur, cujus hoc proprium est, nullius exempli capere comparationem: deinde Rex est summum magnum in suo solio usque ad Deum, tamen infra Deum: comparatus autem ad Deum, excidet jam de summo magno translatio in Deum. 3°. Duo summa magna, duo paria, cui operæ pretio deputarentur, cui emolumento? quid interfuit numeri, cum duo paria non different uno? Una enim res est, quæ eadem in duobus est. Ecce enim, prosequitur Tertullianus, duos intuens Deos, tam pares quam duo summa magna, quid facerem si ambos colerem? Vererer ne abundantia officii, superstitio potius quam religio existimaretur; quia duos tam pares, & in altero ambos possem in uno demereri. Si vero unus ab altero differt, necessario sequitur, eorum unum non esse Deum: *Nega Deum, quem dicis deteriorem; nega summum magnum, quem credis minorem . . . . agnoscens divinitatem, negasti diversitatem*. Unus igitur vel alter eorum necessario debet esse verus Deus: nulla habetur diversitas in Divinitate. Hinc si Deus, quem Marcion bonum appellat, differt a Deo Creatore, dici non potest summum magnum; si autem Deus Marcionis est summum magnum, tale esse desinit Deus Creator. Hæc sunt quæ in sua responsione ad objectionem Marcionitarum habet Tertullianus. Scriptura utique, addit Pater iste, vocat Deus non solum Angelos, sed etiam homines: verum in diverso omnino sensu id intelligi debet ab eo, quo summum magnum vocat Deum, cum reipsa Deus sit ex natura sua. Ita ego, concludit Tertullianus, non nomini Dei, nec sono, nec notæ nominis hujus summum magnum in Creatore defendo; sed ipsi substantiæ, cui nomen hoc contingit: hanc enim solam invenies innatam, infectam, &c.

Objectio Marcionitarum. cap. 4.

Responsio Tertulliani. Ibid.

Cap. 5.

Cap. 6.

IX. Cæterum Tertullianus irridet hunc Marcionis Deum, nec credere potest, hanc Divinitatem per tot sæcula existere potuisse quin ulla vel magnitudinis suæ, vel bonitatis signa præberet, præcipue si verum erat, quemadmodum contendebat Marcion, Deum hunc præstitisse Deo creatori in utroque attributo. Ex hisce infert, illico rejiciendum esse ignotum hunc Deum, cum existentia Dei validissime ex eo comprobetur, quod ignotus extitit: Siquidem a primordio rerum, conditor earum, cum ipsis pariter compertus est; ipsis ad hoc prolatis, ut Deus cognosceretur. Solus igitur Creator est vere Deus: Jesus Christus ac Apostoli hunc solum annuntiaverunt, ut constat ex fide Ecclesiarum, quarum parentes ipsi fuerunt, quæ omnes Christianam Religionem in nomine solius Creatoris profitentur?

Cap. 8. & 9.

Cap. 10. & 11.

X. Verus Deus spiritualis est, & a materia secretus, quemadmodum ostendit Tertullianus in secundo libro ad Nationes, in quo refert, ac obiter refutat Ethnicorum Philosophorum opiniones quoad naturam Divinitatis. Ait utique Doctor iste in suo Tractatu adversus Praxeam, Deum esse corpus: *Quis enim*, sunt ejus verba, *negabit Deum corpus esse*? verum statim subdit: *Et si Deus Spiritus est*. Videndum igitur est, in quo sensu doceat Pater iste, Deum esse corpus: quod quidem eruitur ex immediate subsequentibus verbis, in quibus aperte declarat, Spiritum esse corpus sui generis: *Spiritus enim, corpus sui generis*. Sed & invisibilia illa quæcumque sunt, habent apud Deum & suum corpus & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt. Constat igitur, Tertullianum per ly *corpus* nihil aliud significare velle, quam id quod nos dicimus substantiam, vel aliquid reale, quod vacuo ac nihilo opponatur. Quin immo ex eodem Tertulliano hæc eadem eruuntur: 1°. ex scopo quem sibi proponit in illo Tractatu, in quo impugnat errorem Praxeæ negantis actualem Verbi existentiam, ac asserentis, Deum Patrem in Virginis utero descen-

Spiritualitas Dei adversus Praxeam. cap. 7.

disse,

II. XIII. SÆCULUM.

disse, ortum ac passum fuisse, cum Patrem idem cum Jesu Christo affirmaret. Ut errorem hunc igitur refutet Tertullianus, ostendere conatur, Verbum non esse quid imaginatium, sed esse quid reale positivum, cum & invisibilia, quæcumque sint, habeant apud Deum suum corpus & suam formam, sicuti supra diximus, per quæ soli Deo visibilia sunt: *Quanto magis* addit ipse, *quod ex ipsius substantia missum est, sine substantia non erit?* „ Quæcumque ergo substantia ser„ monis fuit, illam dico personam, & illi nomen fi„ lii vindico; & dum filium agnosco, secundum a „ Patre defendo. „ Itaque per ly *corpus* Tertullianus significare vult id quod nos substantiam, reale, positivum appellamus. 2°. Hanc esse hujus Patris mentem ex eo eruitur, quod definit substantiam in genere, corpus rei cujusque: *Cum ipsa substantia*, inquit in libro contra Hermogenem, *corpus sit rei cujusque:* & in libro de Anima cap. 7. apertissime ait, id quod non est corpus, esse nihil: *Nihil enim, si non corpus*; de ipsa anima autem loquitur. Cum autem sit, subjungit in Tractatu de Carne Christi, habeat necesse est aliquid, per quod est: *Si habet aliquid per quod est, hoc erit corpus ejus: Omne enim quod est, corpus est sui generis; nihil est incorporale, nisi quod non est.* (Cap. 11.) 3°. eruitur insuper, Tertullianum nunquam credidisse Deum vere corporeum in eo sensu quem communiter præseferunt ejus verba, eruitur, inquam, ex libro de Anima, in quo ait, omne quod est corporeum esse passibile. Quis autem credere unquam poterit, ut optime animadvertit S. Augustinus, Tertullianum credidisse naturam Dei passibilem, ac Jesum Christum eodem modo passionibus obnoxium prout Verbum erat, ac prout Homo? *Quod absit a corde christiano*, ait Sanctus Hypponensis Episcopus (*a*). Rationi igitur ac naturali æquitati consonum est benigne interpretari hæc Tertulliani verba, quæ obscura quidem sunt & asperiora si in grammaticali sensu sumantur; sed in vero ac proprio suo sensu accepta, verissima sunt, ac Catholicæ fidei apprime consentanea.

XI. Tandem impossibile erit credere, Tertullianum asseruisse Deum corporeum, si legantur quæ scribit idem Doctor in Tractatu adversus Marcionem, litteraliter scilicet non esse accipienda quæ in Sacris Scripturis legimus de manibus, oculis, ac pedibus Dei, (Lib. 2. contra Marcion. c. 16.) nec ideo humanis comparari debere, quia de appellatione sociantur: quia licet eadem fit, & eadem sonent ea vocabula, infinitum tamen habetur discrimen inter id quod dicitur corpus Dei, & corpus hominum. Quænam autem esse potest hæc differentia, nisi quod id quod dicitur corpus Dei, est impassibile; cum corpus hominis sit passibile? insuper quod id quod dicitur corpus Dei, nil aliud habet, quam ipsam realitatem suæ substantiæ; cum corpus hominis sit vere corpus, vere materia, vere longum sit, ut physici ajunt, latum, atque profundum. Tantum abest quod Tertullianus hujusce naturæ corpus Deo attribuat, ut sensus iræ & exasperationis, quales Scriptura de illo narrat, nequaquam credat eum pati sicuti homines pati solent. Idipsum asserit de Misericordia Dei, patientia, ac bonitate erga peccatores, aitque, Deum suo more hæc omnia pati, ac eo modo, quo eum pati condecet: *Quæ omnia patitur suo more, quo eum pati condecet.* Denique quæ docet Tertullianus de Divina Immensitate nequaquam sociari possunt cum idea veri ac materialis corporis; & quæ in hoc argumento ille affert, satis superque eum purgant a præfata suspicione. Verum de hoc satis.

XII. Quæ magis elucet Divina Perfectio, est Bonitas. (Bonitas Dei. Scorpiac. cap. 5.) Adeo essentialis est Deo, ut sufficiat eum dicere, ad hoc ut bonus necessario credatur: *Deum .... sufficit dici, ut necesse sit bonum credi .... Aut Deum negare debebis*, ait Tertullianus, *quem malum existimaris, aut bonum dicere, quem Deum pronuntiaris ... quia, nisi bonus*, subdit inferius, *non erit Deus.* Refutat hoc loco Marcionitas, qui Bonitatem Deo Creatori negabant, ut eam tribuerent otioso Deo, quem ipsi (Lib. 2. contra Marcion. c. 6.) co finxerant: *Bonus naturæ solus Deus*: hinc sine initio Deus solus: Homo autem, qui totus ex institutione est, habens initium, cum initio sortitus est formam qua esset: atque ita non natura in bonum dispositus est, sed institutione. Dei Bonitas perpetua insuper est a primordio in mundi hujusce creatione: Dei Bonitate tempus incepit, ac luminaria condita sunt, quæ varia intervalla distinguerent. Hinc Deus (Ibid. c. 4.) adhibuit operi bono (creationi totius mundi) optimum etiam ministrum, sermonem suum: & quia nemo erat dignus incolere Dei opera, quam ipsius imago & similitudo; eam quoque Bonitas operata est, non imperiali verbo, sed familiari manu: Bonitas finxit hominem de limo: Bonitas inflavit animam: Bonitas præfecit universis fruendis atque regnandis, & transtulit in Paradisum, jam tunc de mundo in Ecclesiam: eadem Bonitas & adjutorium prospexit; non est enim, inquit, bonum, solum esse hominem: *Sciebat illi*, inquit hoc loco Tertullianus, *sexum Mariæ, & deinceps Ecclesiæ profuturum.* Sed & legem Bonitas erogavit, consulens homini, quo Deo adhæreret, ne æquaretur cæteris animalibus solutis a Deo. *Agnosce igitur*, concludit Pater iste, *Bonitatem Dei nostri.* (Cap. 5.) Alia afferri possent hujus Doctoris loca, quæ Divinam hanc perfectionem respiciunt: sed quæ attuli modo sufficere possunt in confirmationem hujusce veritatis, quæ certa ac evidens est. Solum animadvertam hic cum Tertulliano, Marcionem, qui Dei Bonitatem inficiabatur, abstulisse ab Evangelio ea Jesu Christi verba, quæ oppositum ostendunt, eum de Patre suo ait: pluit super justos & injustos (*b*). Verum, etsi hoc quoque testimonium Christi in Creatorem Marcion de Evangelio eradere ausus sit; *sed ipse Mundus*, inquit Tertullianus, *inscriptus est, & omni a conscientia legitur. Et erit hæc ipsa patientia Creatoris*, (quæ expectat pœnitentiam potius peccatoris, quam mortem) *in judicium Marcionis.* (Cap. 17.)

XIII. Æque ac Dei Bonitatem, ejusdem Justitiam tuetur Tertullianus. (Justitia Divina. Lib. de testim. animæ. c. 2.) „ Sunt, inquit ille in suo Tra„ ctatu de Testimonio Animæ, qui etsi Deum non „ negant, dispectorem plane & arbitrum & judicem „ non putent, si Deum honorantes, dum curis ob„ servationis, & molestiis animadversionis absolvunt, „ cui ne iram quidem adscribunt: nam si Deus (in„ quiunt) irascitur, corruptibilis & passionalis est: „ porro quod patitur, quodque corrumpitur, etiam „ interitum potest capere, quem Deus non capit. At „ iidem alibi animam divinam, & a Deo conlatam „ confitentes, cadunt in testimonium ipsius animæ re„ torquendum adversus opinionem superiorem. Si „ enim anima aut divina, aut a Deo data est, sine „ dubio datorem suum novit. Et si novit, utique & „ timet, & tantum postremo adauctorem. An non „ timet quem magis propitium velit, quam iratum? „ Unde igitur naturalis timor animæ in Deum, si „ Deus non vult irasci? Quomodo timetur qui nescit „ offendi? Quid timetur nisi ira? Unde ira, nisi ex „ animadversione? Unde animadversio, nisi de judi„ cio? Unde judicium, nisi de potestate? Cujus po„ testas summa, nisi Dei solius? Hinc ergo tibi, „ Anima, de conscientia suppetit, domi ac foris, „ nullo irridente vel prohibente prædicare, Deus vi„ det omnia, & Deo commendo, & Deus reddet, „ & Deus inter nos judicabit. Unde tibi hoc non „ Christiana, atque adeo plerumque & vitta Cereris „ redimita, & pallio Saturni coccinata, Isidis linteata .... & neminem de præsentibus diis contesta„ ris? In tuo foro aliunde Judicem appellas: in tuis „ templis alium Deum pateris. „ Hoc pacto Tertullianus Dei justitiam ex testimonio Animæ probat, & ex conscientia veræ hujus Divinitatis, quæ omnibus hominibus communis est.

XIV. Præterea in suo Tractatu contra Marcionem hoc idem attributum probat sapientissimus Doctor, (Ordo Justitiam inter & Misericordiã Dei. Lib. 2. cõtra Marcion. c. 11.) ostenditque Marcioni, Bonitatem ac Justitiam inseparabiliter in Deo haberi, non autem in duabus diversis Divinitatibus, quemadmodum Hæresiarcha ille falso contendebat. *A primordio denique*, inquit Tertullianus, *Creator tam bonus, quam justus; pariter & utrumque processit. Bonitas ejus operata est mundum; justitia modulata est*, sive potius *moderata est*. Justitiæ opus est, quod inter lucem & tenebras separatio pronuntiata est, inter diem & noctem, inter cœlum & terram, inter aquam superiorem & inferiorem, inter maris cœtum & aridæ molem &c. Omnia ut Bonitas concepit, ita Justitia distinxit: *Totum hoc judicato dispositum & ordinatum est.*

XV. Ex his eruitur, Tertullianum credidisse, duo hæc attributa æque essentialia esse Deo; & quoad Justitiam in particulari aperte docet, attributum hoc Deo naturale esse, nec tum solummodo Deum Judicem esse definiendum, quando malum cepit. Omnis situs, inquit Pater iste, habitus elementorum, effectus, motus, status, ortus, occasus singulorum, judicia sunt Creatoris: *Ne putes*, subdit idem Pater, *eum exinde Judicem definiendum, quo malum cepit, atque ita justitiam de caussa mali offusces.* (Justitia æque Deo essentialis ac Bonitas. Ibid. c. 12. Cap. 11.) Igitur quando Tertullianus paulo superius ait: Deus a primordio tantum bonus, exinde judex, & severus: id intelligi debet de justitia vindicativa, quoad effectum solummodo, cum reipsa effectus iste subsecutus sit peccatum; non autem de justitia in seipsa considerata, & prout est perfe-

(*a*) Lib. 10. de Genesi ad litteram cap. ult.

(*b*) Matth. cap. 5. v. 45.

II. & III. SAECULUM.

perfectio, cum, uti talis, semper in Deo extiterit, & illi, æque ac Bonitas, essentialis fuerit. Videtur utique oppositum docere idem Auctor cum ait; *illa* (Bonitas) *ingenita*; *hæc* (Justicia) *accidens*; illa propria, hæc accommodata: hoc autem nullum facessit negotium, modo inhæreamus distinctioni nunc explicatæ, quam tradere videtur & ipse Tertullianus sive in allata ejus Doctrina, sive cum ait posteriorem esse justitiam seu severitatem, ratione suæ causæ, hoc est peccati. Dici autem nequit, juxta ejusdem Patris doctrinam, justitiam Dei cœpisse post peccatum hominis; & injuria eidem justitiæ irrogaretur, si ejus initium a peccato hominis repeteretur, sicuti supra vidimus: sermo igitur est hoc loco solum de effectibus justitiæ vindicativæ, qui effectus posteriores sunt Divinæ Bonitati; cum ea æterna sit; isti vero in tempore cœperint. Cæterum, si difficultatem aliquam præseferunt hæ Tertulliani phrases, addi potest, verisimile esse, hæc omnia conscripta fuisse ab eodem in persona eorum, qui errorem sequebantur, qui in illis verbis deprehendi videtur, ac esse veluti objectionem, quam sibimetipsi proponit, quamque in sequentibus resolvit, sicuti superius diximus. Facillime id comprobari posset, si attento animo textus ille cum toto contextu perlegeretur: est enim contra rectam rationem credere Tertullianum sibimetipsi tam manifeste oppositum eodem in capite, eodemque in loco.

Deus non est injustus dum tolerat aut permittit bonos persecutionem pati. De fuga cap. 2.

XVI. Perperam autem quis objiceret Tertulliano, contra veritatem divinæ Justitiæ, Deum tolerare persecutiones infidelium, ac bonorum tormenta & supplicia; aperte enim Pater iste initio sui Tractatus de fuga in persecutione docet, Deum permittere hujusmodi infortunia ad bonum & utilitatem Ecclesiæ suæ: ex alia autem parte, Deus permittens hæc mala, non est auctor peccati eorum qui operantur delictum; quod autem ad gloriam Dei pertinet, ut sunt tormenta eorum qui patiuntur, utique ex voluntate illius evenit, ac illorum auctor est. Veritatem hanc prolixius probat in suo Tractatu adversus Marcionem, in quo loquens semper de justitia divina ait; Deus idem percutiens, sed & sanans; mortificans, sed & vivificans; humilians, sed & sublimans; condens mala, sed & pacem faciens, juxta Scripturæ phrasim. Hinc malorum peccati & culpæ auctor non est Deus, cum peccatum ac culpam horreat; auctor vero est malorum supplicii & pœnæ; quæ quidem illis mala sunt, quibus rependuntur; cæterum, suo nomine bona, qua justa, & bonorum defensoria, & delictorum inimica, atque in hoc ordine, Deo digna. Duo ergo malorum genera juxta Tertullianum distinguenda sunt, *mala culpa*, & *mala pœna*: istorum auctor est Deus quia justus; illorum autem dæmon quia malus.

Deus auctor pœnæ, & culpæ in peccato. Lib. 2. contra Marcion. c. 13. & 14.

Cur Deus vindictam sumpserit de peccatis patrum in filiis. Ibid. c. 15.

Exigebat utique Deus patrum delicta ex filiis; verum, ut optime observat Tertullianus, duritia populi talia remedia compulerat, ut vel prosperitatibus suis prospicientes legi divinæ obedirent. Sed & si benedictio patrum, semini quoque eorum destinabatur, sine ullo adhuc merito ejus; cur non & reatus patrum in filios quoqua redundaret. Nihilominus ordo iste divinæ justitiæ non semper servari debebat, sed determinatum tempus respiciebat: Quamquam si Evangelium veritatis accipias, ad quos pertineat sententia reddentis in filios patrum delicta cognosces; ad illos scilicet, qui hanc ultro sibi sententiam fuerant irrogaturi, Sanguis illius super capita nostra, & filiorum nostrorum. Hoc itaque omnis Providentia Dei censuit, quod jam audierat.

Æternitas Dei. Lib. 1. contra Marcion. c. 8.

XVII. Æternitatem Dei pluribus in locis suorum Operum probat Tertullianus. Hinc in suo Tractatu adversus Marcionem, viva & germana Divinitas, inquit, nec de novitate, & de vetustate censetur: *Non habet tempus æternitas .... caret ætate, quod non licet nasci.* „ Deus si est vetus, subjungit, non erit: si est „ novus, non fuit. Novitas initium testificatur, vetu„ stas finem comminatur: *Deus autem tam alienus ab „ initio & fine est, quam a tempore.* Igitur Deus est æternus: Hæc autem prærogativa soli Deo tribuitur a Tertulliano, ut manifeste ostendit in suo libro contra Hermogenem, qui asserebat, materiam esse Deo coæternam. Si hoc verum esset, inquit ille, Deus non posset de materia disponere tamquam Dominus, quia illa extabat independenter ab illo: immo eidem æqualis esset, sine initio scilicet ac sine fine: hinc Deus non esset ens supremum, cum attributum hoc pluribus convenire non possit. Præterea superior inveniretur materia, quæ illi copiam operandi subministravit? & Deus subjectus materiæ videretur, cujus substantia eguit: grande reveta beneficium Deo contulisset, ut haberet hodie per quem Deus cognosceretur, & omnipotens vocaretur. Deus igitur non fuisset Dominus materiæ, quæ fuisset substantia coexistens eidem. Ex his omnibus, aliisque hujusce generis momentis, quæ satis prolixe Tertullianus profert in suo Tractatu contra Hermogenem, concludit, solum Deum æternum esse, nec alicui substantiæ, præter Deum, tribui posse æternitatem, quia Divinitas vero Deo auferatur.

Lib. contra Hermog. c. 4.

Cap. 8.

Cap. 9.

Deus ex nihilo omnia creavit. c. 19. & seq.

XVIII. Materiæ æternitatem egregie impugnat Tertullianus docens, Deum omnia ex nihilo condidisse. Contendebat Hermogenes, per vocem *in principio*, & terra erat *informis*, Scripturam significare velle aliquam solidam ac firmam substantiam, nec non æternam, qua usus sit Deus in creatione Universi: reponit vero Tertullianus 1o. per ly *in principio* tria significari; vel esse verba inceptionis, non alicujus substantiæ; vel pro principatu & potestate sumi, Deus enim in principatu & potestate fecit cœlum & terram; vel de Sophia intelligi debere, quia in sapientia cogitando ac disponendo jam fecerat, quæ ex materia facturus erat. 2o. terram dici informem ait, quia incomposita erat, & nulla figura donabatur. 3o. addit, optime probari Creaturas omnes e nihilo eductas fuisse, probari inquam ex Prophetis dicentibus, omnia in nihilum redigi debere. Fusius tria hæc argumenta pertractat in subsequentibus capitibus sui Tractatus contra Hermogenem, ad quem Lectorem hæc videre optantem remittimus.

Omnipotentia Divina. Contra Praxeam. cap. 10.

XIX. Deus adeo potens est, ut omnia quæ vult statim eveniant: *Dei enim posse velle est, & non posse, nolle.* Nemo impedire potest effectum omnipotentis voluntatis Dei; & quando nos dicimus in Oratione: fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra, intelligi non debet in eo sensu, quod aliquis obsistat voluntati Dei, quominus fiat; *Non quod aliquis obsistat, quominus voluntas Dei fiat, & ei successum voluntatis sua oremus*; sed in omnibus petimus fieri voluntatem ejus, ut nos ambulare faciat in via mandatorum suorum, & perducat nos ad regnum cœlorum; *Qua ut implere possimus, opus est Dei voluntate.* Non solum autem nihil est Deo impossibile, verum *plane nihil Deo difficile.* Si aliqua sunt Deo impossibilia, hæc sunt vel mala in se, ut peccatum, mendacium, approbare malum, damnare bonum, &c. vel supremæ ejus majestatis indigna, ut imbecillitas, ignorantia, dubium, &c. *Omnia hac*, inquit Tertullianus, *Deo indigna, maxime optimo.* Igitur peccatum solummodo ac imperfectio Deo impossibilia sunt.

Tractatus de Oratione. cap. 3.

Contra Praxeam. cap. 10.

De Carne Christi. cap. 11.

Contra Praxeam. cap. 11.

Lib. 1. contra Marcion. c. 18.

XX. Deus est immensus: *Scimus Deum . . . ubique consistere, sed vi & potestate.* Deus omnia inspicit, ea etiam quæ secretiora videntur, ut sunt cogitationes & animæ cæteræ operationes: *Deus in omnia sufficit; Nihil a conspectu ejus remotum.* Immutabilis est, & mutationis est incapax. Insuper *Deus neque desinit, neque aliud esse potest*: nulli vicissitudini aut alterationi obnoxius est. Tandem *solus Deus perfectus . . . solus Deus de incorruptibilitatis proprietate felix. Nihil Deo par est. Natura ejus ab omnium rerum conditione distat.* Hæc habet Tertullianus, differens de divinis perfectionibus absolutis.

Immensitas Divina. Contra Praxeam. cap. 23.

De Pœnitentia. cap. 3.

Immutabilitas Dei. contra Praxeam. cap. 27.

De Carne Christi. cap. 3.

Suprema Dei perfectio. Lib. 1. contra Marcion. c. 16.

De Carne Christi. cap. 3.

CAPUT SEXTUM.

DE TRINITATE DIVINARUM PERSONARUM, ET EARUM CONSUBSTANTIALITATE.

I. PErspicue adeo ac exacte loquitur Tertullianus de Trinitate Divinarum personarum, & earum Consubstantialitate, ut nihil amplius desiderari queat: distinguit quippe clarissime, æque ac nostri ævi Theologi ac Doctores, tres Divinas Personas, & de qualibet earum prædicat actualem existentiam in unitate unius ejusdemque substantiæ, & unius ejusdemque naturæ: ex quibus sane constituitur Catholica Ecclesiæ Doctrina circa hoc Mysterium. Loquitur primo loco Tertullianus de tribus Divinis Personis in suo Tractatu adversus Hermogenem, ibique de Creatione disserens, Scripturarum phrasibus utitur scribens: Sermone ejus cœli confirmati sunt, & spiritu ipsius universæ virtutes eorum. *Hic est*, statim subdit, *Dei dextera, & manus amba per quas operatus est, ea qua molitus est.* Tres Divinæ Personæ hisce verbis optime connotantur; & Divina Sapientia, ac Spiritus Sanctus perhibentur veluti ambæ manus, quarum ministerio Deus condidit universa.

Trinitas Divinarũ Personarũ. contra Hermogen. cap. 45.

II. Tertullianus, exposita Ecclesiæ fide in suo Tractatu adversus Praxeam, de Spiritu Sancto in particulari verba faciens, eum appellat *Sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.* Quia vero Hæretici studebant Monarchiæ nomen extollere, ut rudioribus imponerent suaderentque, Unitatem Dei se unice tueri; hinc Pater iste ostendit, Personarum Trinitatem præjudicium nullum inferre unitati naturæ; & imperium idem semper

Sequitur idem argumentũ. adversus Praxeam, cap. 2.

II. & III. Saeculum.

permanente, in tribus Divinis Personis. *Quasi*, inquit hoc loco Tertullianus, *non sic quoque unus omnia, per substantiae scilicet unitatem; & nihilominus custodiatur oeconomiae sacramentum, quae Unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.*

Unitas Naturae in tribus Divinis Personis. Ibid.

III. Igitur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres Personae distinctae; verum, haec non est distinctio naturae, quae eadem est in tribus Personis, sed est solummodo distinctio numeri, ordinum, & personarum: *Tres autem non statu, sed gradu, nec substantia sed forma; nec potestate, sed specie:* quippe tres Personae unam eamdemque habent substantiam, unam eamdemque naturam, unam eamdemque potestatem: *Unius autem substantiae, & unius status, & unius potestatis.* Itaque Catholici unum solum Deum agnoscunt, licet tres Divinas Personas admittunt; ideoque argui non possunt quod destruant unitatem, sive Monarchiam Dei. Criminatio haec Valentinianos respicere posset, ac Marcionitas, qui Divinitates a Deo Creatore diversas admittebant. *Caeterum, qui Filium non aliunde deduco,* ait eruditus iste Auctor, *sed de substantia Patris, nihil facientem sine Patris voluntate, omnem a Patre consecutum potestatem, quomodo possum de fide destruere Monarchiam, quam a Patre Filio traditam, in Filio servo? Hoc mihi & in tertium gradum dictum sit, quia Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium.* Ex his igitur eruitur 1°. Consubstantialitas perfecta trium Divinarum Personarum. 2°. Veteres habuisse Patrem veluti principium Divinitatis Filii & Spiritus Sancti. 3°. Spiritum Sanctum esse tertiam Personam, quae a Patre Filioque procedit. Alio loco videbimus quidnam sentiret Tertullianus de hac Spiritus Sancti processione, & num hac in re Graecorum errorem sapiat.

Sequitur idem argumentum. Ibid.

Cap. 4.

Existentia actualis trium Personarum. cap. 8.

Earum inseparabilitas. c. 9.

IV. *Profiteor*, prosequitur Tertullianus de Patre & Filio verba faciens, *me duos dicere, Deum & sermonem ejus, Patrem & Filium ejus . . . Tertius est Spiritus a Deo & Filio . . . Tertius ubi est, tres sunt . . . Hanc me regulam professum, qua inseparatos ab alterutro Patrem & Filium & Spiritum testor, tene ubique.* „Ecce enim dico alium esse Patrem, & alium Filium, & alium Spiritum . . . „ *Necessitate autem hoc dico . . . non tamen diversitate . . . sed distributione; nec divisione alium, sed distinctione.* „Alius enim est qui generat, alius qui generatur, alius qui mittit, alius qui mittitur; alius qui facit, alius per quem fit. Bene quod & Dominus usus hoc verbo in persona Paracleti: „ *Non divisionem significavit, sed dispositionem . . . Sic alium a se Paracletum, quomodo & nos (dicimus) a Patre alium Filium, ut tertium gradum ostenderet in Paracleto, sicut nos secundum in Filio.* Hisce verbis actualis existentia cujusque Personae Sanctissimae Trinitatis, earumque inseparabilitas perspicue designantur.

Existentia actualis trium Personarum. cap. 12.

V. „Si te adhuc numerus scandalizat Trinitatis, (Verba sunt Tertulliani ad Praxeam,) quasi non connexae in unitate simplici; interrogo, quomodo unicus & singularis (in sensu quo tu loqueris) pluraliter loquatur: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram? Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis? fallit aut ludit, ut cum unus & solus & singularis esset (ut tu dicis) numerose loqueretur. Aut numquid Angelis loquebatur, ut Judaei interpretantur, quia nec ipsi Filium agnoscunt? . . . Cum Filio quidem, qui erat induturus hominem, Spiritu vero, qui erat sanctificaturus hominem, loquebatur. Caeterum, etsi ubique teneo unam substantiam in tribus cohaerentibus, tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus eum qui jubet, & eum qui facit: nam nec juberet, si ipse faceret, dum juberet fieri per eum.„ Haec est argumentatio Tertulliani, quae Scripturarum oraculis supra allatis innititur. Primus autem non est Pater iste, qui in eo sensu interpretetur haec testimonia, cum ex veteribus nemo secus eadem sit interpretatus: hinc haud immerito credimus, interpretationem hanc ab Apostolica Traditione descendere.

Unus Deus in tribus Personis. cap. 13.

VI. Si alius Deus dixit, & alius Deus fecit, ergo, inquiebat Praxeas, duo Dii praedicantur: Tertullianus vero reponit, se hanc illationem nequaquam admittere: *Duos Deos*, inquit, *& duos Dominos nunquam ex ore nostro proferimus. Non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & Deus unusquisque;* sed quia Filius non dicitur Deus, nisi ex unione cum Patre: & paucis interjectis habet. „Itaque Deos omnino non dicam, nec Dominos; sed Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater & Filius, Deum Patrem appellem, & Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus.„ Ex his deprehendimus, ideo veteres subobscure locutos fuisse de Divinitate trium Divinarum Personarum, ne scandalo essent Ethnicis, qui poterant inde inferre, tres Deos distinctos praedicari. Eadem moderatione, ut videtur, usi sunt Apostoli, qui ut plurimum solum Patrem, Deum appellant, & Filium vocant, Dominum nostrum Jesum Christum, praecipue quando de utroque simul loqui debent, quemadmodum acute observat Tertullianus.

Cap. 20. 21.

VII. Cum objiceret Praxeas haec Scripturae verba: Ego sum Deus, & alius praeter me non est: Ego, & Pater unum sumus: & insuper: Qui me viderit, videt & Patrem . . . Ego in Patre, & Pater in me, respondet Tertullianus, pauciora esse haec quae opponuntur; nec posse infirmare ea omnia quae catholicam Doctrinam confirmant. Caeterum, notat Tertullianus, non dicit *sum*, *sed sumus*; nec masculino verbo utitur Christus, sed neutrali, ut unam eamdemque rem designet, non unam eamdemque personam: *Unum dicit neutrali verbo, quod non pertinet ad singularitatem, sed ad unitatem, &c. unum sumus, dicens, Ego & Pater, ostendit duos esse, quos aequat & jungit.* Quod quidem non solum de Patre & Filio intelligi debet, verum etiam de Spiritu Sancto: *Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto, tres efficit cohaerentes, alterum ex altero; qui tres unum sunt, non unus; quemadmodum dictum est, Ego & Pater unum sumus, ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem.* Hinc Jesus Christus mandat Discipulis suis, ut tingant in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non in unum; nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingimur. Observandum hic obiter est, Tertullianum exponere caeremonias, quae suo aevo in collatione Baptismi servabantur, ut ostendat fidem Ecclesiae circa Sanctissimae Trinitatis mysterium.

Cap. 25.

Cap. 25.

Cap. 26.

VIII. Postremo ne nihil eorum omittamus, quae de hoc Mysterio docet Tertullianus, afferemus insuper id quod scribit in suo Tractatu adversus Praxeam prope finem, ibi enim Judaicam vocat eam doctrinam, quae unum solum Deum docet, omisso Filio ac Spiritu Sancto: *Caeterum Judaicae fidei ista res, sic unum Deum credere, ut Filium adnumerare ei nolis, & post Filium, Spiritum.* Ait insuper, hanc nos inter & Judaeos intercedere differentiam, quod nos unum Deum admittimus (quod praestant & Judaei;) verum nos eumdem fatemur in tribus personis distinctum: *Quia enim*, inquit ille, *erit inter nos & illos, nisi differentia ista? Quod opus Evangelii . . . si non exinde Pater & Filius & Spiritus tres crediti unum Deum sistunt?* „Sic Deus voluit novare sacramentum, ut nove unus crederetur per Filium & Spiritum, ut coram jam Deus in suis propriis nominibus & personis cognosceretur, qui & retro per Filium & Spiritum praedicatus non intelligebatur.„ Haec est itaque Tertulliani Doctrina in compendium redacta de Mysterio Sanctissimae Trinitatis. Deus unus est in tribus Personis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Pater est veluti principium Divinitatis Filii & Spiritus; sed Filius & Spiritus eamdem habent naturam ac Pater, eamdemque potestatem. Tres istae Personae inseparabiles sunt, & intime inter se uniuntur; & si quandoque dicitur, Patrem alium esse a Filio, hoc designat distinctionem, quae inter utramque personam habetur, non autem divisionem. Vetitum est dicere tres Deos, tres Dominos, cum tres istae Personae sint unus Deus: *Tres crediti, unum Deum sistunt.* Uno verbo, in Trinitate habetur & distinctio Personarum, & Unitas Naturae. Quidnam his addi possit non video, nisi expressis verbis dicatur Consubstantialitas Trinitatis.

Cap. 30.

CAPUT SEPTIMUM.

DE QUALIBET PERSONA DIVINA IN PARTICULARI.

I. Aperuimus superius Tertulliani mentem circa Sanctissimae Trinitatis mysterium: videamus modo quid sentiat idem Pater de qualibet Persona Divina in particulari. Ut autem a Patre incipiamus, qui est prima Trinitatis persona, Tertullianus eum considerat veluti principium Divinitatis Filii & Spiritus Sancti; ait enim, eum esse totam substantiam divinam: *Pater enim tota substantia est*: Filium vero appellat derivationem Patris; hinc Filius fatetur, Patrem majorem esse: *Filius vero derivatio totius & portio, sicut ipse profitetur: quia Pater major me est.* „Sic, prosequitur Tertullianus, & Pater alius a Filio, dum Filio major; dum alius qui generat, alius qui generatur, dum alius qui mittit, alius qui mittitur„. Nullo negotio hic deprehenditur, in quo sensu dici possit, Patrem majorem esse Filio, cum ambo sint unius ejusdemque naturae. Pater est major Filio, quia est principium

Pater est principium Divinitatis. contra Praxeam. cap. 9.

II. & III. SAECULUM.

cipium Divinitatis ejusdem Filii; & unus altero major est, quia alius est qui generat, & alius qui generatur. In hoc igitur solummodo consistit subordinatio Filii ad Patrem; in hoc solummodo Pater præstat Filio suo. Sicuti vero hæc omnia afficiunt personam tantum eum natura eadem sit in Patre & Filio, quemadmodum & ipse Tertullianus persæpe repetit; hinc necessario fluit, hanc Patris præeminentiam esse præeminentiam ordinis, numeri sive personæ, non autem potestatis, substantiæ sive naturæ: Quæ quidem omnia intelligi debent æque de Spiritu Sancto, ut in capite superiori vidimus.

Pater invisibilis in propria persona, sed visibilis in persona Filii. Lib. 2. contra Marcion. c. 27.

II. Secundo Tertullianus appellat Patrem, invisibilem. Docet id 1°. in suo Tractatu adversus Marcionem; ibi enim positive ait ex auctoritate utriusque Testamenti, neminem unquam vidisse Patrem, & Patrem in propria persona a nemine videri posse, eumque Patriarchis minime apparuisse, nec eum iisdem locutum fuisse: sed Filium semper egisse in Dei Patris nomine; ita ut dici possit, homines vidisse ac audivisse Patrem in persona Filii. „ Nam & profitemur, inquit Tertullianus, Christum semper egisse in Dei „ Patris nomine; ipsum ab initio conversatum; ipsum „ congressum cum Patriarchis & Prophetis .... Ille „ est qui descendit; ille qui interrogat ..... Cæterum Patrem nemini visum, etiam commune testabi„ tur Evangelium, dicente Christo, Nemo cognovit „ Patrem, nisi Filius; ipse enim & in veteri Testa„ mento pronuntiarat. Deum nemo videbit & vivet „, *Patrem in invisibilem determinans*. 2°. Idipsum docet Tertullianus in Tractatu adversus Praxeam, in quo

Contra Praxeam. cap. 24.

pluribus Evangelii oraculis, aperte ostendit, Patrem invisibilem esse, & homines non vidisse Patrem nisi in solo Filio, qui est veluti Vicarius Patris; *Vicarium Patris; per quem Pater & videretur in factis, & audiretur in verbis; quia invisibilis Pater*. Doctrina hæc conciliari debet cum Divinitate, & Consubstantialitate Verbi: Vide quæ hac super re diximus, quando Doctrinam S. Justini de Patre invisibili, & Filio visibili exposuimus. Hæc Verbi visibilitas non afficit Divinam ejus naturam, cum Verbum sit Patri Consubstantiale, sicuti non uno in loco docet Tertullianus: hinc Verbum non potuit visibile reddi, nisi sub aliqua sensibili forma, qua indutus sit ut voluntatem Patris manifestaret hominibus. Hæc est vera Tertulliani sententia, qui eo usque progressus est, ut assereret, Filium ante Incarnationem in vera carne apparuisse, quemadmodum ex dicendis inferius constabit. Cæterum animadvertamus hic, Tertullianum appellare Verbum, Vicarium Patris; quod sane & de Spiritu Sancto videtur asserere, dum ait, utrumque (Filium & Spiritum Sanctum) esse manus ambas, per quas Pater operatus est ea quæ molitus est. De Filii visibilitate alias fusius disseremus.

Qualitates personales Filii Dei. contra Praxeam. cap. 6. Cap. 5.

III. De Verbo, hoc est de secunda Trinitatis persona hæc scribit Tertullianus: *Dei .... Filius, sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil*. Deus solus erat, addit Tertullianus, ante mundi creationem, cum nihil præter illum extrinsecus extaret: *Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum, ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Hanc Græci λόγος* „ dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus: „ ideoque jam in usu est nostrorum, per simplicitatem „ interpretationis, Sermonem dicere in primordio apud „ Deum fuisse; cum magis rationem competat anti„ quiorem haberi; quia non sermonalis a principio, „ *sed rationalis Deus etiam ante principium*.

IV. Tertullianus id unice significare vult hoc loco, aptius adhiberi vocem *Verbum* ad designandam prolationem Filii ab extra, cum ante hanc prolationem Filius appellari debeat *Ratio*, cum Ratio sit ante Verbum: fatetur nihilominus, discrimen inter has voces non haberi: *Tamen & sic*, inquit, *nihil interest*. Dein-

Cap. 5.

ceps ut aliquam hujus Rationis, quæ ab æterno in Deo erat, ideam præbeat, exemplum sumit a ratione quæ residet in homine; cum enim homo tacitus secum ipse congreditur, occurrit ratio cum sermone ad omnem cogitatus motum, ut postea quidquid cogitaverit prodat verbo: *Nam etsi Deus*, ait Doctor iste, *nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa & in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando, & disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus*. Licet metaphysica sit hæc Tertulliani doctrina; tamen orthodoxa omnino est, cum de sola denominatione Filii Dei ibi sit sermo, non de aliquo ei intrinseco, cum in eodem semper fuerit idem absque ulla mutatione. Si igitur appellatur Ratio ab omni æternitate, si appellatur Verbum ratione suæ prolationis ab extra, id nequaquam impedit realem ejus subsistentiam in Deo Patre, & cum Deo, quemadmodum Tertullianus ipse modo docuit. Itaque phrases hujusmodi substantiam rerum minime attingunt, immo indifferentes sunt, juxta animadversionem ejusdem Doctoris.

Sequitur idem argumentum. cap. 6.

V. Filius Dei etiam in Sophiæ nomine ostenditur: „ Quid enim, subjungit Tertullianus, sapientius ra„ tione Dei, sive sermone „ ? Loquitur deinde de hac prolatione ab extra, quam nonnullis Scripturarum oraculis confirmat, ac hisce verbis prosequitur: *Quæcunque ergo substantia sermonis fuit, illam dico personam, & illi Filii nomen vindico: & dum Filium agnosco, secundum a Patre defendo .... Protulit Deus sermonem*, loquitur semper Tertullianus, *sicut radix fruticem, & fons fluvium, & sol radium*. Nullum negotium facescere debet quod Tertullianus paulo superius appellet Sapientiam Dei, *secundam personam conditam*; cum compertum omnibus sit, Tertullianum latinas has voces, *conditum & generatum* invicem confundere, quando loquitur de Verbo; & indiscriminatim utramque adhibere, ut designet generationem Filii Dei. Utitur etiam voce *generatus* ut significet prolationem Verbi ab extra: *De hinc generatus ad effectum*; & voce *conditus* ut indigitet veram ejus æternam generationem: *Conditus .... primum ad cogitatum*. Cæterum, in sequenti capite videbimus, Tertullianum non potuisse accensere Verbum Divinum rebus creatis, ideoque latinam vocem *Conditus*, qua utitur de Verbo loquens, verti debere in vocem *generatus*. Hinc omnis difficultas omnino evanescit.

Cap. 7.

Cap. 8.

Cap. 6.

Apparitiones Verbi. Lib. 3. advers. Judæos. c. 9. De Carne Christi c. 6. contra Marcion. Lib. 2. cap. 27. Lib. 3. cap. 6. Lib. 5. cap. 19. & contra Praxeam. cap. 14. 16.

VI. Hoc idem Verbum sub visibili forma hominibus apparuit, sicuti supra notavimus, juxta Tertullianum, qui pluribus in locis suorum Operum id docet. Verbum hoc apparuit Adæ, Noe, Abrahæ, Loth, Jacob, Moysi, aliisque Patriarchis, quibus Deum apparuisse testatur Scriptura: & doctrina Tertulliani quoad hoc argumentum eadem est ac Doctrina eorum qui ante eum floruerunt, præcipue S. Justini, a quo videtur exscripsisse quidquid de apparitionibus docet. Id vero peculiare tradit Tertullianus, in his apparitionibus Verbum habuisse verum & solidum corpus, licet non generatum: quod sane uti paradoxum considerari debet ab hoc Patre ideo traditum, ut posset facilius refutare Marcionitas, qui Verbo, etiam post Incarnationem solidum & verum corpus denegabant. Cæterum, fatetur iste Doctor, apparitiones has in figura contigisse, ut eruitur ex ejus libro adversus Praxeam. „ Dicimus enim, inquit Tertullianus, & Filium suo „ nomine eatenus invisibilem, qua sermo & spiritus „ Dei ex substantiæ conditione jam nunc, & qua „ Deus, & Sermo, & Spiritus: visibilem autem fuis„ se ante carnem eo modo quo dicit ad Aaron & „ Mariam (*a*): Et si fuerit Prophetes in vobis, in „ visione cognoscar illi, & in somnio loquar illi ... „ Et infra scribit: Ipse enim (intellige Verbum) & „ ad humana semper colloquia descendit; ab Adam „ usque ad Patriarchas & Prophetas, in visione, in „ somnio, in speculo, in ænigmate, ordinem suum „ præstruens ab initio semper, quem erat persecutu„ rus in finem „. Hinc omnes Verbi apparitiones, fuerunt in ænigmate & figura; ideoque & Moyses ipse in ænigmate tantum vidit Deum, eum conspectum suum, & colloquium facie ad faciem eidem servaverit Dominus in futurum, hoc est, quando Jesus Christus in monte transfiguratus est: *Nam hoc postea adimpletum est in montis secessu, sicut legimus in Evangelio (b), visum cum illo Moysen colloquentem. Apparet ergo*, concludit Tertullianus, *semper in speculo & ænigmate, & visione & somnio, Deum, idest Filium Dei visum tam Prophetis & Patriarchis, quam & ipsi adhuc Moysi*. Vide hac super re ea Tertulliani opera, quæ initio hujus articuli in margine notavi.

Cap. 16.

Cap. 16.

Cap. 14.

Qualitates Personales Spiritus Sancti. contra Praxeam. cap. 4. & 9.

VII. Postremo ut & de Spiritu Sancto aliquid dicamus, Tertullianus eum vocat tertiam Sanctissimæ Trinitatis personam, sive quando ejus nomen recitat semper post Patrem & Filium, ut in sexto hujus Sectionis capite vidimus, sive quando expresse eum appellat *tertium gradum*, quæ verba idem per nos significant ac tertiam personam. Divinus iste Spiritus est *Tertium Divinitatis nomen, & tertius gradus majestatis .... Doctor veritatis .... Christi Vicarius .... Sanctificator fidei eorum qui credunt*: non solum procedit *a Patre per Filium*, ut Græci tenent, sed *a Patre & Filio*; quippe Spiritus Sanctus sumit de eo quod est Filii, sicuti Filius sumit de eo quod est Patris: *Cæterum de meo sumet*, inquit Tertullianus, qui Filium sic loquentem perhibet, *sicut ipse de Patris*. Divinus iste Spiritus ille est, qui in Christi baptismate, in columbæ

Cap. 30. De Præscr. cap. 28. Contra Praxeam. cap. 2. Cap. 4. Cap. 8.

Cap. 25. Lib. de Carne Christi. c. 3.

(*a*) Numer. cap. 12. vers. 6.

(*b*) Matth. cap. 17.

lumbæ specie descendit super ipsum; ille, qui descendit super Apostolos, eosque divinas docuit veritates; ille, quem Prophetia Joel promisit, quemque Jesus Christus in terram misit. Hæc sunt notabiliora quæ in Tertulliano perlegi quoad personam Spiritus Sancti: quibus addi possunt duo hæc, quæ tradit idem Pater de specie Columbæ; sub qua Spiritus Sanctus visus est: 1°. Divinum hunc Spiritum tunc temporis veram columbæ substantiam induisse; quod paradoxum sapit: 2°. simplicitatem ac innocentiam columbæ designasse naturam Spiritus Sancti; quod verum est.

Contra Praxeam. cap. 30. *Lib. de Carne Christi. cap. 3.* *Lib. de Baptismo. cap. 8.*

CAPUT OCTAVUM.

DE DIVINITATE ET CONSUBSTANTIALITATE VERBI.

Divinitas & Consubstantialitas Verbi. Apolog. cap. 21.

I. ETsi ex allatis in sexto hujus Sectionis capite inferre quisque valeat Divinitatem ac Consubstantialitatem Verbi; nihilominus gravissimum hoc argumentum in particulari examinare optimum erit, ac ob oculos lectorum ponere notabiliora Tertulliani loca, quæ hanc eamdem materiam respiciunt. Initium ducimus a quodam ejus Apologiæ textu; cujus hæc sunt verba. „ Hunc (intellige Verbum) ex Deo prolatum „ didicimus, & prolatione generatum: *Et idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ:* „ nam & Deus (est) Spiritus: & cum radius ex sole „ porrigitur, portio ex summa; sed sol erit in radio, „ quia solis est radius, nec separatur substantia, sed „ extenditur: *Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus:* „ *ut lumen de lumine accensum* . . . . ita quod & de „ Deo profectum est, Deus est, & Dei Filius, *Unus ambo*: quod quidem intelligi debet de natura, non de persona, ut Tertullianus aperte explicat in suo Tractatu adversus Praxeam, in quo phrasim hanc rejicit, utpote quæ differentiam Personarum tollat. *Ita*, prosequitur ille, *& de Spiritu Spiritus; & de Deo Deus: modulo alterum, non numero; gradu* (sive ordine), *non statu* (sive natura) *fecit*. Observatione dignum est, Tertullianum hoc loco rejicere differentiam numeri, quam ambabus ulnis amplectitur in suo tractatu adversus Praxeam: hinc credere oportet, non in uno, eodemque sensu, sed in sensu omnino diverso eum usurpare hanc phrasim quando Apologiam conscribit, & quando adversus Praxeam loquitur.

II. „ Iste igitur Dei radius, sequitur Tertullianus, „ delapsus in Virginem quamdam, & in utero ejus ca„ro figuratus nascitur homo Deo mixtus (hoc est, Deus simul & Homo): & *caro Spiritu instructa* . . . *Christus est*. Deinde redactis veluti in compendium miraculis omnibus, quæ inter homines operatus est Servator mundi, ait, ex his omnibus ostendisse sese esse verbum Dei, verbum primordiale, primogenitum: *Ostendens se se λόγον Dei, Verbum primordiale, primogenitum*. Hanc Ethnicis perhibet Tertullianus ideam illius Verbi, quem persequebantur ipsi in Christianis illius ævi: vocat illud, Filium Dei, Verbum Dei, immo Deum; atque, Deum Patrem, ac Filium, unum idemque esse, *Unus ambo*; totamque eorum distinctionem in personis collocat, quæ reipsa differunt inter se, non in natura, quæ una eademque est in Patre ejusque Verbo. Fateamur nihilominus oportet, non eadem perspicuitate, ac verborum præcisione locutum fuisse hoc loco Tertullianum, quam alibi, & præcipue in suo Tractatu adversus Praxeam satis mirari non possumus; cum ex ibidem traditis lumen afferri possit iis omnibus, quæ obscuriora occurrunt in aliis hujusce Patris Tractatibus Veritatem hanc respicientibus.

III. Probat secundo loco Tertullianus Divinitatem ac Consubstantialitatem Verbi in suo Tractatu adversus Hermogenem; ibi enim ostendit huic Hæretico, quod præponit materiam ipsi Dei Filio, dum eamdem supponit æternam esse, Filius enim Dei genitus est, quod sane dici non potest de materia: *Ita*, concludit ille Doctor, *& hoc nomine materiam Deo præponit Hermogenes, præponendo eam Filio: Filius enim sermo, & Deus sermo; &* (scriptum est:) *Ego & Pater unum sumus*. Esse Patri consubstantiale nil aliud importat, quam esse vere Deus, & Deus ut Pater, per unionem naturæ cum ipso: Atqui Tertullianus hæc omnia supponit in argumento allato contra Hermogenem, ut ex verbis recitatis deprehendere quisque potest: ergo Tertullianus credidit Filium Dei consubstantialem Patri.

Lib. de Resurrect. Carnis. cap. 6.

IV. Idipsum satis aperte docet in Tractatu de Resurrectione Carnis, in quo post ea verba Geneseos, quæ in medium profert: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. (*a*) (quo sane in loco supponit, Patrem ad Filium ea verba fecisse: *Præfatio Patris ad Filium: faciamus &c.*) sic prosequitur: *Et fecit hominem Deus* . . . . *ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi* . . . . *& sermo enim Deus, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit pariari Deo*. Locus iste nulla indiget explicatione; ibi enim satis perspicue declarat, Filium Dei esse Deum ut Pater Deus est, ac esse æqualem Deo: quod certe designat veram perfectamque Consubstantialitatem. Observandum obiter est, quod & alibi jam observavimus, hæc Geneseos verba, faciamus hominem ad imaginem &c. explicari non posse in sensu Tertulliani, qui est sensus cæterorum veterum Patrum, quin Divinitas ac Consubstantialitas Filii inde inferatur.

Lib. 4. contra Marcion. c. 25.

V. Si Filius nec inferior est, nec minor Patre, necessario sequitur, Filium esse Patri similem, æqualem, ac consubstantialem. Tertullianus itaque explicans illa Evangelii verba: omnia mihi tradita sunt a Patre meo (*b*), exprese docet, Creatorem tradidisse omnia Filio, qui non est se minor: *Non minori se, tradidit omnia Filio Creator*. Igitur juxta Tertullianum Filius est æqualis, ac consubstantialis Patri. Hinc idem Auctor in Tractatu adversus Praxeam, in quo veritatem hanc pleno in lumine collocat, ait, omnia nomina ac attributa Patris æque convenire Filio, prout est Filius Dei: *Nomina Patris*, inquit ille, *Deus omnipotens, Altissimus, Dominus virtutum, Rex Israelis; Qui est* . . . . *hæc dicimus & in Filium competisse* . . . *Omnia, inquit, Patris, mea sunt; cur non & nomina? Cum ergo legis Deum omnipotentem, & Altissimum, & Deum Virtutum, & Regem Israelis, & qui est, vide ne per hæc Filius etiam demonstretur, suo jure Deus omnipotens, qua sermo Dei omnipotentis*.

Contra Praxeam. cap. 17.

VI. Quid aptius dici possit ad comprobandam Divinitatem ac Consubstantialitatem Verbi certe non video: credi enim nequit, Filium Dei habere omnia nomina ac perfectiones divinas, quin pariter credatur, divinam esse ejus naturam, ac omnino æqualem naturæ veri Dei. Filius Dei appellari nequit Omnipotens, Altissimus, Dominus, Rex Israel, Qui est, ut Scripturæ docent, quin illico perfecta ejus cum Patre Consubstantialitas inferatur. Perpendantur omnes hujusmodi phrases, & præcipue hæc verba: *Suo jure Omnipotens, qua sermo Dei Omnipotentis*, ex quibus eruditur, Verbum Dei, prout est Verbum Dei, vere esse Deum Omnipotentem, non secus ac Pater est Deus Omnipotens; idque ex unitate naturæ, quæ in utroque est indivisibilis.

VII. Manifestius autem Tertulliani mens circa Divinitatem ac Consubstantialitatem Verbi deprehenditur ex iis quæ in capite sexto hujus Sectionis ex eodem attulimus: ait enim, Verbum, & Spiritum Sanctum esse ambas manus Patris; haberi unitatem naturæ in Trinitate divinarum Personarum; tres illas personas habere eamdem substantiam, eamdemque potestatem; Filium esse ex substantia Patris; Patrem ac Filium, etsi personæ distinctæ sint, inseparabiles esse propter intimam naturæ unionem; loquendo de Patre ac Filio dici non posse duos esse Deos, aut duos Dominos, licet uterque æque sit Deus; Patrem ac Filium unum idemque esse, sive potius duas Personas in omnibus æquales, juxta hanc Jesu Christi phrasim: ego, & Pater unum sumus; tandem tres esse Personas, sed unum Deum. Sextum caput percurrat Lector, & omnes hos articulos clarissimis Tertulliani textibus comprobatos inveniet: & deinceps viderit ille quænam ex omnibus his inferri possit illatio, quæ consona sit doctrinæ Ecclesiæ quoad Divinitatem ac Consubstantialitatem Filii Dei.

VIII. Perperam autem contra primarias has duas veritates objiceret aliquis ea Tertulliani verba: Pater tota substantia est: Filius vero derivatio totius & portio; ac perperam inde inferre contenderet, Patrem esse Filio majorem, sicuti totum est sua parte majus. Tota difficultas est determinare in quo sensu intelligenda sint illa verba. 1°. Filius est portio Patris, quia cum Pater totam in se habeat Divinitatem, cujus principium est & origo, prout tradunt veteres Patres, ac Tertullianus ipse, necessario sequitur, Filium esse partem ac portionem hujus divinitatis, quæ est veluti derivatio quædam divinæ substantiæ Patris, cujus particeps est Filius una cum Spiritu Sancto. 2°. dicere possumus, Filium esse portionem Patris, quia cum pars educatur e toto, & totum sit sua parte majus; sic Filius educitur e substantia Patris, & Pater, prout Pater est, veluti ex natura sua est major Filio. Ex Tertulliani verbis duplici hoc pacto explicatis num quidquam inferri potest contra Consubstantialitatem Verbi? Filius est quædam portio, sed portio

(*a*) Cap. 1. vers. 26.

(*b*) Matth. cap. 11. v. 27.

II. & III. SÆCULUM.

tio inseparabilis a substantia Patris, ut Tertullianus ipse docet: Filius est portio Patris, sed portio eidem similis, æqualis, quæ unam eamdemque naturam cum eo constituit, & Deus est cum Patre, ut repetitis vicibus tradit idem Doctor. Hisce omnibus id addere optimum erit, quod scribit vetustus hic Auctor in Tractatu adversus Marcionem, Filium scilicet, etsi portionem substantiæ divinæ, nihilominus participare plenitudinem divinitatis; *Plenitudinis consortem*: quibus verbis perfecta Verbi cum Patre Consubstantialitas clarissime designatur.

Lib. 3. contra Marcion. c. 6.

Alia difficultas supra idem argumentum. Lib. contra Hermogen. cap. 3.

IX. Major difficultas occurrere posset in sequentibus Tertulliani verbis: *Quia & Pater Deus est .... non ideo tamen Pater .... semper; quia Deus semper: nam nec Pater potuit esse ante Filium .... fuit autem tempus, cum & Filius .... non fuit*. Verum huic quoque difficultati sua in promptu est responsio: & licet hæc propositio in eo sensu sumpta, quem verba ipsa præseferant, sit una ex blasphemiis Arii, quam damnavit Concilium Nicænum; nihilominus ab hac labe purgari potest Tertullianus, si dicamus, sermonem hic esse de pura denominatione Filii, quam Doctor iste non tribuit æternæ sapientiæ, nisi post prolationem ab extra. Id autem minime officit æternitati hujus sapientiæ, cujus subsistentiam æternam, distinctam a subsistentia Patris prædicat Tertullianus scribens in suo Tractatu adversus Praxeam, quod licet in aliquo sensu dici possit, Deum Patrem ante creationem solum fuisse, quia nihil aliud extrinsecus erat præter illum; *Cæterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet*: quæ quidem nequaquam scripsisset Tertullianus, si falsam doctrinam, quæ in superius allato textu contineri videtur, credidisset. Si Filii Dei existentiam ante tempus inficiatur, quomodo dicere potest, Dei sapientiam, hoc est Dei Filium, semper fuisse in Patre, & cum Patre? Quomodo asserere potest, Patrem non fuisse solum, si in tempore tantummodo habuit Filium? Si fuit tempus, cum & Filius non fuit, quomodo credere possemus, eum esse Patri similem, esse æqualem, ejusdem substantiæ, ejusdem naturæ, hoc est, esse Patri Consubstantialem? Quomodo possemus credere, eum esse Deum, si æternus non esset? Igitur vel Tertullianum cum Tertulliano conciliare debemus in sensu a me exposito; vel fateri debemus, Doctorem hunc in suo Tractatu adversus Hermogenem errorem tradidisse; sed deinceps in suo libro adversus Praxeam errorem hunc sustulisse; ibi enim catholicam veritatem illi errori oppositam manifeste docet.

Contra Praxeam. cap. 5.

CAPUT NONUM.

DE INCARNATIONE.

CUm Tertullianus pluribus disserat de hoc argumento tum adversus Judæos, tum adversus Hæreticos veritatem hujus mysterii impugnantes; hinc nostrum esse duximus, aliquem servare ordinem in exscribendis ex ejus Operibus præcipuis textibus, qui eamdem veritatem attingunt. Per gradus argumentum hoc pertractabimus, & in primis ea trademus, quæ huic mysterio præmittenda sunt, deinde ea quæ hujus mysterii essentiam constituunt; tandem proprietates ejusdem, ac præcipuas circumstantias. Hinc dividimus hoc caput in tres articulos: in primo videbimus in quo sensu Tertullianus interpretetur Prophetarum oracula quæ respiciunt Incarnationem; in secundo afferemus momenta, quibus veritatem hujus mysterii demonstrat; in tertio exponemus quidquid ille docet de ejusdem proprietatibus, ac circumstantiis: Sicuti vero Divina Maternitas essentialem huic mysterio relationem dicit; hinc illa pariter Tertulliani loca proferemus, quæ veritatem hanc confirmant.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PROPHETIIS SUPRA INCARNATIONEM.

Regulæ pro intelligendis Prophetiis. Lib. 3. contra Marcion. c. 5.

I. VAticinia, quæ Incarnationem respiciunt, afferuntur præcipue a Tertulliano in suo Tractatu adversus Judæos, & aliqua ex parte etiam in tertio libro adversus Marcionem. Antequam vero hisce exponendis manum admoveamus, cuilibet Opus hoc perlegenti gratum fore confidimus, si duas hoc loco hujusce Patris regulas maximi momenti proferamus, quæ eorumdem vaticiniorum intelligentiam quam maxime juvant. Prima est, Prophetas quandoque quæ futura sunt pro jam transactis enuntiare; cum enim Divinitati competat, quæcumque decreverit, ut perfecta reputare; hinc divinationi propheticæ familiare est demonstrare ut jam expunctum, quod futurum est. Regula secunda est, quælibet figurate protendi per ænigmata & allegorias, & parabolas, quæ aliter, quam scripta sunt, intelligi debens. Hinc Divus Paulus plura veteris Testamenti loca in allegorico sensu interpretatur. Proprius harum Regularum locus erat caput illud, in quo de Sacra Scriptura verba fecimus; sed cum ex memoriæ defectu illarum tunc nullam mentionem fecerim, hinc eas nunc trado. Cæterum non modicæ utilitatis sunt, & mirum in modum conducunt ad intelligentiam propheticorum oraculorum, de quibus modo fit sermo.

Vaticinium Isaiæ supra Incarnationem. Ibid. cap.

II. Ab illo exordimur Vaticinio, de quo loquitur Tertullianus in tertio libro adversus Marcionem. Cum Hæresiarcha iste materialiter sumeret verba celeberrimi oraculi, quod in Isaiæ cap. 7. vers. 8. refertur, contendebat, Christum debuisse Emmanuelis nomine appellari, dehinc virtutem sumere Damasci, & spolia Samariæ adversum Regem Assyriorum. At, inquiebat Hæreticus iste, Christus qui venit neque sub ejusmodi nomine est editus, neque ulla re bellica functus est: hinc concludebat, illum non fuisse verum Christum ab Isaia prænuntiatum. Tertullianus vero respondet, non solum sonum nominis spectari debere; sed & sensum; ideoque, licet Christus non fuerit appellatus Emmanuel, illum tamen habuisse omnes hujusce nominis significationes, cum reipsa sit nobiscum Deus, & Deus in nobis: quotquot enim in Christum tincti sunt, Christum induerunt. Quoad cætera vero ejusdem vaticinii verba, ea sane, inquit Tertullianus, non portendunt Christum quasi bellatorem, cum Scriptura præmittat (a): Quoniam priusquam cognoscat puer vocare patrem & matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ, adversus Regem Assyriorum: igitur sermo est de puero, qui certe non poterat esse bellator.

Sequitur idem Vaticinium. Ibid.

III. Sed & Virginem parere, ajebat Marcion, natura non patitur; & tamen creditur Prophetæ: & merito, reponit Tertullianus; præstruit enim fidem incredibili rei, rationem edendo, quod in signo esset futura: signum autem a Deo, nisi novitas aliqua monstruosa, tam dignum non fuisset. Deinde subjungit, quod sicut Propheta non dixit, in signo futura esse quæ prænuntiaverat de puero, *qui accipiet spolia Damasci &c.* evidens est, verba illa litteraliter sumi non debere, sed in sensu allegorico. Postea declarat, hæc omnia adimpleta fuisse, quando orientales Magi in infantia Christum recentem auro & thure muneraverunt. Hinc notat, omnes ferme Reges Orientis fuisse Magos, & Damasci Urbem inter urbes Arabiæ numeratam fuisse, antequam Syria in duas provincias divideretur. Insuper ait, spolia Samariæ fuisse magos, idest idololatriæ: Idololatriam enim Samariæ nomine notavit, ut ignominiosæ ob idololatriam, qua desciverat tunc a Deo, sub Rege Jeroboam. Nec hoc novum est Creatori (ac Prophetis) figurate uti translatione nominum, ex comparatione criminum: nam & Archontas Sodomorum, appellat Archontas Judæorum; & populum ipsum, populum Gomorrhæ vocat. Hæc pariter regula necessaria est pro intelligentia Sacræ Scripturæ.

Vaticinia ex Regio Psalte. cap. 19.

IV. Inter cætera Vaticinia, quæ explicat Tertullianus in tertio libro adversus Marcionem, notavi: 1º. hæc, quæ ex Regio Psalte desumpta sunt, verba: *Dominus regnavit a ligno*, (quemadmodum primis Ecclesiæ sæculis legebatur), in quibus verbis prænuntiari Crucem Salvatoris asserit Tertullianus. 2º. Hæc pariter Davidis verba: foderunt manus meas & pedes meos &c. quæ proprie est auctoritas Crucis, inquit Tertullianus: quam crucem nec ipse David passus est, nec ullus Rex Judæorum; hinc de Salvatore hæc dicta fuisse concludit idem Doctor. 3º. tandem verba illa: ipse multos hæreditati habebit, & multorum dividet spolia: dicere enim non possumus, terminos terræ David potius promissos, qui intra unicam Judæorum gentem regnavit, aut Salomoni, temporali scilicet Regi, quam Christo, qui totum jam orbem Evangelii sui fide cepit, & cujus regnum est in ævum, ut docent Scripturæ. Hæc sunt notabiliora Tertulliani loca ex tertio libro adversus Marcionem excerpta, & Prophetias de Incarnatione respicientia.

Vaticinia Isaiæ super Messiæ regnum. Contra Judæos c. 7.

V. In Tractatu adversus Judæos præjactis nonnullis animadversionibus in Vetus & Novum Testamentum, statim hoc Isaiæ vaticinium exponit Tertullianus: Sic dicit Dominus Deus Christo meo Domino, cujus tenui dexteram, ut exaudiant illum gentes &c. cap. 45.

(a) Cap. 8. vers. 4.

II.&III. SAECULUM. cap. 45. ac declarat, hoc Isaiæ Oraculum in Jesu Christo impletum fuisse: Cui enim, inquit Doctor iste, dexteram tenet Pater Deus, nisi Christo filio suo? &, in quem alium universæ gentes crediderunt, nisi in Christum, qui jam venit? Omnes Nationes terræ, non solum incolentes Judæam, Asiam, Ægypthum; sed & Romani ac Barbari, & Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes, & Britannorum Christo vero subditæ factæ sunt; quin immo & gentes Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & additarum multarum provinciarum & insularum: in quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat. Quis enim omnibus regnare potuisset, nisi Christus Dei Filius? qui omnibus in æternum gentibus regnaturus nuntiabatur. Salamon regnavit in finibus Judæ tantum, a Dan usque Bersabee; Darius regnavit solum Babyloniis & Parthis; Nabuchodonosor ab India usque Æthiopiam habuit Regni sui terminos; Alexander Macedo nunquam Asiam universam & cæteras Regiones postea quam devicerat, tenuit; Romani Legionum suarum præsidiis imperium suum muniunt, nec trans istas gentes porrigere vires regni sui possunt: Christi autem regnum & nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur, *Ubique regnat, ubique adoratur . . . . Omnibus Rex, omnibus Judex, omnibus Deus & Dominus est*. Nec dubites credere quod asseveramus, subjungit Tertullianus, cum videamus fieri.

Vaticinii Danielis. num. 8. VI. Ab hoc transilit Tertullianus ad celeberrimum Danielis Vaticinium de Nativitate & Morte Messiæ. Narrat Daniel cap. 9. vers. 21. & seqq. sibi adhuc loquenti in Oratione adstitisse, Angelum Gabrielem, & dixisse: Septuaginta hebdomades breviatæ sunt super plebem tuam, & super civitatem sanctam, quoadusque inveteretur delictum, & signentur peccata, & exorentur injustitiæ & inducatur justitia æterna, ut & signetur visio & Prophetes, & ut ungatur Sanctus Sanctorum. Et scies, & perspicies & intelliges a profectione sermonis, integrando, & reædificando Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomadas septem, & dimidiam, & LXII. & dimidiam; & convertet, & ædificabitur in lætitiam, & convallationem, & innovabuntur tempora: & post hebdomadas has LXII. & exterminabitur Unctio, & non erit: & Civitatem & Sanctum exterminabit cum duce adveniente, & concidentur quomodo in cataclysmo usque ad finem belli, quod concidetur usque ad interitum. Et confirmabit testamentum in multis. Hebdomada una, & dimidia hebdomadis auferetur meum sacrificium & libatio, & in Sancto execratio vastationis, & usque ad finem temporis consummatio dabitur super hac vastatione.

Explicatio hujus Vaticinii per Tertullianum. Ibid. VII. Vaticinium hoc, quod retulimus ex ea Versione quam secutus est Tertullianus, de Salvatore intelligi debere asserit Doctor iste, & in interpretatione quam ille adoritur notandum est 1°. quod Christus debebat nasci post LXII. hebdomadas, quæ expresse a Propheta designantur. 2°. quod debebat pati intra hebdomadas septem & dimidiam. 3°. quod post hebdomadam & dimidiam, qua septem postremæ hebdomades complentur, Jerusalem exterminari debebat. 4°. Tertullianus idem assignat initium Septuaginta hebdomadarum anno primo Darii Medi, deinde numerans omnes annos illius Regni, & Regum Persarum, qui illi successerunt, descendit usque ad annum duodecimum Alexandri Magni; & inde gradum facit ad numerandos annos Regum Ægypti usque ad Cleopatram, quam decessisse scribit ante annum quadragesimum primum imperii Augusti, quem regnasse dicit annis quinquaginta sex. Anno isto quadragesimo primo imperii Augusti natus est Salvator Mundi, & hoc eodem anno completur hebdomada sexagesima secunda & dimidia Danielis. Hebdomadæ sexagintaduæ & dimidia comprehendunt annos 437. & sex menses. Supersunt reliquæ septem hebdomadæ & dimidia, quæ comprehendunt annos 52. & sex menses, qui numerantur per annos Imperatorum Romanorum usque ab annum primum imperii Vespasiani, sub quo capta est Jerusalem, & templum eversum. Igitur expletis his temporibus & debellatis Judæis, postea cessaverunt illic libamina & sacrificia; quæ exinde illic celebrari non potuerunt. 5°. Passionem Domini perfectam fuisse docet Tertullianus anno decimoquinto Tiberii, Consulibus *Rubellio Gemino*, & *Fusio Gemino*, mense Martio, die VIII. Calendarum Aprilium, die prima Azymorum, cum Jesus Christus annorum circiter triginta tunc esset. Ast, certum est, primum annum prædicationis Jesu Christi esse annum decimum quintum Tiberii, necnon nisi post tres annos mortem subiisse, trigintatrium annorum ætate jam completa; hinc Tertullianum in hoc articulo deceptum dicimus.

Aliæ prædictiones Isaiæ, quas explicat Tertullianus. Ibid. c. 9. VIII. Relicto Daniele, Isaiam iterum petit Tertullianus, illiusque Vaticinium, superius relatum, adversus Judæos iterum retorquet. Sicuti vero nihil novi hoc loco habet iste Doctor, hinc ad aliud ejusdem Prophetæ Vaticinium transilimus, in quo ostendit, Messiam nasci debere de stirpe Davidis filii Jesse, hoc est de Maria: *& nascetur virga de radice Jesse, quod est Maria*: & flos de radice ejus ascendet; & requiescet super illum Spiritus Dei, Spiritus sapientiæ, & intellectus: Neque enim ulli hominum universitas spiritalium documentorum competebat, nisi in Christum, flori quidem ob gratiam adæquatum. Messiam repræsentat idem Propheta tamquam virum, qui omnem exhibet humilitatem, & patientiam, & tranquillitatem: *Homo in plaga positus, & sciens ferre imbecillitatem, qui tamquam ovis ad victimam ductus est*: qui neque clamavit, neque audita est foris vox ejus: *Qui arundinem contusam, id est quassam Israelis fidem non comminuit: qui linum ardens, idest momentaneum ardorem gentium non extinxit*.

Aliæ figuræ & prædictiones circa Messiam. cap. 10. IX. Ad Crucem Salvatoris quod attinet, sicuti Judæi objiciebant 1°. non esse credendum, quod ad id genus mortis exposuerit Deus Filium suum, cum ipse dixerit (a): maledictus omnis homo qui pependit in ligno. 2°. passionem Crucis in Christum nullibi prædicatam, seu prænuntiatam esse: hinc respondet Tertullianus 3°. maledictionem hanc non cadere in Jesum Christum, sed in eum, qui propter merita delictorum suorum suspenderetur in ligno. Quæ quidem omnia Jesus Christus, qui dolum de ore suo locutus non est, quique exhibuit omnem justitiam & humilitatem & patientiam, perpessus est non pro actu suo aliquo malo, sed ut Scripturæ implerentur de ore Prophetarum dicentium: *Retribuebant mala pro bonis: exterminaverunt manus meas & pedes*. Addit insuper, mentionem aperte non fieri in veteri Testamento de Cruce Jesu Christi, attamen sacramentum passionis ipsius (hoc est Crucem) in iisdem figurari: figura quippe erat Isaac, quum a Patre hostia duceretur, & lignum ipsi sibi portaret: Joseph a fratribus persecutionem passus, & venundatus: Moyses expansis manibus orans: Serpens æneus ligno impositus, pendentis habitu in spectaculum Israeli salutare propositus, eo tempore quo a serpentibus post idololatriam exterminabantur. Præterea Isaias inquit: Puer natus est nobis, cujus imperium factum est super humerum ipsius: quod de solo Jesu Christo prædicari potest, qui in humero extollens Crucem suam regnavit super omnes Nationes. Psalmus vigesimusprimus totam continet passionem Christi canentis jam tunc gloriam suam: & verba hæc: foderunt manus meas &c. designant crudele supplicium Crucis: *Foderunt manus meas, & pedes, quæ propria est atrocitas Crucis*. Amos annuntiat id quod in passione ejus accidit, ut scilicet media dies tenebresceret: annuntiat insuper diem luctus & mœroris & cladem super caput Judæorum, qui Jesum Christum, morte affecerunt; cladem, inquam, non solum in hoc sæculo, sed in die retributionis quæ subsequetur: qua clade nemo liberabitur, inquit Ezechiel, nisi qui passione Christi fuerit obsignatus. Cap. 11.

X. Cum Judæi igitur, inquit Tertullianus, negare nequeant, ex Scripturis hæc excerpta esse, & propriis oculis ea videant, quæ post Messiam eventura nuntiaverunt Prophetæ, fateri debent eum jam venisse; nisi enim jam venisset, completa non essent quæ de illo prædicta sunt. Aspiciant itaque Nationes universas de voragine erroris humani exinde emergentes ad Dominum Deum Creatorem, & ad Deum Christum ejus, & si audent, negent Prophetam (hoc est, hæc omnia prænuntiata esse). Pater in psalmis promittit Filio suo (b): Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: asserere autem nequimus terminos terræ David promissos, qui intra unicam Judæam regnavit; de Christo vero id dicere possumus, qui totum jam orbem Evangelii sui fide cepit, sicut per Isaiam dicit: Ecce dedi te in dispositionem generis mei in lucem gentium, aperire oculos cæcorum &c. (c). Hæc autem omnia implevit Jesus Christus: igitur Jesus Christus est Messias quem nuntiaverunt Prophetæ. Ibid. Cap. 12.

XI. Si Messiam nasci oportuit in Bethlehem Judæ, jam natus est, inquit Tertullianus; animadvertimus enim, prosequitur Sapientissimus Doctor, nunc neminem de genere Israel in Civitate Bethlehem remansisse, & exinde quod interdictum est, ne in confinio ipsius

(a) Deuteron. cap. 21. vers. 23.
(b) Psalm. 2. vers. 6. 7.
(c) Cap. 42. vers. 6. 7.

II. & III. SÆCULUM.

ſius regionis de noretur quiſquam Judæorum, ut hoc quoque eſſet adimpletum per Prophetam: *Terra veſtra deſerta, civitates veſtræ igni exuſtæ &c.* Argumentum hoc maximam vim habebat adverſus Judæos, qui Tertulliani ætate vivebant; evidens quippe erat, impleta jam eſſe tempora pro Meſſiæ adventu prænuntiata. Vaticinia hæc jam impleta omnium oculis obverſabantur, necnon quæ debebant Nativitatem & mortem Salvatoris ſequi, videlicet exterminatio Judææ, populus profugus, cognitio veri Dei in omnes Nationes, quæ relictis ethnicæ ſuperſtitionis tenebris amplectebantur veram Jeſu Chriſti fidem. Hinc Judæi coacti ſunt dicere, longe adhuc diſtare tempus, quo eorum Meſſias adventare debet; & hoc pacto vim argumenti eludere conantur, & propriam obſtinationem tuentur.

Vaticinia de miſera conditione Judæorum poſt Incarnationem. *Ibid.*

XII. Miſeram conditionem hujus populi, qui nudatus eſt omnibus Spiritus Sancti donis, quibus cumulata fuit Eccleſia Chriſtianorum, prænuntiavit Iſaias his verbis: *Ecce qui ſerviunt mihi, manducabunt; vos autem eſurietis: ſervientes mihi potabuntur; vos autem ſitietis, & a contribulatione ſpiritus ululabitis: remittetis enim nomen veſtrum, in ſocietatem electis meis; vos autem interficiet Dominus: Eis autem qui ſerviunt mihi, nomen nominabitur novum, quod benedicetur in terris.* Poſtremo, aliis in medium allatis Prophetarum oraculis, quæ longum eſſet hic referre, Tertullianus oſtendit Judæis, ideo errare illos circa perſonam Meſſiæ, quia confundebant duos Jeſu Chriſti adventus, quorum primus futurus erat in humilitate, ſecundus autem in gloria & ſublimitate. Hinc ſtudet Tertullianus aperire eorum oculos hac ſuper re, ac differentiam oſtendere, quæ in duplici hoc adventu eſſe debebat: in primo enim, juxta Prophetam, Meſſias eſt tamquam ovis quæ ad victimam ducitur, & tamquam agnus ante tondentem ſine voce; eſt homo ſine ſpecie, & ſine decore, deficiens citra filios hominum, homo in plaga, ſciens ferre infirmitatem. In ſecundo vero eſt lapis ſummus angularis, poſt reprobationem aſſumptus, & ſublimatus in conſummationem; eſt petra illa apud Danielem de monte præciſa, quæ imaginem ſæcularium Regnorum comminuet, & conteret; eſt antiquus dierum, cui omnes nationes terræ ſervient, & quem cognoſcent omnes, qui eum pupugerunt; eſt Sacerdos Magnus de quo Zacharias loquitur, qui Sacerdos de mandato Dei ſpoliatus ſordidis veſtes, exornatus eſt podere, & mitra, & cidari munda, ut confundat diabolum, qui adverſabatur ei. Sed de hoc argumento jam ſatis.

Vaticinia, de duplici adventu Salvatoris. c. 14.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE VERITATE, SEU REALITATE INCARNATIONIS.

I. JEſum Chriſtum verum fuiſſe Meſſiam in lege promiſſum, ac omnia Vaticinia in eo completa fuiſſe jam ſatis ſuperque in articulo ſuperiori demonſtratum eſt. Modo ex auctoritate Tertulliani demonſtrandum eſt, Verbum vere noſtram induiſſe naturam, vere natum eſſe ac paſſum, nec non mortem propter noſtram ſalutem vere ſubiiſſe, non apparenter, quemadmodum quidam Hæretici quondam contendebant, præcipue Marcionitæ, adverſus quos Tertullianus Catholicum Dogma egregie tuetur, tum in tractatu de Carne Chriſti, in quo argumentum hoc ex profeſſo pertractat, tum in ſuo Opere adverſus Marcionem, in quo Hæretici hujus errorem Catholicæ veritati oppoſitum validiſſime refutat.

Primum argumentum pro realitate Incarnationis. Lib. de Carne Chriſti. c. 3.

II. Tertullianus probat veritatem Incarnationis primo ex poſſibilitate ac dignitate hujus myſterii. Si Chriſtus natus non eſt, inquit ille, *Neceſſe eſt .... ut, aut impoſſibilem, aut inconvenientem Deo exiſtimaveris nativitatem.* Sed Deo nihil impoſſibile, niſi quod non vult: igitur, ſi naſci voluit, & potuit: ſed natus eſt, quia hominem ſe videri præſtitit: *quod ſi voluiſſet* (homo) *eſſe, nec videri omnino voluiſſet.* Nec Deo indignum hoc erat, quaſi, ſi natus fuiſſet, & hominem vere induiſſet, Deus eſſe deſiiſſet; periculum enim ſtatus ſui Deo nullum eſt; cum ejus natura ab omnium rerum conditione diſtet: Hinc res creatæ, cum convertuntur, amittunt quod fuerunt: *Deus vero in omnia converti poteſt, & , qualis eſt, perſeverare*: alioquin par erit eorum, quæ converſa amittunt quod fuerunt: quin immo, inferior Angelis eſſet, qui in effigiem humanam converſi aliquando ſunt, & Angeli nihilominus permanſerunt. *Quos ergo*, concludit Tertullianus, *Angelis inferioribus Deo, licuit .... hoc tu potentiori Deo auferes, quaſi non valuerit Chriſtus vere hominem indutus, Deus perſeverare?*

III. Deo indignum aſſerebat Marcion, e mulieris utero in lucem prodire, per novem menſes in eodem ali, pannis involvi, cæteriſque infantiæ neceſſitatibus ſubjici: egregie autem Tertullianus reponit, Marcionem neminem diligere, cum naſcentem hominem horreat; immo nec ſeipſum amare, qui eodem modo natus eſt. Præterea, Chriſtus dilexit hominem iſtum, addit Tertullianus, in immunditiis natum &c. propter eum deſcendit, propter eum omni ſe humilitate dejecit uſque ad mortem, & mortem Crucis. Amavit ergo cum homine etiam nativitatem: *Amavit etiam carnem ejus.* Hinc propter hujus carnis amorem, leproſam (carnem) emaculat, cæcam perluminat, paralyticam redintegrat, dæmoniacam expiat, mortuam reſuſcitat. Si ergo carnem hominis dilexit Deus, cur erubeſcere debuiſſet illam induere? Turpe ac Dei Filio indignum fuiſſet de lupa aut ſue prodire, & feræ aut pecoris corpus induere, non autem humanam carnem ſumere. Si hoc ſtultum eſſet ac Deo indignum, nonne indignius ac magis erubeſcendum fuiſſet mori ac crucem ſubire? „ Quid enim indignius Deo, inquit Tertullianus, naſci, an mori? carnem geſtare, an crucem? circumcidi, an ſuffigi? educari, an ſepeliri? in præſepe deponi, an in monumento recondi? .... ſed jam hinc reſponde *interfector veritatis* (Tertullianus appellat Marcionem hoc nomine) Nonne vere crucifixus eſt Deus? Nonne vere mortuus? Nonne vere reſuſcitatus? Si hoc verum non eſt, falſo ergo ſtatuit inter nos ſcire Paulus tantum Jeſum crucifixum, falſo ſepultum ingeſſit, falſo reſuſcitatum inculcavit: falſa eſt igitur & fides noſtra; & phantaſma erit totum quod ſperamus a Chriſto .... Sed hæc quomodo in illo vera erunt, ſi ipſe non fuit verus; ſi non vere habuit in ſe quod figeretur, quod moreretur, quod ſepeliretur, & reſuſcitaretur? carnem ſcilicet ſanguine ſuffuſam, oſſibus ſtructam, nervis intextam, venis implexam, *quæ naſci & mori novit.*

II. & III. SÆCULUM. Objectio Marcionis contra veritatem Incarnationis. *Ibid.* c. 4. Reſponſio Tertulliani.

Aliud argumentum pro veritate Incarnationis. cap. 5.

IV. Cum Chriſtus dicatur homo & filius hominis, humana ſine dubio eſſe debuit ejus caro, ut nata de homine, ideoque mortalis: *Aut, cur homo Chriſtus, & filius hominis, ſi nihil hominis, & nihil ex homine?* „ Numquid aliud eſt homo, quam caro, aut aliunde eſt caro hominis, quam ex homine? Aliter non diceretur homo Chriſtus ſine carne, nec hominis filius ſine aliquo parente homine; ſicut nec Deus, ſine ſpiritu Dei, nec Dei filius, ſine Deo patre. „ *Maluit, crede*, proſequitur Tertullianus, *naſci, quam aliqua parte mentiri, & quidem in ſemetipſum; ut carnem geſtaret ſine oſſibus duram, ſine muſculis ſolidam, ſine ſanguine cruentam, ſine tunica veſtitam, ſine fame eſurientem, ſine dentibus edentem, ſine lingua loquentem.* Si hoc ita fuiſſet, fuit itaque phantaſma etiam poſt reſurrectionem, cum manus & pedes ſuos diſcipulis inſpiciendos offerret; aſpicite, inquiens, quod ego ſum; quia ſpiritus oſſa non habet, ſicut me habentem videtis. *Quomodo hanc vocem interpretaris?* ait Tertullianus ad Marcionem, quia a Deo optimo, & ſimplici, & bono tantum, infers Jeſum? *Ecce fallit* (Jeſus) *& decipit, & circumvenit omnium oculos, omnium ſenſus &c.* „ Ergo jam Chriſtum non de cœlo deferre debueras, ſed de aliquo circulatorio cœtu; nec Deum præter hominem, ſed Magum hominem; nec ſalutis Pontificem, ſed ſpectaculi artificem .... Niſi quod & ſi magus fuit, natus eſt. »

Abſurdum pro Incarnatione nõ reali. Lib. 3. cõtra Marcion. c. 8.

V. Negabant Marcionitæ Chriſtum in carne veniſſe, hac præcipue de cauſa, quod impoſſibile præſumpſerant Deum carnem; ideoque aſſerebant, Chriſtum non fuiſſe quod videbatur, & mentitum eſſe quod erat. Tertullianus vero reſpondet, quod ſi Chriſtus potuit decipere homines quoad ſuam humanitatem, nullo negotio idipſum potuit quoad ſuam divinitatem. Si caro videbatur, & non erat caro, ſi homo, & non erat homo; proinde Deus Chriſtus videbatur, nec erat Deus: *Cur enim non etiam Dei phantaſma portaverit? An credam ei de interiore ſubſtantia, qui ſit de exteriore fruſtratus? Quomodo verax habebitur in occulto, tam fallax repertus in aperto?* Jam nunc quum mendacium deprehenditur Chriſti caro; ſequitur, ut omnia quæ per carnem Chriſti geſta ſunt, mendacio geſta ſint: imaginarius operator, imaginariæ operæ. Sic nec paſſiones Chriſti, ejus fidem merebuntur, nihil enim paſſus eſt, qui non vere eſt paſſus: *vere autem pati phantaſma non potuit.* Everſum eſt igitur totum Dei opus. Totum Chriſtiani nominis & pondus & fructus, mors Chriſti negatur, quam tam impreſſe Apoſtolus demandat, utique veram, ſummum eam fundamentum conſtituens Evangelii, & ſalutis noſtræ & prædicationis ſuæ. Porro, ſi caro ejus negatur, quomodo mors ejus aſſeveratur, quæ propria carnis eſt paſſio? Negata vero morte, nec de reſurrectione conſtabit. Eadem enim ratione non reſurrexit, qua mor-

tuus

II. & III. Saeculum.

tuus non est, non habendo substantiam scilicet carnis; cujus sicut & mors, ita & resurrectio est: proinde resurrectione Christi infirmata, etiam nostra subversa est: atque ita inanis est fides nostra, inanis est prædicatio Apostolorum: inveniuntur autem etiam falsi testes Dei, quod testimonium dixerint, quasi resuscitaverit Christum, quem non resuscitavit; & sumus adhuc in delictis, & qui in Christo dormierunt, perierunt, sane resurrecturi, sed phantasmate forsitan, sicut & Christus.

Objectio Marcionis diluta. c. 9. & 10.

VI. Marcion ut hujus argumenti vim eluderet, reponebat, Angelos, qui apparuerunt Abrahæ & Loth, vere congressos esse, & pastos, & operatos quod mandatum eis fuerat, sed in phantasmate putativæ carnis. Tertullianus autem respondet, non putativam fuisse in illis Angelis carnem, sed veram ac solidam substantiam humanam. Ratio, quam affert, est, quia Deus, qui mundum ex nihilo in tot ac talia corpora, & quidem verbo, ædificavit, æque potuit ex quacumque materia Angelis quoque carnem astruxisse: sed hæc Angelorum corpora innata erant: *Innata autem (Angelorum caro)*; quia solus Christus in carnem ea carne nasci habebat, ut nativitatem nostram nativitate sua reformaret: *Ideoque & ipse*, addit Tertullianus, *cum Angelis tunc apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit; sed nondum nata, quia nondum moritura*. Hinc Tertulliani sententia est, Angelos, & ipsum Dei Filium ante Incarnationem non in phantasmate putativæ carnis, sed in substantia vera ac reali apparuisse, unde sumpta esset substantia illa: *Unde unde sumpta*, ut ipse ait.

VII. Alii aderant Hæretici, qui fatebantur quidem veritatem carnis Jesu Christi; contendebant autem, hanc non a Maria, sed de sideribus, & de substantiis superioris mundi mutuatum esse: idque probabant exemplo Angelorum, quibus innatum corpus tribuebant. Errorem hunc tuebantur discipuli Marcionis, & inter cæteros Apelles, eorum facile princeps, quem refutat Tertullianus, distinctionem ostendens, quæ inter carnem Jesu Christi, & carnem Angelorum admitti debet. „ Comparent velim, inquit ille, caussam „ tam Christi, quam Angelorum, ob quas in carne „ processerint. Nullus unquam Angelus ideo descen„ dit, ut crucifigeretur, ut mortem experiretur: ha„ bes caussam, cur non nascendo acceperint carnem. „ *Non venerant mori, ideo nec nasci. At Jesus Christus, mori missus, nasci quoque necessario habuit, ut mori posset*. Non enim mori solet, nisi quod nascitur: mutuum debitum est inter se nativitati cum mortalitate. Hinc cum Jesus Christus mortuus sit, oportuit eum nasci.

Objectio contra hanc veritatem a Tertulliano soluta. Ibid. c. 7.

VIII. Apelles e contra objiciebat, Jesum Christum iis qui nuntiaverant ei, Matrem suam & fratres suos foris stare &c. respondisse; Quæ mihi mater, & qui mihi fratres? atque hinc ex ipsius Christi Domini verbis concludebat, eum vere natum non esse, cum nollet tamquam matrem, ac fratres agnoscere illos, qui nihilominus uti tales putabantur. Tertullianus respondet: *Primo quidem nunquam quisquam annuntiasset illi matrem & fratres ejus foris stare, qui non certus esset & habere illum matrem & fratres, & ipsos esse, quos tunc nuntiabat*. Sed tentandi gratia nuntiaverant ei matrem & fratres, quos non habebat, reponebat hæreticus Apelles. Quid tentandum putaverunt in illo? respondet Tertullianus, utique natusne esset, an non? Si de nativitate ejus dubitabant, curnam positive nuntiaverunt ei, matrem ac fratres ejus foris stare &c. eo adjicimus, etiam si tentandus esset de nativitate, non utique hoc modo tentaretur, eam personarum annuntiatione, quæ poterant etiam nato Christo non fuisse: adeo non competit tentatio nativitatis, quam licebat & sine matris & sine fratrum nominatione constare. 2°. Utique videtur non agnovisse matrem ac fratres, at id verum est in eo sensu, quo ipse docuit, negandos esse propinquos pro Dei opere: *Negavit itaque parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere*. 3°. Hæc Jesu Christi responsio fuit figura Synagogæ in matre abjunctæ, & Judæorum in fratribus incredulis. Foris erat in illis Israel; Discipuli autem novi intus audientes, & credentes, & cohærentes Christo, Ecclesiam deliniabant, quam potiorem matrem, & digniorem fraternitatem, recusato carnali genere nuncupavit. Eodem sensu denique & illi exclamationi respondebit; non matris uterum & ubera negans, sed feliciores designans, qui verbum Dei audiunt.

Objectio alia contra eandem veritatem soluta c. 8. & 9.

IX. Opponebat insuper Apelles, scriptum esse: Primus homo de terra limo, secundus homo de coelo. Tertullianus egregie respondet, differentiam hanc respicere spiritum, non autem carnis substantiam, quæ in utroque homine eadem est: *Legimus plane: Primus homo de terra limo, secundus homo de cælo. Non ad materiæ differentiam spectat; sed tantum terrenæ retro substantiæ carnis primi hominis, id est Adæ, cælestem de spiritu substantiam opponit secundi hominis, id est Christi, & adeo ad spiritum, non ad carnem, cælestem hominem refert*. Quoad Christi carnem, hæc non differt a carne Adæ, cum utraque easdem passa sit necessitates, easdemque infirmitates: esuriit quippe Salvator, sitiit, lacrymatus est, trepidavit ad mortem, sanguinem fudit: quæ omnia prædicari nequeunt, nisi de carne terrestri ac animali, sicuti est caro nostra.

Alia Objectio. cap. 10.

X. Ad id quod insuper objiciebatur, carnem scilicet Jesu Christi animalem fuisse, ideoque quod ejus anima caro sit facta, & anima ejus carnea fuerit; respondet Tertullianus, absurdum id esse, cum juxta illius sententiæ patronos, animæ nostræ solius liberandæ caussa processerit Christus ex una parte; ex altera vero, ut animam salvam faceret in semetipso susceperit animam Christus, quia salva non esset nisi per ipsum, dum in ipso: igitur, si animam carneam habuit Christus Dominus, non liberavit animam nostram, quæ spiritualis est, & a carne disjuncta: *Cæterum non nostram animam liberavit, si carneam habuit; nostra enim carnea non est*. Dicendum igitur est, vel animam nostram participem non esse Redemptionis, aut animam Salvatoris fuisse spiritualem, non secus ac anima nostra, ideoque a carne distinctam. Hoc pacto Corpus Jesu Christi remanet in integritate suæ substantiæ & suæ nativitatis.

ARTICULUS TERTIUS.

DE PROPRIETATIBUS, ET INSIGNIORIBUS CIRCUMSTANTIIS INCARNATIONIS.

Probatur, Jesum natum esse ex Virgine. Lib. de Carne Christi, cap. 17.

I. JEsum Christum debuisse nasci ex Virgine innumeris in locis tuetur Tertullianus; præcipue vero in suo Tractatu de Carne Christi, ex quo omnia in præsenti articulo dicenda excerpemus. *Primo* veritatem hanc probat hoc Isaiæ vaticinio: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium: *Concepit igitur*, ait ille, *& peperit Emmanuelem, nobiscum Deum*. Secundo, eamdem veritatem sic probat: *In Virginem enim adhuc Evam irrepserat Verbum ædificatorium mortis. In Virginem æque introducendum erat Verbum extructorium vitæ; ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem*.

Antithesis Evam inter & Mariam. Ibid.

II. „ Crediderat Eva serpenti: credidit Maria Ga„ brieli. *Quod illa credendo deliquit, hæc credendo de„ levit*. Eva tunc concepit in utero ex diaboli verbo, „ & enixa est denique diabolum fratricidam: Contra, „ Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Israel, in„ teremptorem suum, salvum quandoque præstaret. In „ vulvam ergo Deus Verbum suum detulit, bonum „ fratrem, ut memoriam mali fratris (Cain) erade„ ret .... Non competebat, ait insuper Tertullianus, „ ex semine humano Dei Filium nasci; *Ne si totus „ esset filius hominis, non esset & Dei Filius*; nihil„ que haberet amplius Salomone, & amplius Jona; „ & de Hebionis opinione credendus erat. „ Et paucis interjectis habet: *Itaque sicut nondum natus ex Virgine, Patrem Deum habere potuit sine homine matre; æque ... potuit matrem habere hominem sine homine patre*.

Probatur, Jesum nasci debuisse ex Virgine. Ibid.

Ibid. c. 20. & 22.

III. Perperam autem quis objiceret cum hæretico Valentino, Jesum Christum natum esse per Virginem, non autem ex Virgine, cum Scriptura dicat, *Quod in ea natum est*; non vero, quod ex ea natum est, *Non ex ea*: Tertullianus enim innumera Scripturarum oracula in medium profert, in quibus expresse dicitur, Jesum Christum ex Virgine natum esse. *Si Verbum*, scribit eruditus hic Doctor, *ex se Caro factum est, jam ipsum se concepit & peperit*. Si hoc autem verum est, jam vacat Prophetia de Messia ex Virgine nascituro: tacebit igitur Elisabeth, quæ salutat Mariam, Matrem Dei: Christus non erit flos egregius de radice Jesse, nec Filius David, & Abrahæ, cum talis esse non possit, nisi quatenus Filius Mariæ, cujus Majores fuere David, ac Abraham. Igitur qui in hoc errore versantur, deleant testimonia dæmonum, Filium David proclamantia Jesum: sed testimonia Apostolorum delere non poterunt, cum omnes unanimiter idipsum tradant. „ Sed agnoscimus, addit Tertullianus, adimpleri pro„ pheticam vocem Simeonis super adhuc recentem „ infantem pronuntiatam: Ecce hic positus est in rui„ nam & suscitationem multorum in Israel, & in si„ gnum quod contradicetur. Agnoscimus ergo signum „ contradicibile, conceptum & partum Virginis Ma„ riæ; de quo Academici isti, peperit, (ajunt) & „ non peperit: Virgo, & non Virgo ... Sed apud „ nos nihil dubium, nec retortum in ancipitem defen-

„ fensio-

II. & III. SAECULUM.

„ fensionem: Lux, lux; & tenebræ, tenebræ; &c, „ Est, est, &c, Non, non. Quod amplius, hoc a malo est.„ Tertullianus ostendit insuper hoc loco, quomodo Maria Virgo fuerit simul & Mater.

Divina Maternitas Beatæ Virginis. Apolog. cap. 21.

IV. Videndum hoc loco esset, num Tertullianus crediderit perpetuam Mariæ Virginitatem. Verum ne nimis a nostro argumento recedamus, alio loco hanc quæstionem pertractabimus, quæ in Tertulliano suas patitur difficultates: nunc autem ea solum afferemus, quæ scribit Tertullianus de Divina Maternitate ejusdem Beatæ Virginis Mariæ. Loquitur primo de hoc Catholico Dogmate in suo Apologetico his verbis: *Iste igitur Dei radius* (loquitur de Verbo) ... *delapsum in Virginem quamdam, & in utero ejus caro figuratus, nascitur homo Deo mixtus.* Illa autem est vera Dei Mater, quæ Deum in utero recipit, illique veram carnem tribuit, atque in lucem edit. Cæterum, phrasis hæc, *homo Deo mixtus*, nullam importat confusionem in duabus Jesu Christi naturis, in Tertulliani sensu, quem infra seorsum exponemus. Verum magis accurate seipsum explicat Pater iste circa Divinam Mariæ Maternitatem, cum ait, Deum voluisse nasci in utero Matris: *Nasci se Deus in utero patitur Matris:* & Mariam prægnantem fuisse Verbo Dei: *Virgo Maria Verbo Dei prægnans.* Perspicua adeo sunt hæc verba, ut nihil his addi possit.

Lib. de Patientia. cap. 3. Lib. contra Judæos cap. 13.

V. Ex hue usque dictis de Divinitate & Incarnatione Verbi, nullo negotio deprehendere quisque potest, Tertullianum duas fateri Jesu Christi naturas, quarum una est humana, altera divina. Quia vero hæc veritas maximi est momenti, unde sub peculiari titulo pertractari debeat, hinc aliqua hujusce Patris testimonia exscribemus, ut quid ipse sentiret de hoc articulo, omnibus innotescat. 1°. Distinctionem duarum naturarum clarissime designat, cum ait, Filium Dei, prout homo est, infra Angelos diminutum esse; non posse autem infra Angelos haberi, prout est Spiritus Dei, & virtus Altissimi, cum hoc modo consideratus, sit Deus, & Dei Filius: *Sic infra Angelos diminutus, dum homo fit, qua caro & anima & Filius hominis, qua autem Spiritus Dei, & virtus Altissimi, non potest infra Angelos haberi, Deus scilicet, & Dei Filius.* 2°. in Tractatu adversus Praxeam non uno in loco expresse meminit duarum naturarum, earumque proprietates distinguit & operationes: declarat enim, Jesum Christum esse Deum & hominem, esse æque Filium Dei, & filium hominis, secundum differentiam duarum naturarum, quæ in ipso distinguuntur per diversas proprietates: *Deum & hominem ... Filium Dei & Filium hominis ... sine dubio secundum utramque substantiam, in sua proprietate distantem*, quia, addit ipse, neque sermo aliud quam Deus, neque caro aliud quam homo. Nulla igitur confusio habetur in duabus Jesu Christi naturis, sed ab invicem distinguuntur per proprias proprietates.

VI. Idipsum pariter docet inferius cum ait; *Videmus duplicem statum, non confusum, sed conjunctum in una persona, Deum & hominem Jesum. Et adeo salva facta est utriusque proprietas substantiæ, ut & Spiritus* (hoc est, Deus) *res suas egerit in illo, idest virtutes, & opera, & signa; & caro* (hoc est, homo) *passiones suas functa sit, esuriens sub diabolo, sitiens sub Samaritide, flens Lazarum, anxia usque ad mortem, denique & mortua est.* Distinguit deinceps in Jesu Christo duas substantias, divinam, & humanam, atque, secundum primam Jesum Christum esse immortalem, secundum aliam vero esse mortalem: *Eum mortuum, qua carnem & hominem, & filium hominis, non qua spiritum & sermonem & Dei Filium ... ita utriusque substantiæ census hominem & Deum exhibuit, hinc natum, inde non natum; hinc carneum, inde spiritualem* (hoc est, Deum & hominem;) *hinc infirmum, inde præfortem, hinc morientem, inde viventem.* Clarissime igitur ex his omnibus patet, Tertullianum duas naturas in Jesu Christo agnoscere, ac duo operationum genera, quæ harum naturarum propria sunt, & unam ab altera distinguunt: sed constat etiam eodem tempore, duas hasce naturas, etsi ab invicem discrepantes, per hypostaticam unionem in Jesu Christo reperiri, hoc est in una sola persona. Quarum veritatum prima opponitur errori Eutichianorum, secunda Monothelitarum, tertia Nestorianorum, quia duas personas in Jesu Christo admittebant.

VII. Tantum aberat Tertullianus ab errore Nestorianorum, ut aperte fateatur, Deum vere natum esse, mortuum, sepultum, ac resuscitatum. *Nonne vere*, ait ille, *crucifixus est Deus, nonne vere mortuus ... nonne vere resuscitatus?* His addi potest quod supra ex eodem retulimus: *Virgo Maria Verbo Dei prægnans:* quæ quidem Nestorianorum nemo audebit unquam asserere. Non patitur autem Tertullianus, quemquam ex dictis inferre, & Patrem passum esse cum Filio, cum sit Deus non secus ac Filius, ejusdemque naturæ: errorem hunc refutat iste Doctor ad calcem sui Tractatus adversus Praxeam, & catholicam veritatem huic errori oppositam ex eo præcipue probat, quod si Pater passus esset una cum Filio, ille in cruce non exclamasset, Deus Deus meus ut quid dereliquisti me. Cæterum, Jesus Christus, prout docet Tertullianus, est legitimus & verus Dei Sacerdos; est *Catholicus Patris Sacerdos*; est verum Dei templum; Agnus Dei; panis sanctus de coelo a Deo missus; fons aquæ vivæ; solus a peccato exemptus; qui ideo incarnatus est, ut ab iniquitate nos liberaret: *Cum Christus non alia ex caussa descenderit, quam peccatorum liberandorum.* Hæc sunt, quæ de hoc mysterio Tertullianus docet.

CAPUT DECIMUM.

DE SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS.

NON omnia hic afferre in animo est, quæ tradit Tertullianus de Sacramentis Novæ Legis, cum multa in eo occurrant, quæ Disciplinam solummodo respiciunt, de qua in peculiari quadam Sectione pertractare volumus. Hic igitur ea tantum proferemus, quæ Sacramentorum Dogma pertingunt; & a Baptismo initium ducimus, cum sit primum Ecclesiæ Sacramentum, ac magis necessarium.

ARTICULUS PRIMUS.

DE BAPTISMO.

I. DE hoc Sacramento distincte adeo & accurate loquitur Tertullianus in quodam Tractatu, quem expresse de Baptismo concinnavit, ut optima quidem res esset illum per extensum hic exscribere: quia vero in immensum abiret oratio si omnia quæ de Baptismo tradit Tertullianus, persequi vellemus; hinc ea solum, quæ majoris momenti sunt quoad Dogma in medium afferre aggredimur. Quia hujus Doctoris ætate nonnulli aderant, qui simplicitatem aquæ quæ est Baptismi materia, considerantes, credere non poterant, hanc supranaturales effectus producere posse, qui illi adscribuntur; hinc Pater iste illico aquæ excellentiam ostendit omnibus iis Scripturæ oraculis, quæ elementi hujus cæteroquin communissimi dignitatem & miram virtutem prædicant. Scribit inter cætera, quod a primordio Spiritus Sanctus ferebatur super aquas, quia aqua cæteris tunc elementis ei gratior erat: *Habes aquarum dignationem; quod Divini Spiritus sedes, gratior scilicet cæteris tunc elementis.* Insuper, quod dispositio mundi modulatricibus quodammodo aquis Deo constitit; quod aquæ animalia protulerunt, *& ipsius quoque figulandi hominis opus, sociantibus aquis absolutum est.* Cum igitur Deus aqua usus sit in efformatione creaturarum suarum, nil mirum esse debet, si in Sacramentis suis eamdem parere faciat: *Materiam, quam in omnibus rebus & operibus suis Deus disposuit, etiam in Sacramentis suis propriis parere fecit.* Hoc pacto Tertullianus iis silentium indicit, qui aquas aspernabantur, ostenditque irrationabiliter eosdem operari, dum ex efficacissima simplicitate operum Dei adeo obdurabant cor, adeo mentem excæcabant, ut eadem Dei opera agnoscere recusarent, & fidem per id evertere conarentur, quod est ejusdem fundamentum.

Excellentia aquæ, quæ est materia Baptismi. Lib. de Baptism. cap. 3.

II. Aqua itaque, juxta Tertulliani Doctrinam, est materia Sacramenti Baptismi, & in ejusdem Sacramenti administratione nulla est aquæ distinctio, dummodo sit aqua naturalis. *Nulla distinctio est mari quis, an stagno, flumine, an fonte .... diluatur:* „ nec „ quicquam refert inter eos, quos Joannes in Jorda„ ne, & quos Petrus in Tyberi tinxit .... *Omnes aquæ Sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim* (per virtutem hujus invocationis, quæ absque dubio non aliud est, quam formula, qua Baptismus confert) *Statim Spiritus de cælis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso; & ita sanctificatæ, vim sanctificandi combibunt.* Postrema hæc verba apertissime ostendunt, Sacramentum Baptismi ex propria virtute operari, ac agere veluti caussa vera agit & operatur ex seipsa: *Ex opere operato*, ut modo loquuntur Scholæ ad exponendam ingenue fidem Ecclesiæ quoad modum operandi Sacramentorum.

De Aqua Baptismali & ejus virtute. cap. 4.

III. Etsi doceat Tertullianus, ut supra vidimus, nullum haberi discrimen inter eos, quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tyberi baptizavit: *Nec quicquam refert, inter eos quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tyberi tinxit*; nihilominus credere non debemus, eosdem effectus produxisse Baptismum Joan-

De Baptismo S. Joannis. Ibid.

nis, quos producebat Baptismus Petri collatus in nomine Jesu Christi: Doctrina enim hic tradita a Tertulliano non respicit paritatem effectus, sed unice agit de indifferentia aquæ, cum ad Baptismum aqua Jordanis apta sit æque ac aqua Tyberis: Hæc siquidem est Tertulliani mens, ut eruitur ex verbis immediate ante prolatis: nulla distinctio est mari quis, an stagno, flumine, an fonte diluatur. Præterea idipsum ostenditur ex eo, quod nunquam Doctor iste tribuit Baptismo Joannis virtutem & efficaciam Baptismi Jesu Christi. *Nos porro*, inquit Tertullianus infra, *possumus æstimare, divinum quidem eum (Joannis) Baptismum fuisse, mandato tamen, non & potestate, quod & Joannem a Domino missum legimus in hoc munus; cæterum humanum conditione: nihil enim cœleste præstabat, sed cœlestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus.* Cæterum, observandum id est, quod Tertullianus habet in allato textu, Divum Petrum scilicet in Tyberi Baptismum contulisse; ex quo eruitur contra Calvinistas, Sanctum hunc Apostolum saltem per aliquod tempus Romæ commoratum esse.

Cap. 10.

IV. Angelus Domini, prout docet Tertullianus, salutaribus Baptismi aquis præest, quemadmodum olim præerat Piscinæ, quæ erat Bethsaide: discrimen autem intercedit inter aquas hujus Piscinæ, & aquas Baptismi: nam aqua Piscinæ erat medicina corporalis, aqua vero Baptismi est medicina spiritualis, quæ salutem animæ operatur, & a reatu ac pœna eamdem liberat: *Exempto scilicet reatu, eximitur & pœna; ita restituitur homo ad similitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei fuerat*: recipit enim illum Dei Spiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum. *Non quod in aquis*, prosequitur Tertullianus, *Spiritum Sanctum consequamur, sed in aqua emundati sub Angelo, Spiritui Sancto præparamur.* Nec Lectorem morari debent hæc Tertulliani verba: *Non quod in aquis*, (vel per aquas Baptismi) *Spiritum Sanctum consequamur*; loquitur enim hoc loco sapientissimus Doctor de plenitudine Spiritus Sancti, quæ non acquiritur nisi in Sacramento Confirmationis: hinc per Baptismum præparamur non ad recipiendum absolute Spiritum Sanctum, quem tamen consequimur etiam in hoc Sacramento, ut ipse docet Tertullianus, sed ad recipiendam ejus plenitudinem in Sacramento Confirmationis; quod sane Sacramentum, hujus Patris ævo, immediate post Baptismum ministrari consueverat, ut infra videbimus. Hæc antequam animadverterem, jam animadverterat Dominus Dupin. Observandum etiam hic obiter est, Baptismum æque remittere reatum peccati, ac ejus culpam.

Effectus Baptismi. cap. 5.

V. Absolutam Baptismi necessitatem expresse tuetur Tertullianus: ait enim, a Christo impositam esse legem tingendi, ac formam præscriptam cum dixit Apostolis suis: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti (*a*): *Lex enim tingendi imposita est, & forma præscripta: Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Docet insuper, Salvatorem ostendisse absolutam hujus Sacramenti necessitatem, cum ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei (*b*). Poterat quidem homo, docet idem Pater, ante mortem & resurrectionem Salvatoris ad æternam salutem pervenire per solam fidem; at deinceps addita est obsignatio Baptismi: *Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem & resurrectionem. At ubi fides aucta est credendi in Nativitatem, passionem, resurrectionemque ejus, addita est ampliatio Sacramenti, obsignatio Baptismi.* Itaque omnes exinde credentes tingebantur: tunc & Paulus, ubi credidit, tinctus est. Animadvertendum hic est, per Tertullianum, solummodo post mortem & resurrectionem Jesu Christi necessarium fuisse credentibus Baptismum: quam opinionem probat ille sequentibus rationibus.

Necessitas Baptismi. cap. 13.

VI. Contra Necessitatem hujus Sacramenti objiciebant 1°. quod venit Dominus, & non tinxit. 2°. Apostolos ipsos, in Domino tinctos non fuisse, hoc est, non recepisse Baptismum Jesu Christi: 3°. Divum Paulum, ut fatetur in prima ad Corinthios Epistola, missum non esse baptizare, sed evangelizare (*c*). Ad primum respondet Tertullianus, quod licet Dominus non tingeret, tamen tingebat per Discipulos suos. Deinde, quænam necessitas urgebat, ut ipse tingeret? In quem enim tingeret? inquit Tertullianus. In pœnitentiam? quo ergo illi Præcursorem? In peccatorum remissionem? quam verbo dabat. In semetipsum? quem humilitate celabat. In Spiritum Sanctum? qui nondum a Patre descenderat. *Itaque*, concludit vetustus hic Doctor, *tingebant Discipuli ejus* (ut Ministri).... *eodem Baptismo Joannis*: tunc enim Baptismus Christi a discentibus dari non poterat, utpote nondum adimpleta gloria Domini, nec instructa efficacia lavacri per passionem & resurrectionem: *Quia nec mors nostra dissolvi posset, nisi Domini passione, nec vita restitui sine resurrectione ipsius.* Huic Tertulliani opinioni subscribere nolo, cum satis valido fundamento non innitatur: hinc adstipulari malo Doctrinæ Theologorum, qui Baptismum ab Apostolis collatum, idem fuisse tradunt & ante, & post mortem Jesu Christi, ac eamdem habuisse virtutem, eosdemque gignisse effectus, in virtute tamen futuræ hujus mortis, quæ operabatur in veteri Testamento, & potiori jure in novo antequam etiam adimpleretur; hujus quippe Auctor est *Agnus, qui*, ut tradit Scriptura, *occisus est ab origine mundi*.

Cur Jesus Christus non baptizaverit. cap. 11.

VII. Ad secundam difficultatem quod attinet, Apostolos scilicet non recepisse Jesu Christi Baptismum, respondet Tertullianus, saltem negari non posse, quod Joannis Baptismo tincti fuerant, & Dominicum desiderabant. Cæterum, *Sive tincti quoquo modo fuerunt*, inquit ille, *sive intoti perseveraverunt*, ... *de salute tamen Apostolorum satis temerarium est æstimare .... cum illi sequebantur illum, qui credenti cuique salutem pollicebatur.* Hæc indirecta Tertulliani responsio prudentissima est; neque ex Scripturis enim, neque ex Traditione constat, Apostolos Jesu Christi Baptismo tinctos esse: sed quidquid de hoc sit, semper temerarium erit de eorum salute ambigere, ut egregie ostendit Tertullianus, & nonnullis ex Evangelio petitis exemplis confirmat.

An Apostoli Baptismū receperint. cap. 12.

VIII. Quoad tertiam vero difficultatem, Divum Paulum scilicet non fuisse missum ut baptizaret, hæc nullatenus destruit necessitatem Baptismi: ex eodem enim Apostolo constat. 1°. se tinxisse Gajum, & Crispum, & Stephanæ domum. 2°. etsi non eum miserat Christus ad tingendum, tamen aliis Apostolis præceperat tingere. 3°. hæc pro conditione tunc temporis ad Corinthios scripta sunt, cum schismata & dissensiones inter illos moverentur, cum nonnulli se Pauli dicerent, alii vero Apollo: propter quod pacificus Apostolus, ne sibi omnia defendere videretur, non ad baptizandum ait se missum, sed ad prædicandum; nam & prius est prædicare, posterius baptizare; sed licet ei baptizare, cui licuit prædicare.

In quo sensu accipiendum illud D. Pauli, se non fuisse missum ut baptizaret. cap. 14.

IX. *Unus Baptismus est nobis*, ait insuper hic Pater, *tam ex Domini Evangelio, quam ex Apostoli litteris*; „ quoniam unus Deus, & unum Baptisma, & una „ Ecclesia in cœlis „. *Semel ergo lavacrum inimus, semel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet.* Cæterum, Israel Judæus quotidie lavat, quia quotidie inquinatur: *Quod ne in nobis quoque factitaretur, propterea de uno lavacro definitum est.* Ratio, quia hoc loco utitur Tertullianus quoad Baptismum non iterandum, attenta consideratione est digna: justitia Judæorum innumeras requirebat purificationes, quia quotidie inquinabatur; justitia autem Christianorum una tantum indiget purificatione, quia perseverare debet, & post Baptismum peccata iterari non debent.

Unitas Baptismi Christianorum. cap. 15.

X. Cum Hæretici extranei sint, & Ecclesiæ Doctrinam non participent; hinc Tertullianus vetat eos participare unicum Baptismum Christianorum. *Non debeo*, inquit ille, *in illis cognoscere quod mihi* (Ecclesiæ filio) *est præceptum; quia non idem Deus est nobis & illis; nec unus Christus, idest idem, ideoque nec Baptismus unus, quia non idem; quem cum rite non habeant, sine dubio non habent .... Nec possunt accipere*, subdit ille, *quia non habent.* Hæc Tertulliani verba, rigorose sumpta, & de omnibus in genere Hæreticis intellecta, errorem sapiunt, qui nullo modo excusari posset; verissima autem sunt, si de his solummodo Hæreticis intelligantur, qui Baptismi formam vitiabant. Est autem plusquam verisimile, Tertullianum in hoc secundo sensu locutum esse, quoniam omnes ferme sui ævi Hæretici aut forma Baptismi utebantur, quæ diversa erat a forma Ecclesiæ, aut eamdem formam Ecclesiæ in diverso a Catholicis sensu intelligebant, eumdem Patrem non agnoscentes, neque eumdem Filium. Vide dicta superius de antiquis Hæresibus in S. Irenæo.

Baptismus Hæreticorum illegitimus. cap. 15.

XI. Præter Baptismum aquæ, alium admittit Baptismum Tertullianus, scilicet Baptismum sanguinis, quem appellat secundum Baptismum: *Est quidem nobis etiam secundum lavacrum unum & ipsum, sanguinis scilicet.* Hoc sanguinis lavacrum, unicum est, sicuti & lavacrum aquæ: *illum*. In utroque lavacro tinctus est Jesus Chri-

Baptismus sanguinis. cap. 16.

(*a*) Math. cap. 28. v. 19.
(*b*) Joann. cap. 3. v. 5.

(*c*) Cap. 1. vers. 17.

II. & III. SAECULUM.

Christus; venerat quippe per aquam & sanguinem, ut constat ex Evangelio: quin immo, *Hos duos Baptismos de vulnere perfossi lateris emisit . . . . Hic est Baptismus* (sanguinis), *qui lavacrum* (aquæ) *& non acceptum repræsentat, & perditum reddit*. Cum indubium sit, hæc intelligi de Martyrio; hinc æque evidens est, Martyres salvari etiam absque Baptismo aquæ, quando illo lavari non possunt.

XII. Nec poterat Tertullianus de efficacia Baptismi sanguinis aliter sentire; Tertullianus, inquam, qui furente etiam persecutione summam requirebat prudentiam in iis, quibus ministrandi Baptismi munus incumbebat; & patiebatur potius ut protraheretur ejusdem collatio, quam ut indiscriminatim omnes tingerentur. Cæterum, Baptismum, inquit Pater iste, non temere credendum esse, sciant quorum officium est: immo illud potius perspiciendum: Nolite dare sanctum canibus, & porcis projicere margaritas vestras &c. Si Philippus tam cito tinxit Eunuchum (de quo loquuntur Acta Apostolorum (a)), recogitemus manifestam & exertam dignationem Domini intercessisse. Sed & Paulus revera cito tinctus est (b), cito enim cognoverat Simon hospes vas eum esse electionis constitutum: ex his autem quæ extra ordinem sunt ac peculiaria prorsus, nequit inferri illatio pro omnibus omnino hominibus. Itaque pro cujusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate, cunctatio Baptismi utilior est: *præcipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, Sponsores etiam periculo ingeri?* (scilicet si exonerare non valent fidem Ecclesiæ præstitam pro parvulis, quorum nomine respondent), *quia & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli*. Ex his infert Tertullianus, Adolescentes solummodo ad Baptismi Sacramentum accedere debere, cum hujus Sacramenti & necessitatem, & obligationes nosse possunt: *Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur. Fiant Christiani cum Christum nosse potuerint . . . . Non minori de caussa*, ait insuper, *innupti quoque procrastinandi . . . . donec aut nubant, aut continentia roborentur*. Hæc erat Tertulliani opinio, quæ in periculis fundatur amittendi gratiam Baptismi, si secus agatur: nihilominus Ecclesiæ praxis & hodie opponitur, & semper huic opinioni opposita fuit. Mater hæc piissima, & filiorum suorum amantissima maluit semper Sacramenta exponere quam fidelium salutem. Hinc etsi Tertullianus vehementer admodum cunctationem Baptismi peroptet, tamen oppositam praxim formaliter non damnat, quæ maximam etiam illius ævo obtinebat auctoritatem; & in superius dictis periculum solummodo ostendere vult, quod gratia Baptismi per hanc praxim subire posset: quod quidem demonstrat, parvulorum Baptismum suas pati difficultates, minime vero nullum esse aut illegitimum. Subjungit utique Tertullianus: *Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?* ast alibi videbimus, hanc innocentiam, quam in parvulis supponit Doctor iste, non esse immunitatem a peccato Originali, quo omnes homines ante Baptismum infici docet.

Tertulliani opinio supra Baptismi Infantium. cap. 18.

XIII. Ad Ministrum Baptismi quod attinet, hunc communiter esse Episcopum tradit: *Dandi quidem* (*Baptismi*) *jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate*. Ex quibus eruitur, primis Ecclesiæ sæculis Diaconos & Presbyteros ordinario Sacramentum hoc non ministrasse. Verum praxis hæc ad Ecclesiæ Disciplinam referri debet, cum Presbyteri sint ordinarii hujus Sacramenti Ministri; & idipsum concedere videtur Tertullianus, dum immediate post verba superius allata, id fieri consuevisse ait *propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est*.

Episcopus ordinarius Minister Baptismi. cap. 17. Presbyteri & Diaconi Ministri extraordinarii.

XIV. Cum Lavacrum necessarium sit, ut supra demonstratum est, nemini mirum videbitur, si Tertullianus laicis ipsis facultatem illud ministrandi concedit; id autem intelligi debet in solo casu necessitatis, ut ex sequentibus hujus Auctoris verbis eruitur: *Baptismus, æque Dei census, ab omnibus exerceri potest . . . sufficiat scilicet, in necessitatibus utaris, si ubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis . . . . Quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare, quod libere potuit*. Absit autem ut quis inde credat, Tertullianum docuisse damnationem adultorum, qui decedunt absque Baptismo, quem in votis habuere, cum paulo infra scribat: Si qui pondus intelligant Baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem: *Fides integra secura est de salute*. De his igitur desperandum non est, qui absque Baptismo aquæ ex hac vita migrarunt, dummodo illum in votis habuerint. Solum hoc desiderium ac votum, modo sincerum sit, & ex vera fide, hominem justificat. Quando igitur Tertullianus ait, quod si quis supersederit præstare quod libere potuit, reus erit perditi hominis, id unum significare vult, quod reus erit, quantum in se est, periculi, cui exponitur qui sine necessario hoc Sacramento decedit. Hoc autem non impedit fidei effectum in illo, qui hoc pacto moritur.

Laici Ministri Baptismi in casu necessitatis. Ibid.

XV. Non sine aliquo fundamento usque adhuc crediderunt eruditi, Tertullianum denegasse mulieribus potestatem baptizandi: habet enim „Petulantia autem „mulieris, quæ usurpavit docere utique non etiam „tingendi jus sibi pariet; nisi si quæ nova bestia „evenerit similis pristinæ (hoc loco intelligit fœminam quamdam, quæ *Quintilla* appellabatur): ut „quemadmodum illa Baptismum auferebat, ita aliqua „per se eum conferat. Quod si quæ Paulo perperam „adscripta sunt, ad licentiam mulierum docendi, tingendique defendunt; sciant in Asia Presbyterum, „qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de „suo cumulans, convictum atque confessum id se „amore Pauli fecisse, loco decessisse „. *Quam enim* subjungit ille, *fidei proximum videretur, ut is docendi & tingendi daret fœminæ potestatem, qui ne discere quidem constanter mulieri permisit*. Idque confirmat hoc Apostoli oraculo: Mulieres in Ecclesia taceant . . . & domi viros suos interrogent (c). Dicendum autem est, inquit in hunc locum Dominus Ceillier (d), Tertullianum hic præ oculis habere quasdam hæreticas mulieres, quæ verosimiliter potestatem sibi ex propria auctoritate usurpabant baptizandi, etiam extra casum necessitatis. In hoc tantum sensu, addit ille, intelligi possunt hæc verba: *Ut quemadmodum illa* (*Quintilla*) *Baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat*. Hoc posito, jure meritoque Tertullianus coercet petulantiam harum mulierum, cum Presbyteri & Diaconi non tingerent nisi ex facultate Episcopi. Animadversioni huic magnopere favet Tertulliani textus; non est tamen aperte certa.

Mulieribus permissum non est baptizare. cap. 17.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Confirmatione, et de Eucharistia.

I. IN eodem de Baptismo Tractatu loquitur Tertullianus de Confirmatione. „Egressi de lavacro, „inquit Pater iste, perungimur benedicta unctione de „pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in Sa„cerdotium solebant . . . . *Sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit; quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritalis effectus, quod delictis liberamur*. Etsi præcise non deprehendatur, num loquatur hoc loco Tertullianus de ea unctione Baptismi, vel de unctione Confirmationis; nihilominus mihi videtur affirmari posse absque periculo, quod de secunda verba faciat. In textu etiam ejusdem Auctoris nonnulla momenta occurrunt, quæ huic conjecturæ favere videntur. 1°. enim Tertullianus loquitur de Unctione, quæ producere habet spiritualem effectum, quod sane affirmari nequit de verticali unctione Baptismi, quæ non est nisi simplex quædam cæremonia; cum e contra Unctio in Confirmatione esse possit hujus Sacramenti materia. 2°. Tertullianus distinguit Unctionem, de qua sermonem instituit, ab actione Baptismi, illique tribuit effectum diversum ab effectu, quem in nobis Baptismus producit. Ejusdem Tertulliani verba, quæ supra recitavimus distinctionem hanc evidenter demonstrant. In allato igitur Tertulliani textu non est sermo de Baptismo, ideoque nec de unctione Baptismi, sed de unctione alia ab eadem diversa, quæ sane sola unctio Confirmationis esse potest, cum Tertulliani ætate immediate post Baptismum Confirmatio conferri consueverit. Quæ modo dicta sunt, uti conjecturam proponimus, minime vero uti veritatem de qua nefas sit dubitare.

Unctio, materia Confirmationis. Lib. de Baptismo. cap. 7.

II. Alia, quæ magis certa est, hujus Sacramenti materia, est impositio manuum Episcopi. Tertullianus immediate post allata superius verba, de hac sic loquitur: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans*

Impositio manuum, alia materia hujus Sacramenti. Ibid. c. 8.

(a) Cap. 8.
(b) Cap. 9.

(c) I. ad Corinth. cap. 14. vers. 34. 35.
(d) Animadvers. Dom. Ceillier. Tom. 2. pag. 383.

vocans & invitans Spiritum Sanctum. Demonstrat deinde, hanc praxim imponendi manus vetustissimam esse, & in veteri Testamento deprehendi, in Jacob scilicet, qui hoc pacto morti jam proximus, benedixit filios Joseph: quibus præjactis, mirum non esse ait, quod Spiritus Sanctus in eos descendat, quibus manus impositæ sunt; ac apertissime docet, eumdem Spiritum, qui illapsus est Jesu Christo baptizato a Joanne, iis etiam illabi, qui hanc recipiunt manuum impositionem, ac super eos advolare, & pacem Dei afferre: *Tunc ille sanctissimus Spiritus, super emundata & benedicta corpora libens a Patre descendit*: & paucis interjectis habet: *Emergenti lavacro post vetera delicta columba Sancti Spiritus advolat, pacem Dei afferens*. Hic sane non agitur de Baptismo, cum meridiana luce clarius sit, Tertullianum tribuere distinctos effectus & Baptismo, & manuum impositioni, quam hoc loco memorat: Baptismo quidem remissionem peccatorum; impositioni vero manuum donum Spiritus Sancti. Distinguit insuper alio in loco duo hæc Sacramenta cum ait: *Caro abluitur, ut anima emaculetur .... Caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur*.

Lib. de Resurrect. Carnis. cap. 8.

Eucharistia, præsentia realis. ibid.

III. *Caro* statim subjungit, *corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur*. Notabiliora sane verba! quæ Eucharistiam respiciunt, & realem præsentiam Corporis & Sanguinis Jesu Christi in divino hoc Sacramento tuentur. Alibi etiam eamdem hanc veritatem docet, & auctoritate sua confirmat Tertullianus: hinc in suo Tractatu de Oratione explicans hanc Dominicæ Orationis petitionem, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, intelligit hæc verba non solum de pane communi, & Christo Jesu, qui est panis spiritualis fidelium; sed insuper de vero Corpore Jesu Christi, hoc est de Eucharistia: *Tum quod & corpus ejus in pane censetur, hoc est Corpus meum*. Nec quemquam morari debet hæc vox *censetur*, cum in rigore grammaticali idem significet ac *est*: etenim, uti optime animadvertunt Pamelius & Dominus Rigaut, vox *censetur* idem significat ac *est* apud Tertullianum, juxta modum loquendi Jurisconsultorum, quorum phrasibus persæpe ille utitur. Sensus figuratus Calvinistarum locum hic habere nequit, cum Tertullianus clarissime distinguat Jesum Christum prout est panis spiritualis, quo fideles aluntur per fidem; *Christus enim panis noster est, quia vita Christus, & vita panis*; & Jesum Christum prout vere existit in Eucharistia; *Tum quod & corpus ejus in pane censetur*. Si hoc secundo loco sermo esset de præsentia figurata, cur distinctionem posuisset inter verba hæc, & verba primo loco recitata, quæ reipsa figurate intelligenda sunt? Cur insuper, postquam appellavit Jesum Christum panem spiritualem animarum nostrarum, non illico verba hæc subtexuit, *Tum quod & corpus ejus in pane censetur*? Nonne voces istæ *tum quod* differentiam per seipsas ostendunt quæ habetur inter Tertulliani verba quæ præmissa sunt, & ea quæ subsequuntur. Igitur in postremis his verbis sermo est de vera ac physica præsentia Corporis Jesu Christi.

Tract. de Oration. cap. 6.

IV. Innumera possem insuper hujus Patris loca afferre, quibus Dogma de reali præsentia comprobatur: verum ne nimius sim, hoc tantum ejusdem testimonium ex libro adversus Marcionem exscribam: *Jesus Christus acceptum panem & distributum Discipulis, corpus, illum, suum fecit, hoc est corpus meum dicendo*. Perspicua adeo sunt verba hæc, ut nulli ambiguitati locus esse possit. Jesus Christus accipit panem, ac corpus suum, illum facit dicens: hoc est corpus meum: quibus sane verbis comprobata remanet uno eodemque tempore & præsentia realis, & transubstantiatio. Videri utique posset prima fronte, Tertullianum obtegere perspicuum suorum verborum sensum cum ait, immediate post superius allatum textum, *Id est figura corporis mei*. Verum hujusmodi voces nullum facessunt negotium, si in suo vero sensu sumantur, nec veritatem supra traditam vel minimum quidem obumbrant. Sive enim ad panem referantur, de quo eodem loco est sermo; sive sint explicatio horum verborum Salvatoris, Hoc est corpus meum, nihil reipsa includunt, quod Dogmati de reali præsentia opponatur. Si ad panem referuntur, id unum significare vult Tertullianus, panem scilicet in veteri Testamento fuisse figuram ac typum Corporis Jesu Christi, quod quidem nequaquam adversatur Dogmati de præsentia reali: Si vero conjungi debent cum his Salvatoris verbis, Hoc est corpus meum, inferri inde solummodo poterit, Tertullianum admittere figuras & symbola in Eucharistia. Numquid vero simplices sunt hæ figuræ, nuda hæc symbola, & absque reali existentia? id sane opinantur Calvinistæ, nunquam vero tradidit Tertullianus. Hinc ut nulla de hoc dubitatio supersit,

Lib. 4. contra Marcion. c. 40.

sat superque erit illud attendere ex quinto libro adversus Marcionem testimonium, in quo Tertullianus refutat errorem hujus Hæretici contra veritatem Incarnationis. Tuebantur Marcionitæ suum errorem quodam Scripturæ oraculo, in quo dicitur, Salvatorem formam servi induisse, ac in figura hominis inventum esse, ut tunc legebatur: *Figura inventus ut homo*. Tertullianus vero iisdem ostendit falso eos vocem hanc usurpare, *Quasi non & figura & similitudo & effigies substantiæ quoque non accedant*. Veritatem hujus interpretationis confirmat aliis huic simillimis Apostoli phrasibus, in quibus Jesus Christus appellatur imago Dei invisibilis; quæ phrases, ut inquit ille non obiciunt veritati Divinitatis Salvatoris. Idipsum igitur dicamus de his vocibus, *figura corporis mei*, sumptis in Tertulliani sensu; quoniam eo tantum pacto interpretari possunt; si enim in sensu opposito intelligerentur, contradictionis argueretur Pater iste, cum aliis in locis suorum Operum perspicue, & omni majori præcisione præsentiam realem tueatur. Si cui secunda hæc interpretatio non arridet, primæ inhæreat, quam magis naturalem, solidam, ac Auctoris sensum assequutam tradunt Theologi, ac demonstrant Pamelius, & Dominus Rigaut in eruditis suis Notis in hunc locum; ad quas Lectorem remitto, ne nimius sim, & actum agere deprehendar.

V. In dubium revocari nequit, apud Tertullianum in verum novæ Legis Sacramentum obtinuisse Eucharistiam, cum hoc nomine non uno in loco eamdem appellet. Hinc ut aliquod afferamus exemplum, in libro quinto adversus Marcionem eam vocat *Panis & calicis Sacramentum*: in libro de Corona expressis verbis eam dicit *Eucharistiæ Sacramentum &c.* Ulterius vero Tertulliani fides quoad hoc Dogma vel maxime ex eo probatur, quod ejusdem fatetur institutionem divinam, eique gratiam sanctificantem tribuit, ut constat ex superius allatis ejusdem testimoniis. Æque certum est, juxta Tertulliani principia, Eucharistiam esse verum sacrificium, hoc quippe nomine eam appellat pluribus in locis, uti in suo Tractatu de Oratione, in quo habet, capite decimoquarto, hæc verba: *Quale est sacrificium a quo sine pace receditur?* hoc est, ut ante semetipsum explicat, sine sancto osculo communionis: quod quidem ille intelligit de celebratione Eucharistiæ, ut textum totius Capitis percurrenti evidenter innotescit. Alia pariter Tertulliani loca quoad sacrificium Eucharisticum afferemus, quando de Disciplina sermonem habebimus.

Eucharistia, verũ Sacramentum. Lib. 5. contra Marcion. Lib. de Corona. cap. 3.

Eucharistia, Sacrificium. Lib. de Oration. cap. 14.

ARTICULUS TERTIUS.

DE POENITENTIA, ET DE MATRIMONIO.

I. TErtullianus peculiarem Tractatum de Pœnitentia concinnavit, quem pulchrum adeo ac elegantem nonnulli deprehenderunt, ut asserere ausi sint, inter hujusce Patris Opera hunc non debere recenseri. At certissimum est, Criticos istos deceptos fuisse, eamdemque elegantiam in aliquo Tractatu vetusti hujus Patris adinvenire, in iis præcipue, quos juvenis adhuc exaravit. In eo Tractatu, de quo nunc sermo est, duplex pœnitentiæ genus distinguitur; primum illas comprehendit pœnitentias, quas adulti ante Baptismum peragebant; secundum illas, quas peragebant pro peccatis post Baptismum patratis. Pauca de primo pœnitentiæ genere hic dicemus, ut prolixius quæ secundum pœnitentiæ genus respiciunt pertractare possimus. Ea solummodo notanda in genere volumus, quæ tradit ille Auctor: 1°. scilicet, pœnitentiam eorum qui non emendantur, esse pœnitentiam vanam. 2°. Deum dedicasse in semetipso primitias pœnitentiæ, quando pœnitentia ductus, si ita loqui fas est, rescidit sententiam mortis in prævaricatorem Adam jam latam, & promisit ignoscere operi manuum suarum, & imagini suæ: *Jam inde tu semetipso pœnitentiam dedicavit, rescissa sententia irarum pristinarum, ignoscere pactus operi & imagini suæ*. 3°. Debere eos qui Baptismo sunt initiandi, semetipsos probare, & multo ante se disponere, per veram peccatorum suorum pœnitentiam ad gratiam Baptismi, ne iterum diaboli jugum tollere cogantur. 4°. Eos, qui post Baptismum in peccata prolabuntur, non modo contumaces, sed etiam ingratos apparere, & non leviter in Dominum peccare; quippe cum æmulo ejus (Dei) diabolo pœnitentia renuntiassent, & hoc nomine illum Domino subjecissent, rursus eumdem regressu suo erigunt, & exultationem ejus seipsos faciunt; ut denuo malus, recuperata præda sua adversus Dominum, gaudeat: insuper ait, eos veluti comparationem egisse, & judicato pronuntiasse, eum meliorem,

Pœnitentia in genere, & præcipue illa, quæ Baptismo præmittebatur.

Lib. de Pœnitent. cap. 2.

Cap. 2. & 3.

Cap. 5.

II.&III. SÆCULUM.

liorem, cujus se rursus esse maluerint; & diabolum Domino præponere: Ita, prosequitur ipse, qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, *Diabolo per aliam pœnitentia pœnitentiam satisfaciet*. 5°. tandem, divinum beneficium, idest, abolitionem delictorum, inituris aquam omnimodo salvum esse; sed ut eo pervenire contingat, elaborandum esse: homines enim possunt utique falsis promissionibus

Cap. 6. eludi ac decipi: *Sed Deus, thesauro suo providet, nec sinit obrepere indignos*. Qui enim opinantur, debere Deum gratias suas indignis, qui baptizantur, conferre, liberalitatem ejus faciunt servitutem. Quin immo adeo progreditur Tertullianus, ut asserat, nos non ideo ablui, ut peccare desinamus, sed quia jam desiimus, & corde loti sumus: *Non ideo abluimur, ut delinquere desinamus, sed quia desiimus, quoniam jam corde loti sumus*.

II. A pœnitentia, quæ Baptismo præmittitur ad eam gradum facit Tertullianus, quæ Baptismum subsequi-

Sacramentum Pœnitentiæ. cap. 7. tur, quæ est propriæ pœnitentiæ Sacramentum. „ Hucusque, Christe Domine, inquit ille, de pœnitentiæ disciplina servis tuis discere vel audire contingat, quousque etiam delinquere non oportet audientibus: vel nihil jam de pœnitentia noverint, nihil ejus requirant. *Piget secundæ, immo jam ultimæ spei subtexere mentionem, ne retractantes de residuo auxilio pœnitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur*. Absit ut aliquis, prosequitur idem Auctor, ita interpretetur, *Quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum, & redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis*. Attente has veritates perpendant Conscientiarum Moderatores, & caveant, ne Dei bonitatem ac misericordiam efficiant occasionem audacius peccandi.

Quia conatur Diabolus fideles baptizatos perdere, concessit illis Deus Sacramentum Pœnitentiæ. cap. 7. III. Narrat deinde Tertullianus Dæmonis conatus adversus fideles jam baptizatos. „ Sed enim, inquit ille, pervicacissimus hostis ille est ignis, qui tunc plurimum accenditur, dum extinguitur, *Doleat & ingemiscat necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retro sua erasos*. Dolet, quod ipsum, & Angelos ejus Christi servus ille peccator judicaturus est. „ Itaque observat, oppugnat, obsidet: si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris sæcularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine evertere; aut a via certa perversis traditionibus detorquere. *Non scandalis, non tentationibus deficit*. Hæc igitur venena ejus providens Deus, clausa licet innocentiæ janua, & intinctionis sera obstructa, *Aliquid adhuc permisit patere: collocavit in vestibulo pœnitentiam secun-*

Cap. 8. *dam... sed jam semel, quia jam secundo, sed amplius nunquam, quia proxime frustra*. Verum non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit. *Pigeat sane peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat. Pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iterata valetudinis, iteranda medicina est... offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, & quidem volentem*.

Effectus Pœnitentiæ. c. 8. IV. Ut ostendat Tertullianus peccatoribus, Deum secundam pœnitentiam acceptam habere, & per hanc peccata deleri, memorat, 1°. exemplum Ephesiorum, Thyatirenorum, Sardorum, Pergamenorum, & Laodicenorum, quibus Spiritus Sanctus in Apocalypsi plura crimina imputat; & tamen omnes ad pœnitentiam commonet, sub comminationibus quidem. *Non comminaretur autem non pœnitenti*, illico subjungit Tertullianus, *si non ignosceret pœnitenti*. Ostendit insuper Bonitatem ac infinitam Dei Misericordiam erga peccatores qui pœnitentia ducuntur sed sincera debet esse hæc ad Deum conversio, ex corde, & humiles nos efficere tum ante Deum, tum ante homines.

V. Hisce omnibus præjactis, a quibus exinde recessit Montanista jam factus, ut suo loco videbimus, ex-

Confessio peccatoris & satisfactio. cap. 9. ponit præcipuum pœnitentiæ exercitium. *Hic actus*, inquit ille, *qui magis græco vocabulo exprimitur & frequentatur, Exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur; non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur*. „ Itaque Exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem, de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare. Cæterum, pastum & potum pura non esse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere „ . . . *Cum igitur (Exomologesis) provolvit hominem, magis relevat; cum squalidum facit, magis mundatum reddit; cum accusat, excusat, cum condemnat, absolvit*.

Effectus Pœnitentiæ. c. 10.

Adversus damnandam verecundiam pœnitendi, & confitendi propria peccata. cap. 10. VI. Quia vero etiam Tertulliani ætate quidam peccatores aderant, qui pudoris magis memores quam salutis, differre solebant Exomologesim, quæ eorum iniquitatem detegebat; hinc æquo jure hunc falsum pudorem damnat, hosque viros illis similes dicit, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt. Ut autem pudorem hunc radicitus evellat, ait, quod tunc periculum haberetur, & onerosum esset, si penes insultaturos in risiloquio qui confitetur peccata sua consisteret, ubi de alterius ruina alter attollitur, ubi prostrato superscenditur: nullum autem esse periculum, & onerosum non esse consistere inter fratres atque conservos, ubi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio. (quia communis Spiritus de communi Domino & Patre) *Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Æque illi cum super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur*. Grande plane emolumentum verecundiæ, prosequitur egregius Doctor, occultatio delicti pollicetur! *Videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus... An melius est damnatum latere, quam palam absolvi*. Num malus aliquis pudor adhuc perseverare valeat adversus validissimas has rationes, me ignorare fateor.

Cap. 11. VII. Ad eos quod attinet, qui reformidant incommoda & cruciatus corporis, qui pœnitentiam comitari debent, Tertullianus iisdem ostendit, quod nullo salutis æternæ desiderio tenentur, & castigationem victus atque cultus offenso Domino præstare cessant, quæ omnia Gentiles nemine omnino læso sibi irrogant: sed enim illos, inquit Tertullianus, qui ambitus obeunt capessendi Magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantum, verum & contumeliis omnibus eniti in caussa votorum suorum. Huic argumento finem imponit duobus ex Sacra Scriptura excerptis exemplis, quæ utilitatem pœnitentiæ in præsenti vita peractæ ostendunt, & periculum eorum, qui eamdem negligunt. Habes modo notabiliora quæ in Tractatu de Pœnitentia tradidit Tertullianus. Nos hic observamus 1°. pœnitentiam etiam Tertulliani ævo habitam fuisse uti necessariam, & catechumenis adultis impositam esse, ut disponerentur ad remissionem peccatorum in Baptismo, 2°. etiam post Divinam hanc regenerationem, viam adesse, qua peccatores reconciliari possunt Deo, per Sacramentum scilicet pœnitentiæ, 3°. rem esse periculi plenam, post Baptismum in peccata iterum labi, & veteres vehementer horruisse relapsus, quos Christiani modo parum reformidant, 4°. in pœnitentia semper comprehensam fuisse in Ecclesia tum peccatorum confessionem, tum satisfactionem, quemadmodum & hodie pariter usuvenit; nec non semper tum confessionem, tum satisfactionem habitam fuisse uti necessariam ad obtinendam remissionem peccatorum, 5°. hujus satisfactionis nomine venire exercitia pœnalia, & incommoda animæ & corporis, 6°. hæc exercitia & incommoda, hanc scilicet satisfactionem olim publicam in aliquibus circumstantiis fuisse. Hinc si Ecclesia hujus Disciplinæ rigorem remisit, non ideo tamen ademit necessitatem, quæ relaxari nullatenus potest, satisfaciendi Deo pro patratis criminibus. Ecclesiæ indulgentia non respicit pœnitentiæ relaxationem, sed modum eam peragendi.

Potest Ecclesia absolvere a gravibus peccatis post Baptismum patratis. Lib. de Pudicit. cap. 1. VIII. Antequam finem imponamus huic argumento de Sacramento Pœnitentiæ, optimum erit hic adnotare quænam esset Tertulliani ætate sententia de potestate Clavium, contra quam ipse, postquam ab Ecclesia ad Montanistarum castra defecit, vehementissime exarsit. In Tractatu de Pudicitia totis viribus in Ecclesiam Catholicam invehitur, quæ fidelium fidem de hac veritate nos docet. *Audio*, inquit ille, *etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium, Pontifex scilicet maximus, quod est Episcopus Episcoporum edicit: Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*. Observat Dominus Abbas Fleury in sua Historia Ecclesiastica (*a*) illos titulos nondum in usu fuisse tunc temporis apud Summos Pontifices; sed per ironiam Tertullianum iisdem usum fuisse. Hæc autem ironia sine fundamento fuisset, ut observat idem Historicus, si Summum Pontificem reipsa non respexissent

(*a*) Tom. II. Lib. 5. pag. 108.

sent Catholici omnes ut Religionis Caput, & Episcopum ipsorum Episcoporum. Tertullianus ipse postea eum vocat Papam, & Apostolicum, quibus titulis eum decorabant Catholici: Hæc igitur Tertulliani loca considerari possunt veluti authentica, & indubiæ fidei testimonia de primatu Romani Antistitis.

Cui fundamento innitatur fides Ecclesiæ circa hoc punctum. cap. 2.

IX. Nec solum exponit Tertullianus Ecclesiæ fidem quoad clavium potestatem; sed affert insuper momenta, quibus veritas hæc innititur; 1°. probatur ex infinita Misericordia Dei, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur: *Deus, inquiunt, bonus & optimus, & misericors, & miserator, & misericordia plurimus . . . non tantum ducens peccatoris mortem, quam pœnitentiam.* Itaque (inferebant Catholici) & filios Dei misericordes & pacificos esse oportuit, donantes invicem, sicut & Christus donavit nobis. Probatur 2°. his Salvatoris verbis: Nolite judicare, & non judicabimini; dimittite, & dimittetur vobis. Hæc autem momenta Tertullianus vocat futilia: *Talia*, inquit ille, *& tanta futilia*, 3°. exemplo David, qui propter suam pœnitentiam promeruit veniam adulterii quo se inquinaverat, 4°. parabolis de Ove & Drachma perditis ac inventis, & filio Prodigo ad patrem reverso. 5°. Historia mulieris quæ fuerat in civitate peccatrix, & mulieris Samaritanæ, quibus seipsum præbuit Jesus Christus mitem ac misericordem, 6° praxi Apostoli Pauli erga Corinthium in incestu publice viventem, cui crimen illud dimisit, 7°. eo Apocalypsis oraculo, in quo Apostolus Joannes Angelo Thyatiræ Ecclesiæ exprobrat, quod permitteret, mulierem Jezabel fornicari & seducere servos Dei, hisque fornicariis minatur maximas tribulationes, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint, 8°. tandem potestate, qua Jesus Christus Ecclesiam donavit, remittendi peccata. Tertullianus omni conatu hæc validissima momenta infirmare studet; perperam autem; ut cuique Tractatu de Pudicitia perlegenti nullo negotio innotescet; hinc eumdem appellare possumus vanum declamatorem, in toto hoc Tractatu; & idipsum absque dubio sentiet quisquis nullo partium studio addictus Tractatum illum percurret.

Cap. 6. Cap. 7. Cap. 13. Cap. 18. Cap. 21.

X. Pauca de Matrimonio dicenda supersunt. Argumentum hoc pluribus pertractat non uno in loco Tertullianus ut Hæreticorum vires infringat, qui illud impugnabant. Sequuntur modo quæ in eo occurrunt notabiliora de hoc testimonia. 1°. Fatetur Matrimonium esse institutionis divinæ; *Non quidem abnuimus*, inquit, *conjunctionem viri & fœminæ benedictam a Deo, ut seminarium generis humani, & replendo orbi, & instruendo sæculo excogitatam, atque exinde permissam.* Tuetur tamen, Matrimonium unum fuisse in intentione Dei, qui illius auctor fuit: *Unam tamen*, statim subjungit: Nam & Adam unus Evæ maritus, & Eva una uxor illius. Sane apud veteres nostros, ipsosque Patriarchas, non modo nubere, sed etiam pluribus matrimoniis uti fas fuit: sed hoc tunc temporis necessarium erat, & a lege permissum: legi autem mox succedere habebat sermo Dei, circumcisionem inducens spiritalem; & legis licentias Dominus Evangelio suo aut excidit redundantes, aut composuit inconditas. Sed non ideo præstruo, Christum separandis Matrimoniis, & abolendis conjunctionibus advenisse, ut opinabantur Marcionitæ. *Denique prohiberi nuptias nusquam omnino legimus, ut bonum scilicet.*

Matrimonium institutum, & benedictum a Deo. Lib. 1. ad Uxorem. cap. . Unitas Matrimonii. Ibid.

Bonum opus est Matrimonium. cap. 3.

XI. Marcionitæ mordicus adeo adhærebant errori opposito, ut matrimonio junctis Baptismum denegarent, quoadusque ab invicem separarentur, saltem per divortium. Hinc Tertullianus eorum praxim stultam esse pronuntiat, ac docet, apud ipsos Montanistas, quorum doctrinam jam adoptaverat, Matrimonium non vetari, licet nuptiæ deponerentur, & continentiam apud ipsos servari non ex præcepto, sed ex consilio: *Non enim projicimus, sed deponimus nuptias: nec præscribimus, sed suademus sanctitatem.* Possunt utique & spurcitiæ in conjugio exerceri; non ideo tamen conjugium damnandum est. Non ideo autem & cibi damnabuntur, quia operosius exquisiti in gulam committunt: ut nec vestitus ideo accusabuntur, quia pretiosius comparati in ambitionem tumescunt. Sic nec Matrimonii res ideo despuentur, quia intemperantius diffusæ in luxuriam inardescunt. *Ita hujusmodi non institutio, sed exorbitatio reprobanda est, secundum censuram institutoris ipsius, cujus tam est: Crescite & multiplicamini, quam &, Non adulterabis; &, Uxorem proximi tui non concupisces.*

Sequitur idem argumentū. Lib. 1. contra Marcion. c. 29.

XII. Cæterum, ablato Matrimonio, & meritum continentiæ aufertur. *Si nuptiæ non erunt*, ait Tertullianus, *Sanctitas nulla est: vacat enim abstinentia testimonium, cum licentia eripitur.* Tandem matrimonii prohibitio stare non potest cum voluntate quam Deus habet salvandi homines. Quomodo enim salvum hominem volet, quem vetat nasci, de quo nascitur auferendo? quomodo habebit in quo bonitatem suam signet, quem esse non patitur? quomodo diliget cujus originem non amat? Timet forsitan redundantiam sobolis, ne laboret plures liberando? Non erit immanior duritia Pharaonis, nascentium enecatrix; nam ille animas adimit, hic non dat; ille aufert de vita, hic non admittit in vitam. Nihil apud ambos de homicidio differt: *Sub utroque homo interficitur, sub altero, jam editus; sub altero edendus.* Fateor me non intelligere, quomodo Marcionitæ omnibus hisce auditis rationibus potuerint adhuc opinari, eorum Deum bonum potuisse vetare usum Matrimonii. Momenta hæc æque ostendunt, verum Deum damnare non posse legitimam viri ac mulieris conjunctionem, immo eamdem a Deo probari, cum sit conformis ipsius voluntati salvandi homines; salvare quippe non potest quod non existit; & homo existere nequit nisi per hanc conjunctionem. Cæterum, tantum abest quod Tertullianus horreret conjugium ad instar Marcionitarum, ut appellet matrimonii usum, sanctissimam & reverendam operam naturæ: *Age jam perora*, ait ille, ad Marcionem verba faciens, *in sanctissima ac reverenda opera naturæ.* Continentiam nihilominus Doctor ille præfert matrimonio, eamque majus bonum æquo jure vocat; sed ad Mores hæc referenda sunt.

Ibid. Deus nequit interdicere Matrimonium. Ibid.

XIII. Matrimonia clandestina, etiam Tertulliani ætate, ut non legitima habebantur, quemadmodum ex Tractatu de Pudicitia eruitur. *Penes nos*, inquit ille, *occultæ quoque conjunctiones* (quæ hodie appellantur matrimonia clandestina), *id est non prius apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.* Loquitur utique hoc loco Tertullianus ut Montanista, & æquam hanc severitatem propriæ sectæ ad honorem adscribit; sed inficiari nequit, idipsum æque in usu fuisse in Ecclesia Catholica, ut clarissime eruitur ex iis quæ ipse tradit in secundo ad Uxorem libro, in quo repræsentans felicitatem Matrimonii Christiani, habet: *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rato habet? . . . Nam nec in terris*, subjungit, *filii sine consensu patrum recte & jure nubunt.* Eruitur ex alio ejusdem Doctoris testimonio, Episcopum cum Presbyteris & Diaconis ministrare consuevisse Sacramentum Matrimonii: evidenter enim supponit Tertullianus, Matrimonium ab Episcopo postulare eos omnes, qui conjungi peroptant. *Qualis es*, inquit ille in suo Tractatu de Monogamia, *id matrimonium postulans, quod ab eis, a quibus postulas, non licet habere: ab Episcopo Monogamo, a Presbyteris & Diaconis ejusdem Sacramenti.* Verum de Sacramentis satis superque dicta sunt. Ad alia transibamus.

De Clandestinis Matrimoniis. Lib. de Pudicit. cap. 4.

Celebratio nuptiarum penes Christianos. Lib. 2. ad Uxor. c. 8.

Episcopus cum Presbyteris & Diaconis celebrabat Matrimonium. Lib. de Monogam. cap. 10.

CAPUT UNDECIMUM.

DE VETERI ET NOVO FOEDERE.

I. Plura in Tertulliano occurrunt quoad utrumque fœdus, quæ animadversione digna sunt: nos vero quæ majoris sunt momenti modo attexemus. Tradit igitur primo loco Tertullianus, utrumque Testamentum esse Opus unius ejusdemque Dei, licet diversitas aliqua habeatur in documentis, præceptis, ac disciplina, & licet alius sit ordo in veteri dispositione apud Creatorem, & alius in nova apud Christum: *Confiteor*, inquit ille, *alium ordinem decucurrisse in veteri dispositione apud Creatorem, alium in nova apud Christum; non nego distare documenta eloquii, præcepta virtutis, legis disciplinas; dum tamen tota diversitas in unum & eumdem Deum competat: illum scilicet, a quo constat dispositam, sicut & prædicatam.* Itaque hac non obstante diversitate ordinis & præceptorum, Doctor iste conciliat Legem cum Evangelio, ostenditque, Jesum Christum omnia implevisse, quæ Creator locutus est per Prophetas suos, hinc in Galilæa prædicasse juxta Isaiæ prophetiam Nazaræum appellatum fuisse, & egenos piscatores in Apostolos elegisse; juxta Jeremiæ vaticinium, ac non solvisse legem, sed adimplevisse, ad Sacerdotes mittens leprosos, quos emundaverat. Curabat utique ægrotos diebus Sabbati, ac permittebat in iisdem diebus Discipulis suis, ut vellerent spicas: at in hoc exemplum Creatoris est imitatus, qui præcepit Israelitis ferre Arcam fœderis circa muros Jericho die Sabbati. Alia insuper momenta affert Tertullianus, quibus consensionem utriusque Testamenti mirifice ostendit. Quæ vero modo retulimus satis superque demonstrant quid hac in re Tertullianus sentiret.

Unus & idem Deus auctor utriusque Testamenti. Lib. 4. contra Marcion. c. 1.

Consensio inter utrumque Testamentum. Ibid. c. 8. 9. & 10.

II. Oportet hoc loco addere unam vel alteram ex præcipuis Marcionitarum objectionibus adversus hanc veritatem. 1°. itaque ajebant, in veteri Testamento

Objectio Marcionitarum e Tertulliano.

terrena

terrena tantum promissa fuisse, in novo autem semper coelestia. Respondet huic difficultati Tertullianus, quod etsi hoc verum esset, non inde tamen sequeretur, unum Deum esse Auctorem veteris & alium Deum esse Auctorem novi foederis, cum unus idemque Deus coeli dominus sit, aeque ac terrae; & ideo exigua promisit in veteri lege, sicuti tradit idem Tertullianus, ut maximis novi Testamenti promissionibus fidem haberemus. Caeterum, falsum est, omnes veteris foederis promissiones terrenas fuisse, idque probat eruditus hic Pater pluribus Prophetarum testimoniis, ex quibus eruitur mira & perfecta consensio inter promissiones veteris ac novae Legis.

no soluta circa idem argumentum. c. 14.

Altera objectio soluta circa idem argumentum. cap. 15. 16.

2°. hac promissionum diversitate demonstrare contendebant Marcionitae, benignam ac bonam esse legem novam, severam vero legem veterem fuisse. Tertullianus autem reponit, non adeo severam fuisse veterem legem, ut opinabantur ipsi, cum & eadem praecipiat veniam dare inimicis, eorumque injurias patienter ferre. Isaias Judaeis mandat: dicite, fratres nostri estis, eis qui vos oderunt. Zaccharias praecipit, ne unusquisque malitiam fratris sui, sed nec proximi, meminerit; & rursus, ne recogitet &c. Quod si Deus poenam talionis imposuit, non permisit hanc ad vindictam, quam prohibuerat, sed ad primam injuriam coercendam, quam prohibuerat opposito talione, ut unusquisque respiciens licentiam secundae injuriae, a prima semetipsum contineret: Utrumque autem constituendum fuit pro natura & fide hominum, ut qui Deo crederet, ultionem a Deo expectaret; qui minus fideret, leges talionis timeret. Hanc legis voluntatem Christus, & legis & Sabbati, & omnium paternarum dispositionum Dominus revelavit, mandans alterius quoque maxillae oblationem; ut tanto magis vicem injuriae extingueret, quam & Lex per talionem voluerat impedisse, certe quam Prophetia manifeste coercuerat, & memoriam injuriae prohibens, & ultionem ad Deum redigens. Denique si in ipsam rationem patientiae praecipiendae, & quidem tam plenae atque perfectae, consideremus, non consistet, si non est Creatoris, qui vindictam repromittit, qui judicem praestat: alioquin, si tantum patientiae pondus is mihi imponit, qui non sit me defensurus, in vacuum patientiam praecepit, non exhibens mihi mercedem praecepti, quae est ultio; quam mihi permisisse debuerat, si ipse non praestat; aut si mihi non permittebat, ipse praestare: quoniam & disciplinae interest injuriam vindicari; metu enim ultionis omnis iniquitas refrenatur.

Cap. 16.

III. Postremo veterem legem severam adeo non fuisse, ut opinabantur Marcionitae ex eo ostenditur, quod Creator imperat in Deuteronomio: Non erit in te indigens; uti benedicens benedicat te Dominus Deus tuus; datorem scilicet, qui fecerit non esse indigentem: quod quidem congruit cum Evangelio, in quo Christus jubet dare omnibus petentibus. Verum utique est, Creatorem jussisse dare fratribus, Christum vero omnibus petentibus: at hoc novum non est atque diversum; immo unum erit ex his, per quae lex Creatoris erit in Christo: Non enim aliud Christus in omnes praecepit, quam quod Creator in fratres. Nam etsi major est bonitas quae operatur in extraneos, sed non prior ea quae ante debetur in proximos. Ita Creator & secundum naturae ordinem, primum in proximos docuit benignitatem, emissurus eam postea & in extraneos; & secundum rationem dispositionis suae primo in Judaeos, postea & in omne hominum genus.

IV. Si recte perpendantur quae docet Tertullianus in toto hoc libro, & alibi etiam, de consensione utriusque Testamenti, aperte constabit, hanc fundari in praeceptis Moralibus; horum quippe solummodo ille meminit, quae reipsa utrique foederi communia sunt. Veritates aeternas, & leges absolute necessarias proposuit Deus, non ut ab uno tantum populo servarentur, sed ab omnibus omnino hominibus, ut tradit Tertullianus ipse initio sui Tractatus adversus Judaeos: haec autem intelligi nequeunt de caeremonialibus veteris legis praeceptis, quae Judaeos tantum afficiebant, ut a caeteris nationibus distinguerentur. Hinc praecepta haec adeo necessaria non erant, sicuti moralia. Itaque dicere possumus, exempli gratia, nec circumcisionem, nec Sabbatum Judaeorum accenseri debere praeceptis absolute necessariis, cum veteres Patriarchae, qui ante legem scriptam floruerunt, Deo accepti fuerint, & justi in conspectu ejus, absque eo quod vel circumcisionem, vel Sabbatum observarent: quae quidem si absolute necessaria fuissent, iis Justis Deus praecepisset.

Lib. advers. Judaeos. c. 2.

Inutilitas Circumcisionis & Sabbati Judaeorum. Ibid.

» Denique qui contendit, inquit Tertullianus, & Sab-
» batum adhuc observandum quasi salutis medelam,
» & Circumcisionem octavi diei propter mortis com-
» minationem; doceat, in praeteritum justos sabbati-
» zasse, aut circumcidisse; & sic amicos Dei effectos: *Nam si Circumcisio purgat hominem, Deus Adam incircumcisum cum faceret, cur eum non circumcidit, vel postquam deliquit, si purgat circumcisio?* Certe in Paradiso constituens eum incircumcisum, colonum paradisi praefecit. Consequenter quoque sobolem ejus Abel offerentem sibi sacrificia, incircumcisum, nec sabbatizantem Deus laudavit. Noe quoque incircumcisum Deus, sed & non sabbatizantem de diluvio liberavit: nam & Enoch justissimum non circumcisum nec sabbatizantem de hoc mundo transtulit. Melchisedech quoque summi Dei Sacerdos incircumcisus & non sabbatizans, ad Sacerdotium Dei allectus est. Sed Abraham, inquies, circumcisus est: sed ante Deo placuit quam circumcideretur, nec tamen sabbatizavit: acceperat enim circumcisionem; *Quae esset in signum temporis illius, non in salutis praerogativam*,

Cap. 3.

V. Sed & filius Moysis, inquiet Judaeus, tum ab Angelo praefocatus fuisset, si non Sefora mater ejus calculo praeputium infantis circumcidisset: unde maximum periculum est, si praeputium carnis quis non circumciderit. Huic vero difficultati haec reponit Tertullianus: Si salutem circumcisio omni modo afferret, etiam ipse Moyses in filio suo non intermisisset, quo minus octava die circumcideret eum, quando constet Seforam coactam ab Angelo id fecisse in itinere. Consideremus itaque, prosequitur idem Doctor, quod providens Deus, quod hanc circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus populo Israel, idcirco filium Moysis Ducis futuri instigat circumcidi, ut cum coepisset per eum populo dare praeceptum circumcisionis, non aspernaretur populus, videns exemplum istud in Ducis filio jam celebratum. Animadvertere autem oportet, carnalem hanc circumcisionem fuisse typum circumcisionis spiritualis, quae data est in salutem. *Sicut ergo circumcisio carnalis, quae temporalis erat, tributa est in signum populo contumaci; ita spiritualis data est in salutem populo obaudienti.* Idipsum sentiendum est de lege sabbatizandi, quae temporalis erat, & praesignificabat Spirituale sabbatum Christianorum, qui quotidie adorant Deum Patrem per Jesum Christum Filium ejus. Nec absolute erat necessaria vetusta lex prout respiciebat Sacrificia, cum in Levitico praescriptum esset populo Israel, ut sacrificia nullo in loco offerrentur Deo, quam in terra repromissionis. Hinc per Malachiam Prophetam Deus ait: Non recipiam Sacrificium de manibus vestris, quoniam ab oriente Sole usque ad occidentem nomen meum clarificatum est in omnibus gentibus; & in omni loco offeruntur sacrificia munda nomini meo. Ex quibus omnibus sequitur, ut praecedenti tempore datis omnibus illis praeceptis carnaliter populo Israel, superveniret tempus, quo legis antiquae, & caeremoniarum veterum praecepta cessarent, & novae legis promissio, & spiritualium Sacrificiorum agnitio, & novi testamenti pollicitatio superveniret.

Objectio soluta circa idem argumentum. c. 3.

Cap. 4.

Cap. 5.

VI. Nec solum inutilis erat lex antiqua, nullumque afferens remedium, sed erat insuper gravis: *Onera enim legis usque ad Joannem, non remedia*: quod quidem intelligi debet, ut supra dixi, de caeremoniis, & sacrificiis Judaeorum, non autem de praeceptis moralibus, quibus Christiani aeque ac Judaei tenentur: etenim *Libertas in Christo non fecit innocentiae injuriam. Manet lex tota pietatis, sanctitatis &c.* In qua lege Beatus vir qui meditabitur die ac nocte. De qua idem David rursus: Lex Domini invituperabilis, convertens animas. Sic & Apostolus: Itaque lex quidem sancta est, & praeceptum sanctum & optimum (loquitur hoc loco Apostolus de praecepto, quo adulterium prohibetur). Sed ut supra: Legem ergo evacuamus per fidem? Absit, sed Legem sistimus. *Scilicet in his*, inquit Tertullianus, *quae & nunc novo Testamento interdicta etiam cumulatiore praecepto prohibentur.* Etsi haec omnia tradat Tertullianus ut tueatur errores Montani; nihilominus in genere verissima sunt, & opponuntur errori eorum, qui plus aequo libertati Christianae tribuebant, eamque ultra suos limites extendere omni conatu studebant. Caeremoniis Legis Judaeorum non subjicimur, nec innumeris purificationibus, ac sacrificiis, quae in veteri Testamento omnes afficiebant; hac nos libertate donavit Jesus Christus, qui carnalem circumcisionem a nobis abstulit, & alia Patribus nostris imposita *Onera legis*. Subjicimur autem circumcisioni spiritali, ac iis praeceptis, quae mores respiciunt, & Religionis essentiam. Immo eo magis illis subjicimur, quo ab illis liberi sumus. Haec est, quidquid opinari homines possint, magis accurata ac vera idea, quae haberi potest, Religionis Christianae.

Lex antiqua gravis. Lib. de Pudic. cap. 6.

Libertas Christiana. Ibid.

CA-

II.&III. SÆCULUM.

CAPUT DUODECIMUM.

DE PECCATO ORIGINALI. DE LIBERO ARBITRIO, ET DE GRATIA.

I. PEccato Originali omnes Adæ posteros infici apertissime docet Tertullianus. 1°. Hanc veritatem tradit in suo primo libro adversus Marcionem: ibi enim scribit, hominem damnari ad mortem ob unius fructus delibationem, ac exinde profecisse peccata una cum peccatorum pœnis; & homines omnes perire, etsi nunquam Paradisum, in quo transgressio contigit, noverint; *Homo damnatus ob unius arbusculæ delibationem, & exinde proficiunt delicta cum pœnis: & pereunt jam omnes, qui paradisum nullum cespitem noverant*. Et in libro quinto recitatis his Apostoli verbis: Eramus natura filii iræ, sicut & cæteri (a). *Apparet*, inquit, *communi natura omnium hominum, & delicta, & concupiscentias carnis, & incredulitatem & iracundiam reputare (Apostolum); diabolo tamen captante naturam, quam ipse jam infecit, delicti semine illato*. Quæ quidem verba designant eam peccatorum catenam funestamque colligationem, quæ sunt veluti consequentiæ originalis peccati.

Peccatum Originale. Lib. 1. adverf. Marcion. c. 22.

Lib. 5. advers. Marcion. c. 17.

II. Tradit Tertullianus cum Platone, in hominis anima haberi rationale, & irrationale: irrationale autem non est homini naturale, ut ipse ait, sed est peccati effectus: ad instar autem naturæ in ipsius anima inolevit, quia statim in naturæ primordio contigit: *Irrationale autem posterius intelligendum est, ut quod acciderit ex serpentis instinctu, ipsum illud transgressionis admissum, atque exinde inoleverit & coadoleverit in anima, ad instar jam naturalitatis, quia statim in naturæ primordio accidit*. Igitur peccatum Originale est caussa imperfectionum & defectuum nostræ naturæ: sive potius, diabolus ipse est auctor hujus peccati, quemadmodum Tertullianus infra docet his verbis: *Ne timeo & illi proprietatem naturæ alterius adscribere, posteriori & adultero, quem legis (in Evangelio) avenarum superseminatorem, & frumentacia segetes nocturnum interpolatorem*.

Lib. de Anima. cap. 16.

Ibid.

III. Probat insuper Tertullianus, peccatum Originale in omnes homines pertransire, ex absoluta, quam ipse in eodem Tractatu tuetur, Baptismi necessitate: habet enim: *Omnis anima eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur; tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis societate*. Et paulo inferius, loquens semper de Baptismo, quem appellat *secundam nativitatem*, ait: *Excipitur (Anima) etiam a Spiritu Sancto, (in secunda nativitate) sicut in pristina nativitate a spiritu profano*.

Ibid. c. 40.

Cap. 41.

IV. Hisce omnibus pulcherrimis Tertulliani testimoniis unum modo addamus ex ejus Tractatu de Testimonio Animæ excerptum: itaque ibi habet: Satanam denique pronuntias, quem nos dicimus malitiæ angelum, per quem homo a primo dio circumventus, ut præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus; *Exinde totum genus de suo semine infectum*. Igitur immota veritas est, Tertullianum admisisse peccatum originale in omnibus Adæ posteris. Nec allata modo accuratissima pro hac veritate testimonia, vel minimum labefactari possunt his ejusdem Tertulliani in suo Tractatu de Baptismo verbis: *Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?* Licet enim huic phrasi, prout verba sonant, vitium aliquod subsit; tamen si conferatur cum omnibus, quos recitavimus ejusdem Doctoris textibus, clarissime innotescet, verba fieri eo loci de actualibus peccatis, quæ revera non inficiunt pueros ante rationis usum; non vero de peccato originali, quod ab omnibus hominibus contrahitur juxta Tertulliani doctrinam, uno excepto Christo Jesu: *Solus homo sine peccato Christus*. Nihilominus in generali hac regula SS. Virginem Mariam non comprehendo, ob summam venerationem, qua prosequi debemus Beatissimam hanc Dei genitricem.

Lib. de Testimon. Animæ. cap. 3.

Lib. de Baptism. cap. 18.

Lib. de Anima. cap. 41.

V. Legem Bonitas erogavit, consulens homini, quo Deo adhæreret, ne non tam liber, quam abjectus videretur, æquandus famulis suis cæteris animalibus, solutis a Deo, & ex fastidio liberis; sed ut solus homo gloriaretur, quod solus dignus fuisset, qui legem a Deo susciperet. *Liberum & sui arbitrii & suæ potestatis invenio hominem a Deo institutis, nullam magis imaginem & similitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejusmodi status formam. Neque enim facie & corporalibus lineis .... ad uniformem Deum expressus est (homo); sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, idest animo, ad formam Dei respondentis, & arbitrii sui libertate & potestate, signatus est*. Vides igitur, in quo homo sit Deo similis, & a brutis distinguatur. Ejus libertas est primum ac præcipuum bonorum suorum, cum, ex hac libertate, ipsius Dei imago efficiatur: quod quidem bonum obumbrari per peccatum potest, extingui autem non potest, quemadmodum alio loco ipse Tertullianus tradit; asserit enim, corruptionem naturæ nostræ tantam non esse, ut anima omnibus omnino bonis destituatur; eidem quippe adhuc remanet liberum arbitrium, quod obumbrari utique potest, minime vero extingui: ex quibus idem Tertullianus concludit, in pessimis etiam hominibus aliquid boni semper superesse; sicuti in bonis aliquid pessimi. *Sic & in pessimis aliquid boni, & in optimis nonnihil pessimi*.

Libertas Hominis. Lib. 2. contra Marcion. c. 4. 5.

Lib. de Anima. cap. 41.

VI. Verum ex propria culpa homo lapsus est, & ipse solus hujusce lapsus caussa est, non Deus, etsi lapsum hunc permiserit. Cum homo conditus sit liber, Dei munus erat eumdem in omnimoda libertate recte vel perverse agendi servare: Igitur si homo hac facultate usus est in malum, culpa hæc conditori amantissimo nequaquam adscribi debet. *Igitur sicut Deus homini vitæ statum induxit; ita homo sibi mortis statum accensuit*: & hoc non per infirmitatem, sicuti nec per ignorantiam, ne quid auctori imputaretur. Nec opponas, inquit Tertullianus ad Marcionem, non ita hominem institui debuisse (liberum scilicet), si libertas & potestas arbitrii exitiosa futura erat: Nam, bonus natura Deus solus: deinde Bonitas Dei huic quoque instituto patrocinatur, naturæ quippe Divinæ proprium erat condere hominem in eo libertatis statu, ut posset vel bonum vel malum eligere: *Cæterum nec boni nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate .... Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui Dominus constanter occurreret, & bono sponte servando, & malo sponte vitando*.

Lib. 2. advers. Marcion. c. 5.

Cap. 8.

Cap. 6.

VII. Etsi Angelus qui seduxit, verba sunt ejusdem Doctoris; sed liber, & suæ potestatis qui seductus est; sed imago & similitudo Dei, fortior Angelo; sed adflatus Dei generosior spiritu materiali, quo Angeli constiterunt. *Atque adeo eumdem hominem .... eadem arbitrii libertas & potestas, victorem efficit hodie de eodem diabolo, cum secundum obsequium legum ejus administratur*. Hæc satis superque ostendunt Tertulliani doctrinam de libero arbitrio hominis, tum innocentis, tum peccatoris. Deprehendere ex his possunt Novatores, num Ecclesia quidquam innovaverit quoad hoc Dogma. Videtur utique prima fronte Tertullianus nimium tribuere libero hominis arbitrio post lapsum, cum dicat, eamdem esse hujus arbitrii libertatem in homine post lapsum, quæ erat ante lapsum: *Eadem*, inquit ille, *arbitrii libertas & potestas*. Id autem unum ex hoc eruitur, Tertullianum pro certo habuisse, & jure quidem ac merito, remanere in homine post lapsum arbitrii libertatem, ac potestatem. Id unum sane hoc loco demonstrare contendit adversus Marcionitas, liberi arbitrii hostes acerrimos, nulla proposita quæstione circa gratiam Jesu Christi, cujus necessitatem iste Doctor alibi aperte fatetur, ut deinceps videbimus, & ex superius dictis clarissime eruitur, docet quippe, hoc libertatis bonum obumbrari quidem potuisse per peccatum; extingui autem non posse. Ex quibus omnibus jam infertur, gratiam Salvatoris necessario requiri, quæ medeatur voluntati hominis in malum pronæ, eamque liberet a rerum temporalium cupiditate; necnon hominem indigere auxilio supernaturali, ad hoc ut libertatis suæ dono non abutatur.

VIII. Nec in demonstranda Tertulliani hac super re catholica fide admodum laborandum esset, si ea præ oculis habeantur, quæ clarissime ipse scribit in suo Tractatu de Patientia: *Bonorum quorumlibet*, sunt ejus verba, *sicuti & malorum, intolerabilis magnitudo est, ut ad capienda & præstanda ea, sola gratia divinæ inspirationis operetur*. Nam, statim subjungit, *quod maximo bonum, id maxime penes Deum; nec alius id, quam qui possidet, dispensat, ut cuique dignatur*. Quæ sane verba probant, non solum gratiam necessariam esse ad bonum faciendum, & ad fugiendum malum; sed insuper, Deum eam gratis concedere; dispensat quippe *ut cuique dignatur*.

Necessitas Gratiæ. Lib. de Patien. c. 1.

IX. Nec gratiam efficacem admittit solummodo Tertullianus; verum docet deinceps, hanc esse natura potentiorem, ac sibi subjacentem habere liberam arbitrii potestatem: *Hæc erit*, inquit ille in suo Tractatu de Anima, *vis divinæ gratiæ, potentior utique natura, ha-*

Efficacia Gratiæ. Lib. de Anima. cap. 21.

(a) Ad Ephes. cap. 2. vers. 3.

II. & III. SÆCULUM.

habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem, quod αὐτεξούσιον dicitur, quæ cum sit & ipsa naturalis atque mutabilis, quoquo vertitur, natura convertitur. Ex his clarissime innotescit, Gratiam, de qua loquitur Tertullianus, nequaquam determinari a libero arbitrio, sed liberum arbitrium a gratia determinari, cum liberum arbitrium subjaceat gratiæ; & quoquo ipsa vertatur, natura convertatur.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

DE ANGELIS ET DÆMONIBUS. DE ANIMA HOMINIS, AC EJUS STATU POST PRÆSENTAM VITAM.

I. IN omnibus his, quæ pertractat Tertullianus argumentis, ea desideratur perspicuitas ac præcisio, quæ in cæteris ab eo explanatis theologicis veritatibus elucet. Omnia hic obscura sunt, & quis fit verus Auctoris sensus non innotescit. Quia vero argumenta hæc maxime sunt momenti, hinc lucem his afferre satagemus & pro viribus conabimur hujus Doctoris mentem exponere ea majori qua fieri poterit diligentia; absque eo tamen quod illius errores adversus has veritates traditos ad examen revocemus: de his enim alibi sermo occurret.

Natura spiritualis Angelorū. Apolog. cap. 29. *Lib. de Carne Christi. c. 6.*

II. De Angelis docet primo loco Tertullianus, eorum naturam esse spiritualem. *Angeli, aut Dæmones*, inquit in suo Apologetico, *substantia pessimi spiritus*. Docet alio loco, Angelos non potuisse habere corpora, quæ propria essent, quia spirituali natura donantur: *Constat Angelos carnem non propriam gestasse, utpote naturæ substantiæ spiritualis*. Subjungit utique Tertullianus immediate post, quod si Angeli habent corpus, est tamen corpus peculiaris cujusdam generis: *Et si corporis alicujus, sui tamen generis*. Verum, si hæc tantum occurreret in Tertulliano phrasis, quæ videretur opposita ejus doctrinæ de spiritualitate Angelorum, nullo negotio difficultas hæc solveretur, & in mentem revocare sufficeret quæ docet idem Pater superius cum ait, Deum esse corpus sui generis; quæ sane verba nihil obstant pluribus ejusdem textibus, qui habent, Divinam substantiam esse spiritum, Deum esse spiritum &c. Ex quibus omnibus inferre debemus, uti jam alibi diximus, Tertullianum nomine corporis aliquid intelligere omnino diversum ab eo, quod nunc sub hoc nomine intelligitur; & supra jam vidimus, Doctorem hunc eodem corporis nomine appellare ipsum spiritum: *Spiritus enim corpus sui generis*: hinc eruitur, corpus in Tertulliani sensu illud appellari, quod nos dicimus reale, verum, subsistens. Perperam igitur de orthodoxa Tertulliani fide quis dubitaret, si solummodo enunciata superius phrasis in eo haberetur, quæ opposita videretur ejus doctrinæ de spiritualitate Angelorum. Alibi vero videbimus, vetustum hunc Patrem, vel claram distinctamque naturæ Angelorum ideam non habuisse, vel diversis de hac natura opinionibus subscripsisse.

Lib. adversus Praxeam, cap. 7.

Angeli præpositi generationi ac nativitati hominum. Lib. de Anima. cap. 37. *Angeli præpositi morti hominum. Ibid. c. 53.*

III. Aliam tradit ejusdem momenti veritatem Tertullianus de Angelis disserens: docet enim 1°. aliquos Angelos præesse generationi ac nativitati hominum: *Omnem autem hominis*, inquit ille, *in utero serendi, struendi, fingendi paraturam, aliqua utique potestas divinæ voluntatis ministra modulatur*. Et paucis interjectis, docet, Dei ordinationes Angelorum ministerio executioni mandari: *Nos officia divina Angelos credimus*. Docet 2°. aliquos Angelos præesse hominum morti, ut eruitur, ex eodem Tractatu de Anima; & hic Angelus, qui hominum morti præest, ab eo appellatur *Evocator Animarum*, qui idipsum significat, ut ipse ait, ac *Mercurius Poetarum*. Quidquid de duobus his articulis excogitari possit, nos æquo jure concludimus, Tertullianum veram Ecclesiæ Doctrinam quoad Angelorum custodiam tradidisse; quam veritatem in suo Tractatu de Spectaculis clarissime docet, scribens: *Recogito*, verba sunt ejusdem Doctoris ad quemdam Christianum tentatum ut suam Religionem desereret, *quid de te fiat in cœlo: Dubitas enim illo momento, quo Diabolus in Ecclesiam furit, omnes Angelos prospicere de cœlo, & singulos denotare, quis blasphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures diabolo adversus Deum ministraverit?*

Angeli solliciti sunt de nobis ipsis. Lib. de Spectac. cap. 27.

Dæmones, tales sese fecerunt.

IV. Inter veritates quas tradit Tertullianus de malis Angelis inparticulari verba faciens, habetur 1°. quod isti, tales, hoc est Dæmones, sese fecerunt, & Deum non esse auctorem iniquitatis eorum: Deus quippe eos condiderat Angelos; ipsi vero sese fecerunt Dæmones: *Ergo quod factus a Deo est, idest Angelus, id erit ejus qui fecit: Quod autem factus a Deo non est, idest Diabolus .... superest ut ipse sese fecerit*. 2°. Dæmones nullum non movent lapidem ut homines perdant: *operatio eorum est hominis eversio*. Hinc corporibus & valetudines infligunt, & aliquos casus acerbos; animæ vero repentinos & extraordinarios per vim excessus: mentis quoque corruptelas agunt furoribus & amentiis fœdis, ac sævis libidinibus, cum erroribus variis; & homines decipiunt sequenti pacto: *Omnis Spiritus*, inquit Tertullianus, *est ales; hoc & Angeli & Dæmones; igitur momento ubique sunt*. „Totus orbis illis locus unus est; quid ubi geratur tam facile sciunt, quam enuntiant: velocitas, Divinitas creditur, quia substantia ignoratur: sic & auctores interdum videri volunt eorum quæ annuntiant; & *sunt plane malorum nonnumquam, bonorum tamen nunquam*. Dispositiones etiam Dei, & tunc Prophetis concionantibus exceperunt, & nunc lectionibus resonantibus (Sacræ Scripturæ) carpunt: ita & hinc sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem. In oraculis autem magno ingenio ambiguitates temperant in eventus &c."

Operationes Dæmonū super homines. Apolog. c. 22.

V. Facile ex his deprehenditur, quam ineptiant libertinorum nonnulli, qui veluti fabulam irrident quidquid de operationibus Dæmonum iisdem quandoque annuntiatur. Verum heu nimium est, hos tenebrarum spiritus continuo satagere, ut nos perdant: at cum eodem Tertulliano asserere debemus, nihil ex se posse Dæmones contra nos. *Ita Diaboli opus unum est*, inquit egregie Pater iste, *tentare quod in eo est, an velis .... non operatus in te voluntatem, sed nactus occasionem voluntatis*. Et hoc satis superque est, ut nimium dæmonis timorem, qualem imbecilliores animæ experiuntur, abjiciamus.

Dæmones ex se nihil possunt cōtra nos. Lib. de Exhortat. Castitatis. cap. 2.

VI. Ad Animam hominis quod attinet, Tertullianus docet inter cætera quæ animadversione sunt digna, hanc a spiritu non distingui. „Si separas spiritum & animam, inquit ille, separa & opera: agant in discreto aliquid ambo, seorsum anima, seorsum spiritus, anima sine spiritu vivat, spiritus sine anima spiret . . . Si enim duo sunt, anima & spiritus, dividi possunt, ut divisione eorum alterius discedentis, alterius immanentis, mortis & vitæ concursus eveniat: sed nullo modo eveniet: *Ergo duo non erunt, quæ dividi non possunt*. Eamdem doctrinam tradit Tertullianus eadem verborum præcisione in hujus Tractatus decursu; habet enim, spiritum nil aliud esse quam animam, & nullum intercedere discrimen reale animam inter & spiritum, ut peroptime deprehendere poterit quisquis hujus Tractatus caput decimumoctavum percurret.

Anima nō distinguitur a spiritu. Lib. de Anima. cap. 10. *Cap. 18.*

VII. Cum anima idem sit ac Spiritus, necessario sequitur, animæ proprietates easdem esse ac proprietates spiritus: hinc primo loco animam humanam simplicem esse ac uniformem dicere debemus, quemadmodum Tertullianus docet his verbis: *Pertinet ad statum fidei simplicem animam determinare, secundum Platonem, idest uniformem dumtaxat substantiæ nomine*. Hoc præmisso principio, æque necessario consequitur, animam esse substantiam a corpore separatam, quam veritatem ipse Tertullianus tuetur; explicans enim hæc verba Apostoli: „Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia; ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur, " aperte docet, Apostolum hoc loco ponere animam & corpus tamquam res duas, & diversas: *Nam & animam posuit & corpus, tam duas res, quam diversas*. „Licet enim, subjungit Pater iste, & animæ corpus sit aliquod suæ qualitatis, sicut & spiritus, cum tamen & corpus & anima distincte nominantur, habet anima suum vocabulum proprium, non egens communi vocabulo corporis; sed relinquitur carni, quæ non nominata proprio, communi utatur necesse est; etenim aliam substantiam in homine non video post spiritum & animam cui vocabulum corporis accommodetur, præter carnem. " Constat igitur ex allato textu, animam & corpus esse duas substantias realiter distinctas, licet, prout opinatur Tertullianus, nomen corporis sit commune utrique substantiis in eo sensu, in quo significat aliquid reale, verum, ac subsistens, uti superius non uno in loco observavimus: Hoc autem nomen corporis peculiari quodam modo de carne prædicatur, quando scilicet in suo rigore sumitur.

Simplex Animæ natura. Ibid. c. 10.

Anima est substantia realiter a corpore distincta. Lib. 5. adversus Marcionem. c. 15.

VIII. Perperam autem nunc objiceret aliquis, Tertullianum in animæ definitione, eam appellare corporalem, & effigiatam: *Definimus animam Dei flatu natam, immortalem, corporalem, effigiatam &c.* nam præter

Objectio ex Tertulliano adversus veritatē modo enunciatam. Lib. de Anima. cap. 22.

(a) I. ad Thessalonic. cap. 5. vers. 23.

ter interpretationem harum vocum ab eodem Doctore traditam, fat erit attendere cæteras proprietates animæ ibi assignatas, & nullum facessent negotium illæ voces, *corporalis*, & *effigiata*, 1°. enim Tertullianus hic fatetur, animam natam esse Dei flatu; quod sane de nullo corpore physico iste Pater unquam docuit 2°. declarat, animam esse immortalem, substantia, seu natura simplicem, libero arbitrio donatam, & rationalem: *Dei flatu natam .... immortalem, substantia simplicem, liberam arbitrii, rationalem*; quæ quidem proprietates essentialiter pugnant cum materia, quæ essentialiter est dissolubilis, ideoque mortalis; divisibilis, ideoque nequaquam simplex; iners, & per consequens absque libero arbitrio; mentis & rationis expers, ideoque irrationalis. Itaque animæ definitio, quam a Tertulliano habemus, non solum nobis non officit, verum e contra confirmat distinctionem, quam animam inter & corpus in superiori articulo posuimus.

IX. De Animæ immortalitate nunc differere in animo est, reliquis omissis, quas tradit Tertullianus, animæ proprietatibus, cum Pater iste tueatur animam immortalem non ex gratia, ut omnes ferme veteres, qui ante ipsum floruerunt, tradidere, sed ex natura sua: hanc veritatem docet ipse apertissime in Tractatu de Resurrectione Carnis, his verbis: *Adeo hic & animæ immortalis natura recognoscitur, quæ non possit occidi ab hominibus*. Et in Tractatu de anima, ait, animam esse substantia, seu natura sua simplicem, indivisibilem, ac indissolubilem: igitur est immortalis ex natura sua, cum immortalitas ex hac indivisibilitate ac indissolubilitate fluat. Fatemur nihilominus, quod Tertullianus videtur docere in eodem Tractatu, animam esse immortalem tantum ex gratia: *Et si immortalem, ut hoc sit Divinitatis*. Verum phrasis hæc interpretari debet in alio a nobis allato sensu, Deum scilicet esse auctorem immortalitatis animæ, sicuti est auctor ejusdem naturæ; & hæc est, ni fallor, vera Tertulliani mens.

Anima est immortalis ex natura sua. Lib. de Resurrect. carnis cap. 35. Lib. de Anima. cap. 14. Ibid. c. 22.

X. Cum usque modo verba fecerimus de natura animæ, ejusque præcipuis proprietatibus, aliqua nunc dicenda supersunt de ejus statu post præsentem hanc vitam. 1°. Etsi Tertullianus doceat, ut suo loco videbimus, animam post præsentem hanc vitam nec puniri, nec gaudere ante universalem Resurrectionem; nihilominus alio loco tradit, animam post separationem a corpore, vel dolere apud inferos, vel gaudere in cœlis, non expectata sui corporis resurrectione: *Cur enim non putes*, inquit ille, *animam puniri & foveri in inferis sub expectatione utriusque judicii .... novit & apud inferos anima & dolere & gaudere sine carne*; idque probat rationibus ab experientia petitis. Tradit insuper, quædam peccata post mortem nos luere sub expectatione resurrectionis. *In summa, cum carcerem illum, quem Evangelium demonstrat, inferos intelligamus, & novissimum quadrantem, modicum quodque delictum, mora resurrectionis illic luendum interpretemur, nemo dubitabit animam, aliquid pensare penes inferos*. Quædam igitur peccata post vitam præsentem luit anima, antequam ultima adveniat judicii dies, e quibus sane Ecclesiæ doctrina de Purgatorio exurgit. Confirmatur insuper eadem hæc de Purgatorio doctrina ex eodem Tertulliano alio loco docente, oblationes in Ecclesia quotannis fieri consuevisse pro defunctis, & pro Martyrum festivitatibus: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus*; Prætereaque ait, fideles orare pro defunctis, & offerre quotannis in eorum refrigerium. *Enim vero & pro anima ejus orat*, inquit Pater iste, verba faciens de uxore quadam erga virum suum defunctum, *& refrigerium interim adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus*. Tandem asserit, quod quando fidelis aliquis decesserat, ac in pace dormierat, oratione Presbyteri componebatur.

Status Animæ post præsentem hanc vitam. Ibid. c. 58.

Purgatorium. Ibid.

Lib. de Corona, cap. 3.

Lib. de Monogam. cap. 10.

Lib. de Anima, cap. 51.

XI. Cæterum, tenet Tertullianus, nec ipsorum Justorum animas ab inferis extrahi posse; & fallaciæ vim intercedere declarat, si quando hujusce generis casus aliqui contingant; nec magnum enim est dæmoni, inquit Tertullianus, exteriores oculos circumscribere, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacile est; hinc negat, veram realemque fuisse apparitionem animæ Samuelis. *Absit*, verba sunt hujus Doctoris, *ut animam cujuslibet Sancti, nedum Prophetæ, a dæmonio credamus extractam*. „ edocti, quod ipse Satanas transfiguretur in Angelum lucis non vero in hominem „ lucis. „ Ex historia pauperis requiescentis in Abrahæ sinu, & divitis ingemiscentis in tormentis, probat insuper, nemini datum esse ab inferis exire. *Nulli autem animæ omnino inferos patere, satis Dominus in argumento illo pauperis requiescentis, & divitis ingemiscentis, ex persona Abrahæ sanxit*. Sed etsi quasdam revocavit in corpora Dei virtus, in documenta juris sui, non idcirco communicabitur fidei & audaciæ Magorum. Ex his innotescit, quodnam judicium ferendum sit de tot historiis, in quibus apparitionum Mortuorum fit mentio.

Animæ defunctorum nequeunt in hunc mundum reverti, nisi de absoluta potentia Dei. Lib. de Anima. cap. 57.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

DE IMAGINIBUS, ET DE CORPORUM RESURRECTIONE.

I. Etsi non loquatur Tertullianus de Veneratione Imaginum, docet nihilominus 1°. Deum absolute non prohibuisse Israelitis imagines, sed solum earum adorationem, ne in Idololatriæ crimine prolaberentur; Deus quippe vetans similitudinem fieri omnium quæ in cœlo, & in terra, & in aquis sunt, præcepit postea Moysi efformare effigiem serpentis ænei, ex quibus sane clarissime eruitur, Idololatriæ substantiam cohibere voluisse. 2°. Observat Tertullianus in suo libro de Pudicitia, Catholicos pingere consuevisse super calices imaginem Pastoris boni: *Procedant*, inquit ille, *ipsæ picturæ calicum vestrorum, ubi est ovis perdita, a Domino requisita, & humeris ejus invecta*. Constat igitur, ab Ecclesia nunquam, nunquam a Synagoga improbatum fuisse usum imaginum, sed solum earum abusum. Eccur igitur Novatores in hanc praxim insurgere audent, quæ vetustissima est æque ac Ecclesia, immo æque ac Synagoga.

Imagines per se non vetitæ, sed propter periculum idololatriæ. Lib. 2. adversf. Marcion. c. 22.

Catholici ætate Tertulliani habebant imagines. Lib. 1. de Pudicit. cap. 7.

II. Quoad Corporum Resurrectionem dabimus modo quæcunque notabiliora occurrunt in Tractatu de Resurrectione carnis, quem conscripsit Tertullianus adversus Valentinianos, aliosque Hæreticos, qui hanc veritatem denegare audebant. Probat igitur possibilitatem Resurrectionis ex consideratione Omnipotentiæ Dei, qui potest reficere quæ fecit, etiamsi ad nihilum essent redacta. Innumera divinæ hujus potestatis habemus exempla in natura. Dies moritur in noctem, & lux amissa lugetur; & tamen rursus eadem lux integra & tota universo orbi reviviscit: revolvuntur hyemes & æstates, verna & autumna: arbores, flores, herbæ vestiuntur post spolia, ac denuo colorantur: phœnix temetipsam libenter funerans renovat natali fine decendens atque succedens: *Totus igitur hic ordo*, inquit Tertullianus, *revolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuorum*.

Possibilitas Resurrectionis. Lib. de Resur. Carnis. c. 11.

Cap. 12. & 13.

III. Nec solam possibilitatem Resurrectionis probat Tertullianus; enim probat insuper pluribus validissimis momentis ejusdem Resurrectionis veritatem. Primo igitur probat hanc veritatem quia congruentissima est Deo destinatio judicii; quæ sane destinatio erit tota caussa, immo necessitas resurrectionis: quod enim congruet judicari, hoc comperet etiam resuscitari. Deinde sic prosequitur egregius Doctor: Plenum perfectumque erit Dei judicium: itaque plenitudo ac perfectio judicii non nisi de totius hominis perfectione constat. Totus porro homo ex utriusque substantiæ concretione conformatur; idcirco in utraque erit exhibendus, qui totus debet judicari; qui nisi totus, utique non vixerit. Qualis ergo vixerit, talis judicabitur, quia de eo quod vixerit, debet judicari. Et reveta, cum corpus ita sit animæ conjunctum, ut sine ipso illa non agat, immo nec cogitet, æquum sane est, ut corpus particeps sit vel pœnæ vel præmii, non secus ac anima. hoc autem esse nequit, si corpus non resurgit: ergo &c. Perperam autem quis objiceret, corpus vice puri vasculi apparere animæ, ideoque solius animæ judicium præsidere, qualiter usa sit vasculo carnis; vasculum vero ipsum non esse sententiæ obnoxium: reponit enim Tertullianus, quod caro ab exordio uteri consita, conformata, congenita animæ, etiam in omni operatione miscetur illi; ideoque eidem judicio tenetur: quod sane necessario supponit corporum Resurrectionem.

Prima probatio veritatis Resurrectionis. cap. 14. 15.

Cap. 16.

IV. Probat secundo hanc veritatem ex Prophetarum Oraculis, quæ apertissime Resurrectionem annuntiant, & ex figuris, quæ eamdem repræsentant. Nec omittit Tertullianus verba ac prodigia Salvatoris idipsum comprobantia; & quidquid in Epistolis Divi Pauli ad rem facit, in medium profert. Videat hæc omnia studiosus Lector in proprio fonte, cum absolute necessarium non sit hic ea recitare, ne in immensum mea abeat oratio. Nihilominus in animo est nonnullas obiter notare objectiones, quas a Novo Testamento desumebant Hæretici adversus eamdem hanc veritatem.

Secunda Probatio ejusdem veritatis. cap. 18. 19. &c.

V. Præcipue, objectiones hæ sunt. 1°. Salvator ait: Caro nihil prodest. 2°. Apostolus habet: Nam etsi homo noster exterior corrumpitur, sed interior renovatur die & die. 3°. Idem Apostolus monet deponere nos veterem hominem, & induere novum hominem, qui secundum Deum conditus est: ex quibus omnibus concludebant Hæretici, corpora non resurgere. Verum Tertullianus his difficultatibus nihil permotus

Objectiones Hæreticorum adversus Resurrectionem. cap. 37.

tus

II.&III. SÆCULUM.

Responsa Tertulliani. Ibid. Cap. 40.

tus respondet ad primam, quod Jesus Christus hoc loco non negat resurrectionem carnis, sed solum asserit, carnem nihil prodesse ad vivificandum, quia spiritus est qui vivificat: *Caro nihil prodest, ad vivificandum scilicet . . . Quid hoc ad destruendam carnis resurrectionem &c.* Ad secundam: Homo exterior, de quo loquitur Divus Paulus, non est solum corpus, sed compositum quoddam ex anima & corpore resultans: hinc corruptio ista de anima æque ac de corpore debet intelligi: ideoque nihil contra resurrectionem

Cap. 45.

carnis evinci potest. Ad tertiam: Quando Apostolus monet deponere nos veterem hominem, & novum induere; monet solummodo deponere nos mala opera,

Cap. 48.

& malos habitus. Hinc in eodem sensu alio loco ait, quod caro & sanguis regnum Dei non possidebunt; ibi enim loquitur de operibus carnis, non vero de substantia carnis. Subjungit deinde idem Tertullianus, quod maximæ inconsiderantiæ culpandus foret Apostolus, si tam abrupte, ac clausis, ut ajunt, oculis, & sine distinctione omnem passim carnem & sanguinem a

Cap. 51.

regno Dei extruxisset: *Cum illic adhuc sedeat Jesus ad dexteram Patris . . . . caro & sanguis, etsi nostris pursora, idem tamen & substantia & forma, qua ascendit.*

VI. Ex quibus omnibus aperte constat, non solum possibilem esse carnis resurrectionem, sed insuper realem esse, ac vere futuram. Nunc igitur videndum superest, quo pacto hæc resurrectio perficietur; idque pariter ex eodem Tertulliano accurate de hac re disserente eruemus. Docet igitur, quod in nostra propria carne resurgemus, & eamdem nostram carnem resurgere debere; idque probat exemplo seminis quod semi-

Homines resurgent in propriis corporibus. c. 52.

natur, in quo ipse Apostolus agnoscit figuram resurrectionis: *Hoc ergo*, inquit Tertullianus, *jam de exemplo seminis conster, non aliam vivificari carnem, quam ipsam, quæ erit mortua*. Idipsum repetit eadem verborum præcisione, non semel in eodem Tractatu.

VII. Absurdum autem esset asserere, quod cæci, & claudi, & paralytici, & alii hujusce generis homines, cum iisdem resurgent imperfectionibus: si enim caro

II.&III. SÆCULUM.

Status corporu post resurrectionem. Cap. 55. 56.

de dissolutione reparabitur, multo magis de vexatione revocabitur: hinc etsi caro eadem sit, ejus tamen proprietates absolute immutabuntur, quemadmodum & in præsenti vita contingere videmus; sibi invicem enim succedunt morbi & valetudo, & tamen eadem semper manet carnis substantia. Hujusce exempla habemus pariter in manu Moysis, in facie S. Stephani, in vestibus Jesu Christi; hæc enim omnia formam mutarunt, non autem naturam. Si igitur demutamur in gloriam,

Cap. 57.

quanto magis in incolumitatem? *Naturæ, non injuria reddimur*; quia vitiatio corporum accidens res est, integritas propria est. Manebit caro etiam post resurrectionem, eatenus passibilis, qua ipsa, qua eadem; ea tamen impassibilis, qua in hoc ipsum manumissa a Domino, ne ultra pati possit. Membra utique post resurrectionem erunt sine officiis, quia præsentis hujus

Cap. 60.

vitæ necessitates nullæ aderunt; sed æque verum est, debere omnia membra resurgere, ut facinorum suorum vel pœnas, vel præmia reportent. Postremo Jesus Christus statum nostrorum corporum post resurrectionem ostendit dicens, quod erimus sicut Angeli Dei. Tenes modo notabiliora quæ habentur quoad Dogma in Tertulliano: hinc huic Sectioni finem imponam sequentibus verbis, quæ Resurrectionem respiciunt. „ Igitur,

Cap. 9.

„ quam Deus manibus suis ad imaginem Dei struxit, „ quam de suo afflatu ad similitudinem suæ vivacitatis animavit, quam incolatui, fructui, dominatui, „ totius suæ operationis præposuit, quam Sacramentis „ suis disciplinisque vestivit; cujus munditias amat, „ cujus castigationes probat, cujus passiones sibi adpretiat: „ *Haccine non resurget, totiens Dei?*

Ad secundam quod attinet Sectionem, quæ comprehendit veritates morales, quas sermone æque prolixo tradit Tertullianus, has adinvenies Lector exaratas initio secundi Tomi.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Primo Tomo continentur.

A

B

C

D

E

F

novæ

G

H

I

L

M

N

O

P

PARA-

Q

R

S

circa

V.

X

Z

F I N I S.